



PETREIDOS

LIBRI XXIV.

ANTONII MIRABELLI

SANCTAE NEAPOLITANAE ECCLESIAE

PRESBYTERI.



VOL. I.



NEAPOLI
EX TYPIS AGRELLIANIS
MDCCCLIX.

Terra omnium terrarum alumna, eadem et parens, numine Deùm electa, quae caelum ipsum clarius faceret, sparsa congregaret imperia, ritusque molliret, et tot populorum discordes ferasque linguas, sermonis commercio contraheret; colloquia et humanitatem homini daret; breviterque, una cunctarum gentium in toto orbe patria fieret.

PLIN. Hist. III, 3.

. . . .

Ch'ei fu dell'alma Roma e del suo impero
Nell'empireo ciel per padre eletto;
La quale e il quale (a voler dir lo vero)
Fur stabiliti per lo loco santo,
U' siede il successor del maggior Piero.

DANTE, Inf. C. 2.

Isti sunt qui te ad hanc gloriam provexerunt, ut gens sancta, populus electus, civitas sacerdotalis et regia, per sacram Petri sedem caput orbis effecta latius praesideres religione divina, quam dominatione terrena. Quamvis enim multis aucta victoriis jus imperii tui terra marique protuleris, minus tamen est, quod tibi bellicus labor subdidit, quam quod pax christiana subjecit.

S. LEO Serm. I, in Nat. Apost.

PIO IX. PONT. MAX.

ANTONIUS MIRABELLI.

Si quis, BEATISSIME PATER, *aequo animo regnorum, atque imperiorum vicissitudines contemplatur, nihil profecto ista, in qua sedes sanctissima Petri Cathedra, perpetua temporum constantia diuturnius, nihil rerum gestarum splendore gloriosius, nihil universae humani generis necessitati accommodatius occurrit. Cum enim mortalium animis ad veri rectique normam conformandis ea divinitus fuerit comparata, singularem quamdam divinae bonitatis atque perennitatis exhibet speciem, quae* attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter [1]. *Vicariam Christi in terris*

[1] Sap. VIII, 1.

nacta potestatem, Religionis arcem et stationem Romae constabilivit; per universum terrarum orbem missis praeconibus, Dominicae Redemptionis fructum communicavit; ethnica superstitione deleta, novis constituendis legibus principia induxit; scientias barbarie extorres e postliminio revocavit, easque, caliginosis tenebris depulsis, ad vivissimae lucis serenitatem traduxit; litteras artesque, ingeniosorum hominum inventa, novis pulchrarum rerum imaginibus objectis, instauravit, uti Graecis et Romanis non inviderent, morum sanctimonia, et rerum tractandarum gloria praecellerent. Quippe praemonuerat Deus: Ecce nova facio omnia: *et, humanae naturae nobilitate redintegrata, ut reipsa nova omnia fierent, ethnica omnia recederent, Christi ductu, atque auspiciis Illa perfecit in omnibus Europae finibus; utque eadem humanae naturae reparatio universis gentibus ac nationibus communicetur, continenti sollicitudine adlaborat. Singulare profecto ac magnificum contemplanti animo spectaculum! in tanta rerum universitate unum existere Supremum humani generis Patrem, Eumque voce, scripto, sacris expeditionibus totum terrarum orbem lustrare, filios aberrantes quaerere, e diutura peregrinatione ad Dominicam caulam redeuntes pastorali sollicitudine excipere, et in amissam veri bonique hereditatem restituere! Ita profecto sese res habet,* BEATISSIME PATER, *uti de Christi regno propheta Daniel praedixit:* Dedit illi potestatem, et honorem, et regnum; et omnes populi, tribus et linguae illi serviunt: potestas ejus potestas aeterna quae non auferetur, et regnum ejus quod non corrumpetur [1].

Verum triumphale istud iter, quo per universas orbis

[1] Dan. VII, 14.

regiones catholica procedit Ecclesia, quibus vepribus, et dumetis est circumseptum! Ex quo caelestis ille humani generis Reparator Chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, tulit de medio, affigens illud Cruci, et expolians principatus et potestates traduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso [1]*; magna belli contentione terra marique depugnat, nec nisi continenti praeliorum serie in gloriosissimam sui regni possessionem venit. Duo illa Domini effata animo insident:* Si mundus vos odit, scitote quia me priorem odio habuit — Portae inferi non praevalebunt adversus eam. *Itaque fortitudinis et spei clypeo obarmata, bellum a Christo inceptum et profligatum prosequitur, ut princeps tenebrarum e toto terrarum orbe omnino ejiciatur.*

Primum, ideoque gloriosissimum certamen fuit sub Nerone, A. R. S. LXV, cum, promulgato per orbem universum Evangelio, ethnicae impietatis superstitio, judaeae gentis perfidia, romanae urbis corruptela, graecanicae sapientiae vanitas contra Christianam religionem, uno veluti agmine surrexere. Antehac parvula, quamvis frequentia certamina tentata: tunc demum gliscens jam scintilla belli in apertum incendium erupit, deque rei summa decertatum, non in domesticis parietibus, atque umbratili exercitatione, sed in sole et pulvere, in urbe Roma, in arce ipsa romani imperii, atque omnium populorum domicilio. Hinc stetit Roma vetus, omnium gurges vitiorum; illinc parvus coetus, romana prior Ecclesia, Christianarum omnium virtutum floribus locupletata: hinc Nero (neque in terris luculentior fuit Satanae effigies); illinc Petrus Christi vicarius, et sum-

[1] Coloss. II. 14.

mus christianae religionis antistes. Cui porro contigit victoria? fumantibus ethnicae Romae ruinis pontificia Roma superstructa emicuit.

Ad majorem B. Petri, et Romanae sedis gloriam, primum istum Romanae Ecclesiae triumphum Principis Apostolorum martyrio illustratum poemate nostro tractandum aggredimur: et quo vitiorum coeno oblitum, quanta superstitione contaminatum, qua tyrannide oppressum, quibus malorum omnium procellis pessumdatum romanum imperium ingemisceret, velut in tabula depictum exhibemus. Jure meritoque Lector exclamare poterit: Eo humanum genus devenerat! Quis tantam rerum mutationem intulit? Romanus Pontifex, per octodecim saecula, et amplius, Christo auspice adlaborans.

Jucunda sane recordatione recolo, cum primas Petreidos adumbrationes Gregorio XVI. P. M. offerrem, quanta me excepit charitate. Ille acerrimo ut erat ingenio, uno oculorum obtutu, totius operis metitus difficultates, proposito collaudato, ut bono Ecclesiae Romanae verteret, bene ominatus est. Quod idem Romae, cum studiorum causa venissem, ORE TUO licuit excipere, PIE, P. M. qui voce et scriptis currenti stimulos addidisti. Suscepti igitur consilii habeo duos Pontifices auctores atque hortatores, Vobisque opus susceptum perfectumque auctoribus, Vobis jure quodam suo sistitur ac dicatur.

Ecce nunc, Deo bene juvante, Petreis *nostra in lucem hominum prodit, TUO ornata NOMINE. PONTIFICIA MAJESTAS, qua totum circumfulget argumentum, insuetam operi quam nequit profecto poetae imbecillitas, conferet dignitatem. Latinum eloquium, illud ipsum quo supremus christianae reip. moderator universos terrarum populos adloquitur, an-*

tiquiore quodam splendore pontificalis imperii majestatem prae se fert. Mihi sat erit ethnicae Romae spoliis ad Christianae Romae triumphum ornandum uti; cumque romana Pontificum vox nullis terrarum finibus circumscribatur, eo ipso supremum romani pontificatus molimen ostendere, quod apud Christum ejusque Vicarium nullae sunt gentium exceptiones, nullaque potior cura, quam ut ex universis gentibus et nationibus coalescat in Christi nomine una familia, cui unus Deus, una fides, unum baptisma.

Dolendum enimvero est, BEATISSIME PATER, *tantam vim tempestatis Romanam cathedram circum strepere. Sed* in dolore Ecclesia parturit filios suos, *et majorem divinae hujus matrisfamilias foecunditatem nulla unquam aetas demirata est. Non ergo memorarim, quae ad Romam istam tuam exornandam pontificali magnificentia aggrederis; ipsa tuis coeptis tellus obsecundare videtur, cum christiana templa, longa barbariei intercapedine, consepulta, per* TE *squalore deterso, sacras amplificant antiquitates; et Romae Veteris urbes et viae cruderatae tantam monumentorum segetem suppeditant, ut quotidianas ingeniis faces, novum Pontificiis musaeis ornamentum augeant. Verum in externa re libentius versabor, cum permulta* PONTIFICATUM TUUM *supra omnem memoriam illustrant, quae non dicam sperare, sed ne cogitare quidem nemo potuisset. Vidimus in Britannia et Hollandia Hierarchiam constitutam, ita ut nobilissimae Ecclesiae, quae temporum iniquitate prostratae huc usque in tenebris ingemiscebant, Te duce, suis pastoribus ornatae in lucem conspectumque hominum prosiluerint. Vidimus in Germania Catholicae religionis libertatem restitutam, ibique non modo Praesules constantissimos sacrosancta Christi praelia apostolica firmitudine praeliari, sed doctissimos*

viros ad Ecclesiastica jura vindicanda ingenii aciem convertere, ut, unde ad animarum perniciem pestifera errorum seges suboluit, inde lux veritatis totam rem litterariam illustraret. Neque tantummodo Europae finibus inopina isthaec ad Sedem Apostolicam animorum facta est conversio. Vidimus Americas frequentissimo Episcopatu locupletatas, laetasque illas Ecclesias inter effusas omnium sectarum discordias, Evangelicam pacem recentioribus populis ostendere, tantaque, si opus est, constantia collatis armis, cum hoste congredi, ut priora rei christianae tempora praeseferant. Tibi pontifici (quod Antecessorum tuorum perenne fuit desiderium) videre licuit, Turcas per tot saecula Europae, et Christianis cervicibus continenter insultantes, nunc demum eo imbecillitatis recidisse, ut nulla illis spes, nulla salus effulgeat, nisi in Christi caulas refugiant; tuque orientales Ecclesias diuturno servitio pessumdatas, injecto vividiori spiritu, ad Romanam cathedram, quae via, veritas et vita est, studeas revocare. Patuit tibi campus in Africa per gloriosissimas Francorum victorias (eamdem semper et ubique generosissimam gentem christianae reipublicae antesignanam videre est); et Hipponensis Pontificis cineres justa laetitia exultavere, cum apostolicae suae peregrinationis sedem latrociniis ereptam Evangelicae sanctitati viderint restitutam. Quid memorem, quantis incrementis in Armenia, in Aethiopia, in Indiis, Sinisque res Christiana coaluerit? Neque aliter profecto, beatissime pater, tibi poterat contingere, cujus consiliis Ea semper praefuit quae errorum omnium expultrix, et catholicae religionis magistra Sanctorum Patrum praeconiis fuit nuncupata, Beatissima Virgo, Dei Mater. O singularem pontificatus tui gloriam, quam pientissimi Decessores Tui votis ominibusque apprecati sunt,

quamque pietati tuae potissimum Ipse divinus Spiritus reservavit. Cum enim omnium saeculorum desideriis satis feceris, et divinae Matris Conceptum ab originis labe immaculatum pontificio oraculo definieris, Ipsa mortalium, immortaliumque Regina singularis gloriae ornamento per Te aucta, et omnium populorum linguis celebrata, in suscepto Romanae Ecclesiae patrocinio vehementius perseverat, inexhaustos divinae beneficentiae fontes uberius effundit, cunctasque gentes ac nationes ad sese, atque divinum Filium trahere videtur. Enixis igitur precibus, BEATISSIME PATER, *Deum O. M. obtestamur, uti* TE *quam diutissime ad tantam catholicae Ecclesiae amplitudinem sospitet. Virtutum sane tuarum exemplar luculentum jamdiu totus terrarum orbis admiratur, Teque intuentibus, quorum nomen habes, Pii VI, et VII subit memoria. Eadem in apostolici culminis fastigio mansuetudo: idem in sacris Romanae Ecclesiae juribus tutandis pectoris robur, eadem in adversis ferendis constantia. Si inter innumeras quibus distineris sollicitudines, aliquantisper oculos in* nostram Petreida *conjicies, quae primi saeculi historiam continet,* TIBI *omnium saeculorum occurret commemoratio, quibus mysticum istud, cujus gubernaculo assides, navigium jactari quidem potuit, submergi non potuit, eamdemque pontificatus tui imaginem expressam habebis. Si quid autem vel solatii, vel oblectamenti inde obvenerit* TIBI, *amplissimum laborum meorum fructum percipere videbor. Gratissimum Patri a filiis in moerore circumdari; gratum et filio paternam indulgentiam promereri. Habe igitur hoc meae in* TE *inque* PETRI CATHEDRAM *observantiae documentum, totumque* TIBI *obsequentissimum, pontificiis pedibus obvolutum, paterna benedictione prosequere.*

Datum Neapoli Kal. Decemb. An. R. S. MDCCCLIX.

DILECTO FILIO

PRESBYTERO ANTONIO MIRABELLI

Neapolim

PIUS PP. IX.

Dilecte Fili, salutem et Apostolicam Benedictionem. Nos plurimum delectat egregius religionis, pietatis, et observantiae cultus, quo dignitatem prosequeris infirmitati Nostrae divina dispositione delatam, ac Litteras idcirco libentissime accepimus, quibus Nobis Te majorem in modum commendavit Dilectus Filius Noster Xistus Cardinalis Riario-Sforza *Archiepiscopus Neapolitanus. Id enim a multis annis Tibi, Dilecte Fili, proposuisse intelleximus, ut nempe Romani Pontificatus historiam, Maximorum Pontificum praeclara gesta, illatasque ipsis ab persecutoribus aerum-*

nas, carcerem, exilium, et mortem, eorumdem in his omnibus perferendis constantiam et virtutem, ac splendidissimos inde consecutos Catholicae veritatis triumphos, latinis carminibus memoriae hominum traderes et commendares. Quod quidem splendidum omni ex parte argumentum, catholicae cuique genti gratissimum, auspicia et praesidia a Nobis postulat, qui in suprema hac Petri Cathedra constituti egregiis illis domesticisque exemplis ad illustria Decessorum Nostrorum vestigia sectanda continuo incitamur. Tibi idcirco permittimus, ut latinum illud carmen, quod titulo Petreidos exarasti, quodque judicio mox probatum fuit spectatissimi ejusdem Neapolitani Antistitis nomini Nostro inscribere ac typis edere possis in lucem. Quod superest, caritatem, qua viros prosequimur de christiana religione deque litterarum cultu ad pietatem fovendam benemerentes, Tibi testamur denuo ac confirmamus. Hujus nunc pignus habeas Apostolicam Benedictionem, quam omnis auspicem gratiae caelestis ipsi Tibi, Dilecte Fili, amanter impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum die **31** *Decembris, Anno* **1859**. *Pontificatus Nostri Anno XIV.*

PIUS PP. IX.

PETREIDOS

LIBER I.

ARGUMENTUM

Propositione totius operis praemissa, et facta invocatione ad Divum Petrum, christianae Romae conditorem, et ad primos Romanae Ecclesiae Martyres sub Nerone passos, narratio incipit ab florentissimo Ecclesiae Romanae statu, anno Christi LXV, Petri XXIV, ex primo adventu ad Urbem — Die sacra Pentecostes appropinquante, festum auspicatissimum, et christiani Orbis principium quantamaxima adparatione Summus Pontifex celebrare statuit, quod extremum suae terrestris peregrinationis foret, et nova laetitiae causa toti Ecclesiae accessisset — Cum Paulo, Lino, Cleto et Clemente (qui primus Romanae Ecclesiae Senatus) orto de rebus urbis, et orbis sermone, de ingruentibus christiano nomini bellis deque gloriosa Christi victoria colloquitur, et Lino et Cleto junioribus mandat, ut omnia apud Pudentem parent, et ad solemniores pompas frequentissimi Romae Christiani conveniant — Sacra instruunt adolescentes: Paulus ad consueta caritatis opera per urbem discedit; Petrus christianae Religionis supremus Antistes augustissimi sacerdotii munia prosequitur — Novae laetitiae causa erat, Eunae virginis atheniensis in Ecclesiam per baptismum ingressus. Ipsa Hermum juvenem Dionysii Areopagitae fratris filium deperiens, a Patre Iphito graecanicae superstitionis sectatore, ne cum christiano conjugium ini-

ret, in Italiam vecta, dum Romae ludis Juvenalibus ab Nerone instituutis ad tibiam canit, a Nerone rapitur; Calvo, aulico administro, et christiano hortatore ad Petrum refugit, qui sacris mysteriis imbutam ad baptismum, Nerone absente (Bajis enim morabatur) salutaribus aquis abluere cogitaverat — Die Pentecostes illucescente, Pudentis Domum in Exquiliis, ubi prima Romae Ecclesia, ingens Christianorum numerus confluxit, quibus, Pauli absentia rem sacram tardante, templum ingressis, Lucas picturas veteris testamenti de Christo venturo parietibus impressas explanat — Sacris hora nunciata, Romanus Pontifex solemnioribus vestibus ornatus, et sacriferis comitantibus ad delubrum pro templi foribus procedit, ubi attica virgine aliisque, sacrosancto christianorum ritu lustratis, majori comitatu in templum revertitur, aram conscendit, magnificam orationem de sacra Pentecostes festivitate habet, augustissimum Christi corporis mysterium celebrat, et caelestibus prodigiis recreatus, Angelis christianae Romae defensoribus ad aram excubantibus, veluti sacro amoris impetu afflatus Ecclesiae pulchritudinem, animae Christique connubium cum Canticis canticorum vaticinatur—Sacro peracto, itur ad Pudentis coenaculum: Agape celebratur (amoris convivium apparaverat Pudens)— Dumque genialibus ferculis vacant, Petrus Isaiae caput de mira Dei in humanum genus caritate, deque ingrato Judaeorum populo enucleat — Secundis mensis, a[illegible] cithara in medium allata, Eune carmen per Philologum concinnatum de Christo, omnis potestatis capite et Pontifice aeterno canit —Quibus omnibus absolutis, concilium dimissurus faustis ad Deum precationibus Petrus urbem atque orbem prosequebatur, omnibus in unum intentis: sed ecce inopinus nuncius triclinia ingreditur conclamans Paulum captum — Pontifice jubente, sibi fuga consulunt omnes: cum paucis Petrus manet ad aram primam Christianorum, omnem periculi procellam opperiens.

PONTIFICEM summum, caeloque ereboque potentem
Christiadum patrem, qui primum Orientis ab ora
Digrediens magnam Hesperiam, tiberinaque venit
Littora, caelestis referens bona nuncia vocis,
Et vaticana tandem superastitit arce,
Pacifera extollens Christi vexilla, serensque
Semina civilis non deficientia moris,
Inclyta facta, cano. Quot Tartara foeda ruinas,
Quot gravis ambitio procerum, et Judaea propago
Intulerunt! tamen innixus caelestibus heros
Auxiliis bellavit ovans, mortemque decoram
Praetulit, exultans valida quod fulta columna
Surgeret omniparens cunctis Ecclesia terris,
Unius et fieret divini pastor ovilis,
Unde novae gentes Christi de nomine dictae
Christigenae, atque novus regnorum prodiit ordo.
   Laurigero quondam in nemore, et regione beata
Parthenopae, Augustus vates [1] romana canebat
Moenia, surgentesque arces, et magna tropaea;
Grandiloqua excitique tuba assonuere propinqui
Pausilypi colles, et candida Mergelline,
Et surrentinae motarunt culmina cedri.
Atque utinam nostro par afforet ore potestas!
Qua cineres requiere sacri, qua laurus opaca

Ingens relliquias felici protegit umbra,
Ipse cano alterius surgentia moenia Romae,
Quae non falsiparens Mavors, non auctor Apollo
Sustineant; Deus omnipotens, rerumque creator
Imperturbatam voluit consistere sedem,
Littore qua venient gentes ab utroque potentem
Clavigerum aspicere, et veras audire loquelas.
Non ego Grajugenûm ripis spatiatus amoenis
Scandere pierii celebrata cacumina Pindi
Glorier, aut doctas in vota vocare sorores.
Dum veterem video tremefacto cardine mundum
Proruere, inque vicem surgit formosior alter,
Graja mihi quamvis meditata volumina vatum,
Numina respuerim, calefacto vana cerebro
Quae Graji genuere, novique oriente nitore
Solis, matutina velut fluxere pruina.
O Romae Pater, o romani conditor alter
Certior imperii, qui opus admirabile terris
Unus firmasti, duce Christo et auspice Christo,
Bissenos annos meliori cusa metallo
Saecula, meque novae monumenta insignia Romae
Volventem adspexti. Te nostra quievit in uno
Mens: age, Petre, mihi sacras in pectora flammas
Concilia, auxiliumque affer, tu gloria prima
Christiadum, atque novi fundator maximus orbis.
Si longum molitus iter tibi fervida vota
Marmoreum ad tumulum exolvi; si lumina mille,
Mille faces ardere tuis super ossibus, atque
Stellata veluti frontem redimire corona
Inspexi; vaga flamma sacris emissa latebris
Frigida divino tepefecit viscera tactu,

Tu longae mala dura viae lenito; laborum
Fasce sub injusto nutantes erige vires.
Vos quoque, Christiadum heroes, qui tempore primo
Innocuam pulchro liquistis funere lucem,
Jam jam Caelicolae, jam victa morte beatam
Promeriti vitam, et serti immortalis honores,
Vos mihi principium, finis vos carminis este.
Quanta fuit vobis sacrae custodia Romae,
Externae sensere acies, quas horrida saepe
Barbaries, praedis inhians, emisit apertis
Alpibus. Heu! torrentis aquae, vel turbinis instar
Vastavere urbes, foeda obsidione latinas
Obsedere arces. At vos pro moenibus ipsi
Terribiles agitare minas, visique timorem
Injicere, et rapidis defendere templa ruinis,
Quae rubuere diu sacro saturata cruore,
Et vestro stetit incolumis tutamine Roma.
Alter adest hostis: trepida caligine nutant
Huc illuc tractae mentes. Si carmine nostro
Unica fax veri emicuit, si lumine puro
Romulidûm documenta patrum tractata nitescunt,
Este boni, et vati, precor, adspirate canenti.

Vix quinque et sexaginta sol aureus orbes
Complêrat, soboles ex quo divina Parentis
Funestam claudens seriem illaetabilis aevi
Intulerat terris donum inviolabile pacis,
Florebat Romae felix Ecclesia, cultu
Laeta novo, ingenuoque nitens pulcherrima risu;
Vere velut primo, cum mitior aura favonî
Surgentem exhilarat segetem; peramoena vireta

Floribus innumeris et picto gramine lucent:
Omnis odoriferis vestitur frondibus arbos,
Ridet ager, rident viridanti palmite colles.
Nec modo trans Tiberim [2], qua diversoria nota
Judaeis, magno cognatae stirpis amore
Cunctatur pietas: populosae compita Romae,
Celsaque regifico laquearia condita luxu
Lustrat Relligio, vulgatque abscondita rerum.
Nulla manet regio, qua non divina pererrant
Lumina doctrinae, tota clarescit in urbe
Nomen Christiadum resonantque ingentia facta.
Nulla mihi vestri venient oblivia, sancti
Auctores populi, vos et quicumque labore
Assiduo excolitis laeti sata pinguia campi [3].
Nomina vestra sacrae signata volumine vitae
Vivent perpetuo, neque deleat ulla vetustas.
Tanti principium motus tenditque fovetque
Pontificum senior Petrus, qui cuncta gubernat
Christi concilia, et totum complectitur orbem,
Ipse sedens primus romana Antistes in urbe.
Pone subit comes, et graviora negotia tractat
Tharsensis Paulus, lateri qui proximus adstat
Pontifici. Pietate pares Cletumque Linumque [4]
Ipse Pater voluit majoribus affore sacris,
Imposuitque manus, et sacris tempora vittis
Implicuit, quo Pontificem si magna vocarent,
Aut possent explere vicem, aut sequerentur euntem.
Nec minus insigni Clemens pietate coruscat
Caesarea de gente satus, magnaque refertus
Doctrina, atque comes Pauli. Prior iste senatus
Nascentis populi, haec sanctae custodia Romae.

Bis duodena fugax Titan peragraverat anni
Tempora, romanis ex quo vestigia terris
Firmarat Petrus, sedemque locarat habendam
Pontificum serie, quae nullo desinet aevo,
Et jam solemnes sacra lux fulgebat ad aras,
Cum vaga Jerusalem per compita maximus, ingens
Increpuit ventus, subito horrendoque fragore;
Linguarum in morem, summi fastigia tecti
Occupat ignis edax, quo dudum nocte dieque
Bisseni stabant proceres, votoque calenti
Orabant: Deus, ecce Deus, Spirabile Numen
Venerat e caelo, jamque omnipotentibus auris
Et flamma propiore algentia pectora nuper
Incoepere afflata calescere ; numine tacti
Nil mortale sonant, arcanaque mira loquuntur.
Scilicet ista novae fuerunt çunabula gentis [5].
Ex illo celebratus honos, ritusque sacrorum.
Immo si rediens exactis mensibus annus
Optandam semper lucem, semperque verendam
Attulerit, Patres morem tenuere vetustum,
Informem generis labem mortalibus aegris
Abluere, et sacro perfundere fonte paratos.
Tum vero gravior seniorem cura tenebat
Pontificem, suetos aris indicere honores.
Ergo his alloquitur comites: Lux sacra propinquat,
O socii, auspiciis novus unde potentibus orbis
Et nova saeclorum series pulcherrima coepit.
Qua maiore licet, sancta haec solemnia pompa
Concelebrare juvat. Modo quas sacravimus aras
Trino Unique Deo, penetralia sancta recludet
Noster Cornelius: magnus communibus aris

Christiadum numerus magna versabimur aula.
Laetifici suberit justissima causa triumphi;
Jamque meam (optarim certe) non abfore mortem
Crediderim, caeloque ostendunt plurima signa [6].
Tum vero ingenti Linus interfatus amore est:
Quae, Genitor, nos cumque jubes, faciemus ovantes.
At quid funesta turbaris imagine rerum?
Quid sine te gerimus? si caeli tanta cupido
Terrarumque odium, rape nos super aethera tecum.
Subrisit laetum pietatis imagine tanta
Grandaevus Senior: mox Cletus talia subdit:
Exultare juvet potius: namque omnia Romae
Procedunt melius: quacumque altaria surgunt,
Jamque triumphatrix totam regina per urbem
Relligio incedit, gaza praedives opima.
Quos deinde ignipotens sequitur facundia Pauli:
Nobiscum Deus est, caelo Deus omnia complet.
Vidistis nuper, sanctas qui factus ad aras
Concursus populi, cum maxima sacra redempti
Principium mundi, Romana Ecclesia sancto
Excoluit ritu? renovatum Golgotha, clavi,
Spinaeque et tenebrae et pendens e robore Numen
Tangunt Romulidas: fluvio descendit opimo
Respersus cruor, et Romanam perluit Urbem
Uberius, sacra quamplures in septa reducens.
Debita quae summo Genitori gratia! Romae
Quae tamen eveniunt, toto admiramur in orbe.
Christo cuncta patent, urbes, fora, castra, senatus.
Cerno equidem: Placido Petrus sic reddidit ore:
Ipse etiam cerno; cultu instaurata recenti
Omnia mutantur; novus excitus incipit orbis [7].

At stygius praedo umbrarum sua regna relinquet
Impune, et veteres usus, et credita vulgo
Et placitis firmata patrum documenta recedent
Antiquo dejecta loco? Victoria nostra est;
Horrida bella manent tamen, atque miserrima caedes:
Permulto sacrum firmandum sanguine verum.
Judaeos cerno studiis ardere malignis
Sollicitos veterum pro relligione parentum,
Et ritus odisse novos, nova sacra per urbes.
Omnibus objectum jam casibus, omnium egenum
Messiam sprevere: alium virtute superba
Praevalidum, solio insignem, sceptroque potentem
Venturum expectant regem, qui reddat honores
Antiquos, regnumque evicto terminet orbe.
Infelix Judae soboles! spe fervida rerum
Sperat adhuc, foedaque oculos ab nocte gravatos
Nescia terrenis curis extollere, votum
Regni immortale, et caeli stellantis honores
Despicit. Adde Sophos, verique arcana sequentes.
Graecia languescit turpi moritura veterno.
Pars dubitat: vana certatim indagine fessa
Naturam semper fugientem quaerere, mente
Ambigua irrequieta haeret, arcanaque sensa
Doctrinasque novas elata mente recusat:
Pars mala terrigenûm novit, sed posse mederi
Desperans, vanique diu pertaesa laboris
Diae particulam auräi per sordida perdit
Otia, divitiis aut luxuriatur opimis.
Quid vero memorem juris legumque peritos?
Hic Roma in media celebrati oracula juris
Assueti lustrare vident nova cuncta: potenti

Aequalem domino famulum, uxoremque marito
Haud servam, at sociam; natos in jura vocatos
Aequa patrum; veterum magno pro jure quiritum
Humanum cernunt jus passim exsurgere; cunctas
Terrigenûm gentes communi foedere jungi;
Romam orbis dominam pomoeria frangere prisca,
Legem unam, atque unum legis caput omnis amorem [8].
Quid demum recolo, tota quae regnat in urbe
Caeca superstitio? et falsis famulantia divis
Agmina? deses erit Mystarum exercitus ingens?
Praeterea phlegethontaeus si tartarus iras
Evomet heu! male compressas, socia agmina jungent
Tot tantique hostes, conjuratoque tumultu
Concurrent: unus clamor, meta omnibus una
Principiis obstare, novam pessumdare gentem,
Exturbare novos ausus, vetera omnia in orbe
Tutari, antiquo vaga saecula sistere cursu.
At vos, o Juvenes, ne quae fallacia pacis
Decipiat, certum impavidi praevertite bellum.
Unde ferum erumpet certamen? totius orbis
Irruit eluvies populosa in compita Romae,
Pugnantque adverso civilia semina motu.
Hic, male qua sarta imperii compage moratur
Exitiosa lues, urbemque perurit, agendum
De summa rerum. Si tantum robur, ut ingens
Roma queat tandem veteres evertere ritus,
Si capitolina sanctum supereminet arce
Vexillum, victus parebit maximus orbis:
Romanae cursus aquilae, Crux inclyta Christi,
Anteibis, volucrique gradu trans moenia mundi
Romulei volitans, populis tua jura vocatis

Dictabis, totumque potens moderaberis orbem,
Imperii domina et rerum. Sic ille: tacetque
Attonitus, rerum venientia fata volutans.
Immoti circum juvenes tacuere; stupentes
Terrificum horrescunt carmen casusque futuros.
Tum vero Paulus taciturna silentia rumpit:
At Pater Omnipotens bene digerit omnia caelo.
Errantes Isräelis oves tu pascere missus [9],
Atque ego caecigenas ex umbra educere gentes [10],
Qua mandata vocant, urbem convenimus unam,
Sacra Palaestinae, quaque Ethnica sacra supersunt
Extinguenda: triumphatos qua cogit in unum
Urbs populos, medio quae condita surgit in orbe [11],
Et fidei custos lecta est, morumque magistra,
Debellare decet, magnumque referre triumphum.
At neque carnificum rabies [12], neque tela, neque enses,
Nec quicumque furor nos dio evellet amore,
Quem docuit Christus, sancto meruitque cruore.
Imus, et insignem, laetanti pectore, Jesu
Perferimus famam: nil cetera cuncta moramur.
Talia, quae Paulus facundo fuderat ore,
Maximus audierat Pastor, visoque periclo
Jam propiore, hilari testatur gaudia vultu,
Atque ait: ah! memini, et nimium meminisse juvabit,
Quae quondam cecinit galilaeo in littore Jesus:
» Dum validae superant [13] juvenili in corpore vires,
» Ipsemet indueris: quo te fert cumque voluntas,
» Incedis, motans alacri vestigia gressu.
» At, senio adveniente, rigescent membra, manusque
» Extendes, notoque alius te cinget amictu,
» Invitusque trahere ». Deus neque plura locutus.

Ast ego quid terris moror amplius? omnia, Jesu,
Omnia moesta mihi sine te, mea sola voluptas.
Annua festivo redeunt solemnia cultu
Fors extrema mihi. Christus mandata relinquens
Admonuit magna in summo fore gaudia caelo,
Devia si quondam patrio succedit ovili
Infelix agna [14]. Observent mandata minores.
Magnificas ornate aras, sacra liba parate.
Ite, boni: vincet pietas obstantia cuncta.
Dixerat, et quamvis mentem per plurima versant
Magnanimi juvenes, praecepta facessere gaudent.
Inde dolent, carique senis praesagia terrent;
Laetitia hinc secura movet, minuitque dolorem
Gloria Christigenûm, et Patris exultantis imago.
Ocyor hic Paulus opera ad caelestia pergit,
Quae pia Relligio per totam digerit urbem.
Pontificum Senior solus, Clemente ministro,
Fungitur officiis, quae poscit maxima Roma,
Seu res Christiadum totum dispersa per orbem.
Notam namque domum cunctis e partibus aegri
Quaerebant inopesque, et tristi corpore saepe
Illius imperio visi discedere morbi.
Pastores ovium ausoniis regionibus adsunt,
Si quidquam grex indigeat: mox littore coo
Legati seu laeta ferunt, seu tristia Patri,
Seu consulta petunt: patrio commotus amore
Excipit ipse omnes, dumque aethere dius ab alto
Spiritus inspirat, Christique in imagine tota
Mens manet, insomnisque docet prudentia veri
Inviolata sequi, et populis ostendere jura.
At vos, aetherei decus immortale senatus,

Aligeri coetus, qui prima sub ordia magni
Pontificis servastis iter, qui grandia facta
Temporis antiqui obscoenis erepta tenebris
Donatis semper viridi florescere honore,
Dicite, Caelicolae, nec vos memorare pigebit,
Quae tacitam Petri pertentant gaudia mentem?
Laetitiae quae causa novae? quae pompa triumphi?
Doctrinis imbuta sacris, vitamque peractam
Exosa adspergi properat lustralibus undis
Virgo, romanis ipsis praelata puellis
Egregia forma, et thalamo dignata Neronis.
Eune nomen erat praeclarae virginis: Hellas
Patria; maiores claro de sanguine nati.
Illam supremi monimentum et pignus amoris
Sollicitus genitor caris eduxerat ulnis.
Postquam Cymothöe sobolem connixa cupitam
Partu ipso occubuit, carae Iphitus ipse puellae
Adsedit custos, graecaque exercuit arte
Ingenium, edocuitque humiles contemnere curas.
Non illa quidquam formosius Attica vidit;
Et dum purpureo rideret flore juventa,
Aemula daedaleae cultrix operata minervae,
Seu picturatas densaret stamine telas,
Seu phrygium in morem intertexto incenderet auro
Purpuream chlamydem, ingenti florebat honore.
Tum vero magis, atque magis stipatur ovanti
Agmine nobilium, simul aurea tecta, domusque
Otia deseruit. Laetam videre disertos
Pieridum celebrare choros, phoeboque favente,
Dulcia nunc molli meditari carmina voce,
Nunc lecta fretam cithara fidibusque canoris

Anxia sollicitis exolvere pectora curis.
Hos inter plausus, caro dilecta parenti
Eune crescebat: blandae decora inclyta formae
Attoniti aequales spectant, gaudentque tueri,
Et multi optatam cupiunt sibi jungere sponsam.
Praecipue cupit ante alios bene cognitus olli
Hermus, magnanimus juvenis, quo clarior alter
Non erat, argolica neque fortunatior ora
Divitiis, proavisque, et pulchro corpore pollens.
At Genitor tali conjungi foedere natam
Abnegat, et juvenem saepe aspernatus amantem est.
Namque Hermus Christum studioso ardebat amore;
Iphitus at falsos cultus sectatus avorum
Maeoniaeque colens animo simulamina musae,
Graecia quot genuit, tercentum numina adorat,
Christi indignatus late crebrescere nomen.
Quo tamen increpitat Genitor magis, atque roganti
Nequicquam natae multa et metuenda minatur,
Crescit amor: Virgo infelix te deperit, Herme,
Te, veniente die, te, decedente, requirit;
Nec comitum celebrare choros juvat; omnia muta,
Omnia sola placent: animam lenire dolentem
Non citharae murmur, non dulcia carmina possunt.
Deserit interea juvenes vigor integer artus;
Disperiit vis illa animo, color ille venusto
Fugit ab ore; aegris pallescit saucia curis,
Et tantos letho properat finire labores.
Ast amens rabies extrema per omnia patrem
Impellit: nullis precibus votisque movetur;
Et patrio migrare solo, in terrasque latentes
Eunen ferre libet potius, si corde calentem

Excussisse queat flammam, si dulcis imago
Paullatim evaleat dilectae abscedere formae.
Cuncta parata fugae. Laetas jam linquit Athenas
Impatiens; siculae radit jam littora terrae.
Adsumus: an portus delati intramus amicos?
Visere, nata, libet nostro qui sanguine creti
Jamdudum cupiere tuos cognoscere vultus.
Quam volupe ingenti ferventem murmure portum,
Turresque adspicere, unde potens Sophus [15] aequore in alto
Instructam contra classem tormenta movebat!
Ut ver purpureum ridet florente corona!
Aura syracosii repetens modulamina vatis [16]
Leniter adspirat, laetisque e collibus Hyblae
Daedala certat apis dulces geminare susurros.
Tum vero horrificis immugiit Aetna cavernis,
Et vaga pinifero subtexens sidera fumo
Flammarumque globos liquefactaque saxa sub auras
Evomuit; resonis torrenti flumine saxis
Diluvium ruit: heu quantos spes alma colonos
Deficit! heu quantas acies vulcania sylvas
Diruit, urget, agit: trepidat vicinia, at hospes
Ignea prospectat naturae arcana furentis.
Cum patre deerrantem natam laetissima cernit
Insula dives opum, qua flavis tempora spicis
Ornat pulchra Ceres [17], qua lata per arva puellam
Texentem laetos in serta nitentia flores
Abripuit secum, et stygias deduxit ad umbras
Insidians Pluto. (Sic veris falsa remiscens
Graecia monstrabat glebis requiescere semen
Triticeum effossis, caecaque in nocte latere).
Omnibus intentos ludis Trinacria tellus

Bisquinas tenuit luces: mox lenior aura
Per mare velivolum euboicas obvertit ad undas,
Et laeto excepit gremio pulcherrima Siren,
Siren insidiosa viris, lectisque puellis
Insidiosa, jubar qua purius äera vestit
Purpureum, ridet tellus, mare, sidera, caelum.
Qua laetam frontem pomis ornatus opimis
Tollit Pausilypus, qua candida Mergelline
Littoribus myrteta sacris viridantia jactat,
Ibant laetati comites, et candida virgo
Incedens veterem obliviscebatur amorem.
Praeteritas Genitor studet ipse avertere curas,
Plurima promittens natae, insolitisque moratam
Illecebris tandem romanam educit ad urbem.
Forte Nero Romae genialia festa parabat,
Nomine dicta novo Juvenalia [18]; namque Juventus
Exlex, atque sui compos, sine more, per urbem
Luxuriabat ovans, caecisque undantia laxans
Lora cupidinibus per turpia cuncta ruebat.
Non aetas quemquem prohibet, non splendor honorum,
Priscave nobilitas: nullo discrimine, turpi
Omnes conveniunt ludo, nomenque professi
Ludicra exercent, seu graeco sive latino
More, incomposite mimorum obscoena jocantes.
Quin etiam illectae praeclara e gente puellae [19]
Principis ante oculos meditari informia. Stabant
Umbrifero in nemore, et circum cava stagna frequentes
Cauponae, et luxus irritamenta nefandi.
Gliscere flagitia inde magis, penitusque labare
Jamjàm corrupti mores; infamia crescit.
Vix hominis pudor [20] intactus retinetur honestis

Artibus: indomita stimulante libidine, nam quae
Tuta pudicitia aut fama immaculata manebit?
Dum laxis equitat bacchata licentia habenis,
Incedit Nero per medios, citharamque retentat
Artis opus rarae: regem comitantur ovantem
Ingens turba patrum atque equitum lectique tribuni,
Robore praestantes cuncti, viridique juventa,
Augustanorum [21] claro cognomine dicti.
Pars levis ingenio, atque procax; pars altera sperans
Principis obsequio ad magnos ascendere honores,
Plaudere praestanti formae, vocemque Neronis
Caelestem laudare, deumque in vota vocare.
Infelix genitor, quae te dementia cepit?
Unica nata tibi, tibi quod pulcherrima nata
Contigerat, grajae te terque quaterque beatum
Clamabant matres! nunc rerum vertitur ordo,
Et tua turbatur tristi domus obsita luctu!
Ecquidnam pergis tanto insanire furore
Contra Christiadas? pietas nataeque tuique
Te moveat: natam spernis sociare marito
Christicolae? heu! nescis quae jam lapsura ruina
Immineat? heu! nescis Romae regnare Neronem?
Tuque lupo, Pater, horrendo sponte objicis agnam?
Iphitus ingrediens populosae moenia Romae
Ut, strepitu in magno, solemnia festa parari
Audiit, et natam spectacla ad foeda trahebat.
Postquam divina modulatus carmina voce
Paullisper Princeps requievit, plausibus aula
Personat innumeris, sequitur tamen ordine longo
Dulce melos, cantuque novo certamina magnae
Matronae incipiunt. Musis certantibus ipse

Ludorum rector Nero praesidet, ipse canentes
Ore regit gestuque. Ecquid non aemula virtus
Audaci flamma juvenilia pectora cogit?
Artis amor vincit, laudisque immensa cupido:
Et cunctis ignota hilari pulcherrima vultu
Prosilit in medium Cantatrix attica. Qualis
Aestate in media, plenis ubi nubibus imber
Arentes irrorat agros, caelumque frequenti
Igne micat, mox primae inter confinia lucis,
Nubila si cedunt, et tempestate remissa
Rursum tranquilli redit indulgentia caeli,
Surgens siderio scintillat Lucifer igne,
Atque serenato ridet pulcherrimus ore,
Ore tamen signata legis vestigia flentis
Naturae, illatam arboribusque satisque ruinam;
Conspectu in medio talis se graeca Virago
Obtulit: egregio licet ore videre dolores
Antiquos curasque, novo quas flore juventae
Lumen purpureum, et species pulcherrima vincit.
Ut tetigit citharam, ut vario modulamine vocem
Inflexit dulcem, tenuere silentia cuncti;
An Phoebi soror et magna de stirpe Dearum?
Sic secum attoniti: neque jam celebrata faventum
Exultare virûm plausu cessaverat aula,
Reginamque chori dicunt, primamque sororum
Calliopem docti liquisse cacumina Pindi.
Sic admirantes vario sermone loquuntur,
Multaque scitantur peregrina e virgine, nomen
Et patriam et genus: ante alios deterrimus unus
Applaudit Princeps, crimenque paratus ad omne
Virgineo in vultu flammantia lumina fixit,

Ignescitque tuens, rapiturque cupidine caeca.
Ergo pro dulci sponso thalamoque fideli
Sacrilegus dabitur Nero? pro sanctis hymenaeis
Foedi concubitus? Christi non sanctus ad aras
Annulus optatam juveni permittet habendam?
Vi rapiet praedo? servabas talia natae
Gaudia non prudens Genitor? tua crimina seris
Mutabis lacrymis: querulis plangoribus aulam
Circumiens frustra caelum terramque lacesses!
Noctes atque dies augustas pervigil aedes
Custodit miles: penetrali in sede latebit
Eune: quî liceat funestum insistere limen?
At tibi, quod minime reris, Pater, afferet Hermus
Speratum auxilium, natamque tuebitur Hermus.
Infelix juvenis, voto deceptus inani,
Ex quo cecropios iam deseruisse penates
Speratam vidit, mediasque obeuntia terras
Ingressam maria externis considere regnis,
Quod superest unum, sacratae advolvitur arae,
Multaque semianimi suspendit vota labello,
Christe, tibi amissa pro virgine, proque parente.
Caelesti rata vota facis tu numine, Christe,
Atque insperatae via fulsit prima salutis.
Interiora domus servabat limina Calvus,
Calvus, qui domino famulus fidissimus odit
Attamen infandis pollutam sordibus aulam.
Olli Grajugenae fuerat concredita cura.
Ut miseras vidit lacrymas, ut facta vicesque
Audiit, ipse diu imperii pertaesus herilis,
(Et Christi innocuo dederat jam nomen ovili)
Dulcibus alloquiis certat lenire dolentem,

Conjurantque (ollis mentem Deus ipse ministrat)
Frangere servitii juga dura, fugamque parare.
Ergo discedunt taciti, jam nocte silenti,
Foedaque non observati penetralia linquunt,
Patriciumque petunt Vicum [22]. Quae gaudia pectus
Tentavere tuum, divini maxime ruris
Villice, [23] cum pariter trepido contendere gressu
Spectasti geminos, errantia pignora, natos,
Illum romanum, si vestem respicis, illam
Argolicam? Ut Christi narrantis dicta subibant!
Caelestis dominus quacumque vocabit in hora
Agricolas, seu mane novo, seu vespere sero [24].
Ut steterunt coram, curvato corpore terrae
Procubuere ultro, et pedibus volvuntur amatis,
Pontifici nihil effati: nam verba frequentes
Impediunt lacrymae et miseri suspiria cordis.
Turbatos errore viae, et graviora timentes
Excepit Petrus, et veniendi discere caussas
Exultans: Fratres, inquit, timor omnis abesto;
Vobis tuta domus: sedes intrastis amicas,
Urbis qua obscoenae vitant contagia foeda
Christicolae, et vitam orando traducere gaudent.
Hoc placet, affatur Calvus; Pater optime, nobis
Hoc concede: diu fidus sequor assecla Paulum,
Qui me Christiadum docuit praecepta, piisque
Addidit ordinibus. Turpi diffugimus aula
Ipse, et quam cernis, graeco sata sanguine virgo.
Atque hic suspirans, imoque a pectore vocem
Virgo trahens multa ingemuit: mox lumina tergit,
Lumina funesto dudum saturata dolore,
Et saevas narrare vices exorsa, laboresque

Antiquos, infelices memoravit amores,
Et patrem obstantem; ut romanam advenerit urbem,
Ut, laeto plaudente choro, tristi arserit igne
Infandus Princeps, caro ereptamque parenti
Servitio addictam in foedam transduxerit aulam.
Inde huc advenio: miserans, Pater optime, nostrum
Si qua tibi miserae pietas, defende pudorem.
Hoc unum precor. Haec medio interfata dolore est,
Demisitque oculos. Paucis ita reddidit olli
Magnanimus Senior dictis solatus amicis:
Quod metuas, nihil est: miseris succurrere nostra
Suadet Relligio, et curas medicarier aegras.
Fide, Puella, Deo: salvos sponsumque patremque
Ipse Deus reddet, certum mens augurat: at tu
Disce orare Deum, nostrisque assuescito votis.
   Eune jamdudum arcanis contecta latebris
Caverat insidias omnes suspectaque furta:
Nec longum tempus Caesar submota petebat
Littora Bajarum: profugam tota urbe puellam
Quaerere desierat lictorum turbida cura,
Cum sacrata dies festo fulgebat ad aras.
Jamque piis edocta adytis mysteria virgo
Argolica ad sanctos poterat procedere fontes:
Cuncta parare jubet sacris Petrus; annua cultu
Exhilarare novo praestat solemnia: praestat
Laetos Christiadas sanctos celebrare triumphos,
Adventumque Aurae, et diae miracula dextrae. —
   Qua manet Exquiliis spatiata salubribus ora,
Aggere in aprico, et purissimus enitet aether,
Ex quo Mecaenas [25] removens obscoena sepulcra
Consevit croceis halantes floribus hortos,

Inter odoratum nemus, aedificare domorum
Conspicuas moles opulentûm cura Quiritum
Sueverat. Hic propius dictum de vimine collem [26],
Inclyta surgebant augusti moenia tecti,
Quo pia Relligio praecelsa palatia regum
Ingrediens sacri posuit primordia cultus.
Namque Pudens, magnus clara de gente senator,
Jampridem coetu Hebraeûm versatus amico,
Audierat magnum caelo terraque potentem
Portendi regem [27], Solymae qui extolleret arces,
Excidio Romae. Simul haec, simul ore diserto
Pontificem magnum retegentem abscondita rerum
Audiit, et natum judaea e virgine regem
Christum ostendentem. Tum forte veterrima ficus [28],
Quae texit quondam gemina incunabula fratrum,
Ramosque ingentes, annosaque brachia pandens
Per Comitî campum, magnae primordia Romae
Imperiumque datum antiquis memorarat ab annis,
De caelo ceu tacta repente exaruit: ingens
Stat truncus primo spoliatus honore, comaeque
Luxuries Romam spatiosa destitit umbra
Protegere, augurium saeclis insigne futuris.
Terrificum monitum commotam perculit urbem,
Tristiaque horribiles cecinerunt omina vates.
Continuo Petrus: Romani, cernite, vosque
Cernite, Judaei, quod formidabile caelo
Monstratur signum. Solymae ficulnea, Christi
Imperio arescens judaeae oracula legis
Deleta ostendit: neque enim sine numine ficus
Romulea arescit, figmentaque diruta Romae
Nunciat antiquae. Capitolino altera clivo

Arbos consurgit, ramis felicibus arbos
Complexura omnem frondenti vertice mundum.
Arbos est Christi Crux inclyta, magna recentum
Tessera Christiadum. Tali sermone loquentem
Audierunt gentes: tetigit divina Pudentem
Gratia. Romano insignis splendore Senator
Irrita dejecit Romae simulacra vetustae,
Et natas natosque vovet tibi, Christe, domumque.
Quod generis fortuna potens, quod splendida honorum
Nobilitas olli sociato sanguine multas
Miscuerat gentes, inopino se extulit auctu
Relligio, insueta et coepit lucescere luce.
Limina pontificum Senior reserata frequentat [29],
Unde videt majora novo subolescere regno
Incrementa. Suum praesenti pignore firmans
Obsequium tectis statuit penetralibus ingens
Augustum templum: tibi enim tibi nomine sacrat,
Sancta aeterna Trias, quae caelo arcana sereno
Nunc primum miseras dignare invisere terras,
Hactenus ignota ostendens mysteria rerum [30].
Inde sacerdotum sacrato chrysmate inuncta
Egreditur legio: totum inde incedit in orbem,
Qua sol exoritur, qua deficit, inclytus ordo
Pontificum enatam quacumque effundere lucem.
Clarior haec etiam romana exurgit in urbe
Orandi statio: hac magno solemnia cultu
Christiadum cupidas coepere attollere mentes,
Debitaque emicuit primo reverentia templo.
Namque in vestibulo pura circumnitet unda
Delubrum: [31] puro stat tanta potentia fonti
Verbisquē arcanis! Primae contagia noxae

Linquit terrigena: instaurata renascitur igne
Vita sacro, patriique libens capit omina caeli.
Auläi in morem vastae, venerabile templum
Panditur, augusta quod relligione verendum
Roma recens celebrat, varioque operosa nitore
Ornavit pietas. Auro laquearia fulgent,
Auratacque trabes, variisque intexta figuris
Ridet parietibus, tangitque immota tuentum
Lumina sanctarum effigies pulcherrima rerum [32].
Qua vero primos ortus primumque salutas
Solem, (namque oriens [33] Christi venientis imago
Extabat patribus, turbaeque e more precantur
Sic positae) divina Domus [34] spatiata recedit;
Et mensa e ligno sanctam curvatur in arcam,
Isacidûm antiqui monimentum foederis arcam,
Quam subter bene composita clauduntur in urna
Relliquiae ingentes, [35] adsuntque insigne trophaeum,
Quo super augustum mactatur victima sacrum,
Magnanimi cineres Jacob, Stephanique ministri,
Qui sanctum Solymis effuso sanguine verbum
Testati, caelo insignem meruere coronam.
Praemissi comites, laeti persolvere summo
Sacra Deo, laeti Petro parere jubenti,
Ocyus incubuere animis, et festa parabant.
Omnia, pastorum nutu praeeunte, nitescunt.
Pars sanctae interiora domus, et marmora verrunt
Secta pavimenti. Magni mercantur honorum
Officium mage quam laetos spatiarier altis
Porticibus regum, pictisque sedere tapetis.
Ornatus [36] alii magnos aulaeaque latis
Expediunt abacis, sacrae decora inclyta pompae:

Postibus affigunt in serta nitentia flores;
Floribus exornant aras, taedaque frequenti
Lampadis exhilarant, panchaeaque thura ministrant.
Ast alii, quorum maior sic postulat ordo,
Sacriferi libanda parant laticemque lyaeum
Et puras fruges, sacrisque altaribus aptos
Argento calices, auroque insignia vasa.
Hos inter motus sol quinquagesimus, ex quo
E tumulo Christus superas surrexit ad auras,
Lucem exoptatam, et festum solemne ferebat;
Praeque diem sanctum veniens aurora serenae
Vix colles Albae, et nemorosas Tiburis arces,
Et flavum Tiberim laeto formosius ore
Irradiare parat, solemnibus excita sacris
Atque morae impatiens signata cacumina quaerit
Aurea Christiadum soboles, quoscumque per amplos
Romae circuitus pietas ad sacra vocabat.
Supremum Patrem dextra laevaque coronant
Delecti proceres, neque longo tempore coetu
Omnia laetanti fervent penetralia. Cunctos
Ad solemne sacrum juvat ire, et discere magnas
Christiadum gazas, et vastum cernere templum.
Laetitia et pietate Pudens supereminet omnes,
Alloquioque fovet suavi, perque omnia ducit.
Ecce autem magno in numero se Cletus agebat,
Qui tantam comitum spectans crebrescere turbam,
Pontifici magno accedens sic fatur ad aurem:
Sancte Parens, quidnam facimus? vix deficit unus,
Qui nostri pars prima chori, nec carior alter
Jure tibi Paulus. Paucis ita reddidit Heros:
Id video, in curasque animus diducitur anceps:

Hesterna liquit tantum me luce; vocabant
Adsuetae curae, et pietas operosa per urbem.
Quae tantae tenuere morae? nec credere quivi,
Ni gravis impediat casus, solemnibus horis
Defore: dira meam turbant praesagia mentem.
Sed trahere, atque moram sacris licet addere nostris.
Fortunatum agmen sacra mirabitur aede
Tot decora, artificumque manus, operumque labores.
Jamque, jubente Petro, templi reserata patescunt
Limina. Ceu quondam Virgo, pulcherrima virgo,
Fratres quam unanimes per mutua munera magno
Ornarunt cultu; juveni nuptura marito
Laetato incedit gressu, formosa decoram
Caesariem, vestesque auro formosa micantes;
Unam mirantur matres, gaudetque tueri
Tota phalanx comitata virum, praetermicat una
Mundo dotali, magnoque in honore voluptas
Eminet ex oculis; formosa Ecclesia talis
Circumquaque nitet, sanctisque ardoribus ardens
Concelebrare parat sponsi caelestis amores.
Ingreditur pia turba sacro suspensa timore.
Christigenae stupuere auri, argentique metalla,
Quae Deus infudit latebrosa in viscera terrae,
Eruta sic melius, primo sacrata Parenti.
Praecipue cupidis oculis miracla nitentum
Contemplatur opum, picturatasque tabellas
Perlegit, insueta pascens dulcedine mentem.
Namque potens Lucas, [37] cui magnus cedat Apelles,
Pingere sive velit casus, seu fingere in auro,
Gestierat priscis rerum variare figuris
Juncturas laterum, et summi laquearia tecti.

At non maeoniae pollens facundia musae [38],
Ascraei [39] non mella senis benecolentia sanctam
Spiravere animam: graiae languere camoenae
Coeperat ingenium, simul ac sanctissima veri
Lampas nativo exposuit nova cuncta colore.
Nec novit Maro, nec magni ipse repertor Homerus
Carminis ingentem venam, qua liquitur unda
Largiflua, atque potens magnos accendere vates
Plenius et melius, juga quam parnassia Cirrhae [40],
Pindusque atque Helicon, fluvio et Permessus amoeno.
Assuetus Lucas calefacta effingere mente
Illustres species, celebrata volumina volvit,
Quae patribus quondam afflavit divinior aura;
Et qualem Isacidae caelesti numine vates
Exciti, Christum saeclis cecinere futuris,
Expressit veterem effigiem, catus arte magistra.
Inventor juvenis, laeto spectabilis ore
Attonitis populis monumentum insigne, recentes
Ostentabat opes, veterumque arcana praeibat.
Ergo tholi fixus sancta ad fastigia pendet
Agnus [41] candidior, quem multo baltheus auro
Purpureus cingit, niveaeque micantia lanae
Vellera vestierant. Te candidus indicat Agnus,
Jesu servator generis; zona aurea cingens
Ilia justitiam flammamque ostendit amoris.
Proxima deinde boni sequitur pastoris [42] imago.
Cernite: Pastorem per gramina mollia laetum
Innumerae comitantur oves, quas conspicit omnes
Ludere subridens. Unam quae forte resedit
Segnior, ipse humero attollit, pedibusque prehensam
Fert utraque manu. Auspiciis felicibus, ite,

Candidae oves; Christus caelo bona pabula monstrat.
Nonne audire juvat vocem pastoris amati?
Ecce supercilium clivosi tramitis, atque
Montanus vertex superas evadit ad auras.
Desuper ara nitet, humerisque arentia ligna
Innocuus portat juvenis [43] patremque videtur
Quaerere (statque pater, vaginaque eripit ensem
Fulmineum): jam ligna vides: quae victima sacro?
Ille nihil: tantumque obtutu immobilis uno
Haeret inexpletum, positasque propinquat ad aras,
Sacro operaturus. Magno sic, Christe, Parenti
Victima procumbis funesto in vertice montis:
Tantus amor nostri tenuit te, tanta cupido.
Quis vero ille autem juvenis regione patenti
Camporum graditur? duplex exercitus haeret,
Compositis armis; [44] gestit judaea propago
Impatiens: frons laeta parum tibi, foeda Philistim.
Impavidus juvenis magnum procedit in aequor:
Horridus aspectu, horrendis circumdatus armis
Ingenti se mole gigas movet: ille quaterna
Junior amplexus laeva praegrandia saxa
Circumagit quintum funda, magnumque lacessit
Risorem, saxo frontem feriturus iniquam.
Una manus Christi infernum pessumdedit hostem.
Nec procul hinc Tobiam [45] miraberis egredientem
Fluminibus patriis, piscisque avulsa tenentem
Exta jecur, clausos oculos reserare parenti
Laturum auxilium. Quis caligantia nocte
Lumina concessit magna clarescere luce,
Ni tu, Christe Pater? Duplex memorabat Ionam [46]
Effigies; alia truculenti bellua ponti

Immani absorptum revomebat ab ore prophetam:
Tres illum luces, in concava viscera, vastum
Per mare, tres retulit noctes: vix quarta rubescit [47]
Eos, monstratae deponit margine ripae.
Non aliud spatium funesto marmore Christus
Delituit: terram sol irrorabat eoam
Tertius, et superas victor veniebat ad auras.
Parte alia moestum vatem, saxoque sedentem
Adspiceres: variis suspensa cucurbita ramis
Plurima: fatali illabens vix ore momordit
Exiguus vermis, frondes arescere visae,
Et steriles aegra moriuntur in arbore fructus.
Scilicet alludens vates absumpta canebat
Arcana Hebraeûm: delet simulantia verum;
Extinctaeque umbrae, sole exoriente, recedunt.
Magnanime o juvenis, nutans defendere verum
Ne dubita: falsi convictus procidet hostis,
Justitiam verumque Deus tutabitur ipse.
Cernite, uti Daniel [48] latebroso carceris antro
Egreditur? mites posita feritate leones
Stant lateri, inque crucis morem juvenilia pandit
Brachia. Funereo Servator stipite servat
Terrigenas, stygiumque potens detrudit in orcum
Horrida monstra feras, verumque in luce reponit.
Talia, quae Pictor divina effinxerat arte,
Mirantur comites, oculosque per omnia vertunt.
Jamque faces radiant ardenti lampade, thuris
Exundans vapor assyrios exhalat odores;
Ecce autem patulas, cerealia munera, lances
Undantemque mero calicem, signisque rigentem
Altare in medium referebat rite minister.

Continuo auditum majoribus affore sacris
Tempora: Christigenas vocat in sua septa sacerdos.
Qua patet in longum venerabilis aula, recedit
Impatiens populus. Dextra laevaque frequentes
Replent presbyteri vacua absidis [49]: inde sequentes
Ordinibus variis, variaque aetate ministri.
Cetera gens totam templi discriminat aedem:
Hic matrum chorus, ille virûm; caput omne virorum
Nudum, [50] sed matres albo velamine celant.
Nec minus electi festis operarier aris
Sacriferi ornantur, magnumque e more coronant
Pontificem, egregiique parant gestamina cultus.
Ipse autem, crassae submoto tegmine vestis,
Induitur chlamydis non enarrabile textum,
Quod tua nata, Pudens, Christo devota virago
Neverat, et multo telam variaverat auro.
Qualis Pontificem Isacidam decoraverat olim
Infula, cum veteris stabant oracula templi,
Assurgit capiti , praelati nomen honoris,
Tergemino radians apice [51]: at vestigia firmat
Pastorale pedum, et munus denuntiat ingens
Monstrandi populis uberrima pabula Christi.
Sic templo interiore, novi praesagia regni,
Ornavere Senem mutandae insignia Romae.
Stant lateri illustres proceres, queis gloria maior
Pontificem summum comitari, maxima sacra
Dum facit, et pleno renovat mysteria coetu.
Ipse habitu incessuque patet, qui sceptra vicesque
Dictus habere Dei, cui caelum et tartara parent.
Suppliciter flexis dextra benedicit [52] et ore
Christigenis, cultusque sacri exteriora secula

Vivida vis animae. Defixi pectore toto
Obtutuque haerent uno, dum vota precesque
Nuncupat ante aram te exorans, Christe Redemptor,
Pro se, pro Roma, et quotquot complectitur orbis,
Caecigenis populis, et spe crescentis ovilis.
Ecce alia interea revocant sublimia mentes.
Procedens Cletus conferta per agmina: Fratres,
Laetus ait, pia fas aliis aperire futuris
Ostia Christicolis, sacro succedite fonti.
Dixit, et antetulit gressum. Vicina tenebat
Atria vestibuli candenti tegmine amicta
Turba frequens; neque enim concessum et limina prima
Indugredi, ante sacro Christi quam flumine mersi
Exuerint primae contagia foeda ruinae.
Grandaevus Senior festo cinctutus amictu
Prodibat, comitante choro sacrisque ministris,
Divini reserare pium baptismatis amnem.
Fons erat illimis, niveis argenteus undis.
Matres atque viri lymphae lustralis honorem
Expectant, cunctisque pio festa errat in ore
Laetitia, obscoenae linquunt dum gaudia Romae,
Nec peritura petunt caelestia praemia, pacti
Pulchram perpetier Christi pro nomine mortem.
Quae vero illa autem coetu stipatur honoro
Christiadum, primaque videtur fulgere palma?
Virginis argolicae nosco decus oraque: quanta
Majestas cultus! quantum mutatur ab illa,
Quae quondam graias ibat lasciva per urbes,
Nequicquam ardenti fingens nova gaudia mente!
Ex quo Relligio mendaces dispulit umbras,
Et docuit caeli trans sidera quaerere sponsum,

Cui queat ingenua tantum pietate placere,
Divitias miseras, vitae argumenta prioris
Deseruit: cunctos regit una modestia motus.
Jamque die sacra pietas studiosa sororum
Ornarat, vitaeque dedit monimenta recentis,
Selectam tunicam pura nive candidiorem:
Velat caesariem pepli mirabile textum,
Quod Plautilla [53] piae concesserat hospita sponsae.
Stat flavo capiti contexta corona, manusque
Lilia, pubentesque rosas, viridemque amaranthum
Daedala miscuerat. Radiantem lampade pura
Ipsa facem tenet in medio, pariterque secutae
Matronae tenuere facem; nova fronte relucet
Gratia, quam frustra sperarem aequare canendo,
Atque immortales oculis Deus afflat honores.
Talem Rex Salomon commota mente videbat
Engaddi juga perque Saron florentia culta
Formosa specie regalem errare puellam,
Vidit et obstupuit: talem se laeta ferebat
Argiva: assistunt comites, quarum ignea virtus
Christicolis dudum spectata, Pudentia, parque
Praxedes [54] forma: tamen aequa sororibus Eunc,
Qualis gemma recens quae auro intertexta rubenti
Emicuit, totam vivo splendore coronam
Ornans, ipsa praeit caelesti luce, charisque
Ignea dum roseo scintillat suavior ore,
Largifluum expectat rorem. Jamque hora propinquat,
Et Petrus in medio palmas utrasque tetendit,
Orans multa Deum: mox laeto suaviter ore
Alloquitur: Fratres [55] (alio nec nomine cunctos
Appellare licet), quoniam dare nomina nostris

Quaeritis ordinibus, cuncti juratis amorem
Aeternamque fidem Christo? Juramus, ad unum
Respondent. Petrus sequitur: Juratis [56] iniqui
Desidiem saecli, et sordes vitare pudendas?
Juramus: magna resonant plena atria voce.
Subsequitur Petrus: Metuenda capessere bella,
Cumque acherontaeo semper pugnare tyranno
Juratis? neque jam longe superesse pericla
Innumera intueor: Juramus, cetera turba
Inclamat clamore novo. Tum Claviger aulae
Aethereae propius sacrum progressus ad amnem:
Atque ego primigenae abstergens vestigia fraudis
Concretasque novas labes, in nomine Patris,
Perque Patris sobolem aeternam, per Flaminis auram
Christiadas faciam, in partem caelumque vocabo.
Talia dicebat Senior, lymphaque salubri
Gaudebat docilem venientum aspergere frontem.
Praecipue Argolica stat virgine cura: tuentur
Christicolae; Petrus paucis comitantibus ingens
Explicat arcanum, primaque ab origine factum,
Ut Pater Omnipotens penetrali e sede reduxit
Innocuam: ut sexu major generosa Virago
Ausa venenati furias vitare leonis.
Succedunt alii atque alii, sacroque renasci [57]
Exultant latice, et sancto adnumerantur ovili.
Ecce autem mira exhilarat solemnia signum
Caeleste! extemplo summi laquearia tecti
Subsiliunt, lucis radiis illustris et auro
Nimbus inardescit, totamque perambulat aedem,
Christiadasque petens lustrali fonte renatos
Attonitum supra caput adstat: terque resultat

Flammula, ter lambit roseos innoxia crines,
Et vox auricomam resonans discriminat aethram:
Parce metu, mea progenies: tibi traditus orbis
Totus in imperium, tibi cedet subdita tellus.
Praetrepidat signo insueto chorus omnis, at omnis
Excutitur subito timor, et fiducia crescit,
Longaevus simul eloquitur sic pauca Sacerdos:
Accipio, agnoscoque Deum, qui numine firmat
Praesenti comites ad bella gerenda paratos.
Este bonis animis: vestro mora nulla triumpho.
Talibus exactis, sacrorum maximus Auctor
Ad templum remeabat ovans, pandique jubebat
Augustos postes, veniensque examen inire.
Hoste triumphato, captorum corpora quondam
Per sacrum clivum Capitolia ad alta trahebat
Rhamnes ludibrium populo: Galilëius heros
Non vi, sed verbi devictos munere, fratres
In Christo genitos, et libertatis [58] adeptos
Officium, atque sui dominos in templa reducit,
Et caelo affectare viam, regnique paterni
Adscribi heredes [59] promisso pignore donat.
Postquam Christicolae sua quisque in septa recedunt,
Ipse, choro comitante, sacras procedit ad aras,
Maxima laturus summo libamina Patri.
Selecti interea juvenes modulamina laeta
Instituunt, sacroque novant praecordia cantu,
Et vox assensu vario ingeminata potentis
Talia Psalmicinis referebat carmina ad auras:
En urbs [60], en dilecta Deo urbs, quae vertice sancto
Stat fundata: novae plus ostia magna Sionis
Diligit Omnipotens, tua quam tentoria, Jacob.

O quae faticino de te decora inclyta cantu
Spiritus eloquitur! non uni moenia genti
Constitui: Aegyptus truculenta caede superbus
Abramidum, Babylon raptis tot clara tropoeis,
Et Tyros adveniet dives, fuscoque colore
Aethiopes, sanctaque pedes in sede locabunt.
Humana majora fide, mirandaque dictu!
Moenibus his vitam Deus ipse advenit ad aegram,
Atque urbem statuit? Deus haec manifesta locutus,
Testatique sacri per magna volumina vates,
Quo tabulis descripta patent tot nomina gentes
Et proceres; sancta qui cives urbe morari
Praetulerint, patriamque legent, jam pace recepta,
Et plaudent choreas, et gaudia tuta fruentur.
At Senior sacra incipiens laeto ore salutat
Orantem populum: conclamat voce Minister:
Fratres, amplexi pacis date sancta vicissim
Oscula: consurgunt omnes, atque oscula libant.
Quae pietas offert cerealia dona, sacerdos
Colligit ante aram: conscendit pulpita Lector,
Et Petrus explanans divina oracula, coetum
Laetitia exultans circumspicit, atque ita fatur:
Lecti Christiades, sanctae prima ordia Romae,
Quam vos cerno libens concursu accedere magno!
Triginta magnos volvit sol aureus orbes,
Cum Solymis supera Spirabile Numen ab aethra
Emicuit caeli mysteria magna recludens [61],
Et nos divinae laturi nuntia vocis
Egressi Solymis cunctas peragramus [62] in oras.
Quae Numa aricini per muta silentia luci
Colloquia Aegeriae [63] finxit, quae sacra Quirini

Imposuit populo, tenues ceu fumus in auras
Cedunt, exorto divini lumine solis.
At nova Roma throno stabit fundata potenti,
Quem nullae excutient furiae; si tartarus ipse
Ingruit armatus [64], victo insultabit inermis.
Ecce dies rediit festo solemnior omni,
Et venerabilior, sua qua promissa replevit
Omnipotens: « Ego vos, nati, non desero solos [65],
Aut indefensos: patriam regressus ad aulam
Consolaturam, omnigeno solamine mittam
Omnipotentem auram caelo, vestrumque morabor
In medio semper [66] ». Magnis fastigia coeptis
Imposuit Christus. Veluti post bella peracta,
Sicubi compositae firmantur foedera pacis,
Consociata fides per mutua pignora constat,
Haud aliter secum natura humana, Deusque
Sponsores rerum communia pignora mutant.
Corporis exuvias Christus superintulit astris,
Primitias hominis miseras; mirabile Flamen
Insuetum pignus terras descendit in imas.
Ex quo caelesti tantus stetit obses in ora,
Divinum ad solium succedere quimus, et ipsum
Fas contemplari numen. Vos, lecta propago
Christiadum, caelo laetatam extollite mentem.
Anne datam terris aliud firmare salutem
Munimen poterat, nisi Spiritus afforet almus [67]?
Dicam equidem in terris Ecclesia nulla maneret [68].
Qui praeco Romae, speculaque insomnis ab alta
Susceptam cunctas lucem diffundo per oras,
Quid certum immotumque loquar, cui credere fas est?
Si Romana fides [69] nequeat deerrare, nec unquam

Deficere, omne suo manat de munere: praesens
Ipsa ades, ipsa mihi dictas, Spirabilis aura.
Ipsa sacerdotum vario legis ordine, lectas
Consecrasque tribus: coetum Ipsa educis ovantem,
Nostraque per cunctas firmas vestigia terras,
Antiqui generis molem instaurare ruentem.
Ast opus insuetum mirabilis Aura patrabat
Flammea diversas jaculans per acumina linguas.
Scilicet ut fulvum purgatur in ignibus aurum [70],
Ignis inardescens generis miserabile coenum
Exuit, et virtute nova caelestibus aequat.
Et vos primitiae magni gregis [71], altera Roma,
Quae sensim occulto velut arbor crescitis aevo,
Si fertis Christi nomen, si dicere natos
Vos Deus ipse suos gaudet, patremque vicissim
Dicere quisque potest, si vobis certa cupido
Et spes siderei complere sedilia regni [72],
Muneris omne sui est. Spirabilis aura calore
Intus alit sancto, rerumque ad maxima raptat.
Ergo diem sanctam merito celebremus honore.
Non opis est nostrae dignas persolvere grates
Auctori tantorum operum: ast [73] innoxius Agnus,
Qui caelum longo aversum certamine terris
Conciliavit amans [74], et nostra piacula delens,
Concessam aeterno firmabit foedere pacem.
Ergo, dum summo mactabitur hostia Patri,
Solemnes adhibete preces, dapibusque sacratis
Instaurate animas, et spe praesumite caelum.
Sic ait, atque opera extemplo ad solemnia pergit.
Namque manu excepit cerealia dona, stupensque
Prodigium, supra omnipotentia verba [75] profatur

Anxius, atque Deum subnixo poplite adorat.
Et mox plena mero accepit carchesia, vocesque
Augustas repetit, nisuque acclinis eodem
Procubuit miri recolens mysteria facti.
Ipsa figura manet, speciesque colorque saporque,
Intus adest Christus, non observabile numen,
Qualis ab aetherea Deus olim lapsus ab ora
Omnipotens, miserique indutus corporis artus,
Bissenis sociis donatus nocte suprema.
Insuetas escas insuetaque pocula vini
Attonitus Senior populo ostendebat [76] ovanti:
Per cunctas terras anne altera natio, Fratres [77],
Numina habet propiora sibi, ceu proximus adstat
Christus? numen adest, praesens hac numen in ara.
Eia agite innocuis animis accedite, puris
Fas manibus, puris fas Christum tangere labris.
Dixerat, atque aram se densa examina circum
Effundunt, cereremque sacram laticemque lyaeum [78]
Demisso accipiunt vultu: sua cuique ministrat
Dona Pater dium corpus diumque cruorem.
Totum credo equidem tanta ad spectacula caelum
Emicuit: iuvenum legio sortita recentum
Christiadum curam, variis e partibus urbis,
Romae surgentis, renovatique [79] omina mundi
Spectatum veniunt. Fati manifesta futuri
Pars primos adytus densa cinxere corona,
Vestigantque vias, ne forsan turbidus hostis
Impune occurrat: pars versicoloribus alis
Vultus velantes roseos altaria circum
Agglomerant, pronique Deum venerantur, et orant,
Agmina Christiadum comitantes, debita caelo

Quae novere diu, caeloque attollere gaudent.
Per sacratam aedem tranquilla silentia regnant.
Intenti recolunt unum, cunctique stupescunt
Factum insuetum, ingens, domini caelestis amorem.
Nullum fit murmur: suspiria dulcia tantum
Et dulces gemitus commoto e pectore surgunt,
Sponte sua praesens Numen natura salutat.
Quis tibi tunc animus cernenti talia, Pastor?
Gaudia quanta tibi, Romae cunabula prima
Tanto virtutum redolentia flore tuenti?
Et magno exultat numero, et fervescere tanto
In Christum studio, et miseris valedicere terris
Conspicit, et magno languens absorptus amore,
Talia commemorat speratae gaudia taedae:
Ah! ego quam cerno Sulamitida [80]? quaeve virago,
Primo flore micans, a verticibus desertis
Ascendit, sponsique humeris innititur? illam
Quacumque incedit, nimbus comitatur odorus
Thurisque, et myrrae, et casiae, et beneolentis amomi.
Sexaginta illam fortissima pectora [81] cingunt,
Fulmineosque tenent gladios ad bella paratos
Nocturnas contra insidias hostesque diurnos.
O formosa mihi [82] nimium, o pulcherrima! casti
Exuperant oculi vivaci luce columbas!
Ut pulchrae rubuere genae, ceu turturis! utque
Candescit collum, et gemmata monilia vincit!
Ceu caprae Galaad tondentes vertice frondes,
Aureoli passim ludunt sine lege capilli,
Labraque sidonio fulgescunt murice tincta.
Vallibus Engaddi ceu candida lilia florent
Inter spineta, exuperas pulcherrima matrum

Natas; et fulgent nativo cuncta colore.
Quid si regali cinges diademate frontem,
Dilectique tui ad dextram Regina sedebis [83]
Aurata in veste, et vario circumdata coetu?
En jam fugit hyems, [84] hybernus fugit et imber.
Flores prodierunt culta e tellure; volucres
Implent ambrosias gratis concentibus auras.
Surge, [85] veni, propera, secura foramine petrae
Dilectum invenies: fragranti melle decora
Eloquia accipies, undanti flumine amoris
Impatiens nabis . . . Sic prima Ecclesia Romae
Pontifici dia apparebat imagine: tali
Carmine fatidicas laetus depromere dotes
Substitit: arcanus sensim deferbuit aestus
Attollitque animos caelo, gaudensque precatur:
Crescat grex ovium: crescat tibi gloria, Christe,
Et romana fides toto celebretur in orbe.
Christiades siluere, intentique ora tenentes
Despiciunt terram, caeloque assuescere discunt.
  Et jam finis erat sacro: saturata voluptas
Divinis epulis, gratesque e more solutae
Christiadum; sero properabat Vesper in axe.
Ibant sacrifici solemnes ponere vestes;
Turba sacris functa augusti de limine templi
Egreditur, vastis et circumfunditur aulis.
Tempore jam primo, cum dium exemplar amoris
Deseruit Christus terris, et origine ab una
Natos terrigenas docuit, spemque omnibus unam,
Expectare omnes communia gaudia caeli,
Assuerant certae per mutua vincula pacis
Christiades celebrare sacro convivia [86] coetu.

Sponte sua dives cerealia dona ferebat
Ante aram, fratres consolaturus egenos.
Intererant mensae nullo discrimine honoris
Divitiis pollens, et magna e gente creatus,
Et qui pauperior sub dio vivere adactus.
Turre fuit summa [87], romano splendida luxu
Corneliae aula domus ingens, effulta superbis
Porticibus, latosque patebat desuper hortos
Arboribus textos circum et viridantibus umbris.
Picta novo cultu, atque emblemate vermiculato
Structa pavimenta [88]; ingentis laquearia [89] tecti
Candescunt ebore, atque auro, caelataque monstrant,
Ornamentum ingens, veterum decora alta Quiritum.
Haerent parietibus specula [90], inductoque colore
Marmora, pensilibusque abacis tectoria lucent [91].
Talia romano extruxit coenacula more
Munificus divesque Pudens: hac sueverat aede
Post decisa urbis graviora negotia festam
Concelebrare dapem, et strato discumbere in ostro.
Tecta tamen luxu quondam maculata superbo
Heros mutavit meliori sorte, sacrisque
Usibus aptavit, quo Sancti foedere certo
Dulcia fraternis facerent convivia mensis.
Ex illo antiquos titulos amisit Apollo [92]:
Fortunata aedes Agape [93] cognomine dicta.
  Ergo, perfectis divinis rebus, in amplam
Christigenae intröeunt aulam, mensisque locatis
Sic temere accumbunt nulloque ex ordine fratres.
Dia procul ratio vani irritamina luxus
Esse jubet: populator opum, dissuasor honesti
Incautam luxus Romam matresque virosque

Perdidit: at parvo vivit contenta paratu
Simplex mundities, fraternum astringere nodum
Gaudens, atque animos patrio convertere caelo.
Collecta instituunt mensis oblata per aras
Munera: magnifici neque porro dextra Pudentis
Deficeret; tamen, ut constans sententia Patrum,
In commune ferunt communia gaudia, mentes
Ut sociae sancto copulentur foedere: Christus
Una quies cunctis, in Christo vivitur uno.
Christigenae interea genialia fercula carpunt;
Et rursum Senior veneranda volumina [94] Mosis
Evolvens recolit veterum miracula rerum.
Ille legit cunctans capita inter singula; cuncti
Intenti auditis instant, verasque loquelas
Defigunt animo, rerumque abscondita: terrae
Munere vescuntur simul, et caelestia libant.
Pontificem magnum rapuit vis ignea: volvens
Quo studio Deus Hebraeos per saecula duxit,
Qui nunc aversi Christo fera bella minantur,
Ingratum, o, inquit, genus; inviolabile foedus
Caelum inter terramque venit componere Christus.
Judaei fugiunt? at non te, Christe Redemptor,
Nos fugimus, nos ingentis prima omina regni.
Hic citharam auratam vicino a pariete raptam
Philologus [95] tulit in medium. Memorabile carmen
Dictârat sanctus juvenis; didicere puellae
Christiadum, didicit graias exosa camoenas
Psaltria . . . Quae assuêrat cantu temerare profano
Mollia fila lyrae, majoribus excita flammis
Argolicis numeris modulatur nobile carmen [96],
Exhilarans casta commota sedilia voce:

Salve, magna Patris soboles, salve inclyte custos
Terrigenûm, salve, magni bone pastor ovilis.
Qua voce aggrediar te dignos promere cantus?
Angelici salve coetus [97] lux maxima, et omnis
Omne potestatis caput, aeternique potestas
Imperii: tibi mille acies, tibi mille ministri
Aetherei comitantur, ovantique agmina gyro
Agglomerant cantare tuae praeconia laudis.
Salve: te lecti Isacidûm cecinere prophetae
Venturum vatem: stellata maior ab aula
Ipse aderas vates, operumque arcana futura
Diae inspirabas animae: mox praevia vatum
Carmina firmasti: mortali indutus amictu
Doctrinae aethereae totum documenta per orbem
Vulgasti caelo facta, et dignissima caelo.
Salve Rex regum [98]. Claro regumque ducumque
Sanguine deductus modo non regnabis in aede
Dilecti Jacob, cunctosque ab stirpe nepotes
Incolumes sistis patriae Chananitidos ora,
Imperium sine fine datum tibi, maxima mundi
Moenia: tu patrio terras aequabis olympo.
At nunc in titulos venit nova gloria: magnis
Eventis verum tenues quis conferet umbras?
Salve Pontificum primus, primusque sacerdos.
Primus pontificum [99] instituis nova sacra, Sacerdos
Primus sacra voves. Primaevo more parentum
Patres sacrifici loca vulgo abstrusa subibant,
Pocula gestantes fluido manantia rore
Post legale sacrum, et numen caeleste piabant.
Tu simul ac sanctam scelerato in robore vitam
Fudisti, caelum ingrederis: qui monte nefasto

Calvariae summo placabilis hostia Patri
Concideras, nostris altaribus hostia praesens
Mactaris, nostrae pretia infinita salutis.
Tu genus humanum indubitata potentia Patris
Corpore servasti atque animo: tua gratia vitam
Expertem labis donat traducere terris;
Atque ubi terrificas clanget tuba magna per auras,
Surgere donabit tumulis, coetusque micantes
Praecingent meritam immortali e flore coronam.
Talia cantabat Virgo: modulamina laeta
Commotae tulerant aurae: loca proxima sacro
Exultant motu; placido Tibris exerit alveo
Laetatam frontem, stupefactaque constitit unda,
Et septingemino laetantur vertice colles.
Christigenae stupuere novae gravitate camoenae,
Quae primum impuros desueta cupidinis ignes
Concinere, hebraea se maiestate revolvens
Tentârat Christi magnos cantare triumphos.
Nec minus exultat castae dulcedine votis
Pontificum Senior: tum facta silentia linguis,
Et superam inspectans oram, qua patria felix
Inclyta Christicolis, qua meta extrema laborum,
Talia voce refert: O, qui terrasque polumque
Aeternis regis imperiis, Rex maxime, rorem,
Divinum rorem in sanctum diffundito ovile.
Tu benedic, Pater: ipse tuo qui munere fungor,
Accepi, agnoscoque tuo sub numine caulam
Crescentem. Ecquando totum clarescet in orbem
Nomen ubique tuum? populos unde unde vocatos
Ecquando videam soli tibi reddere laudes?
Talibus orabat Senior votisque sequuntur

Pontificem comites: sed sancta silentia turbat
Insolitum murmur. Cursu festinus anhelo
Tychicus [101] a Paulo veniens horrenda reportat
Nuncia, et ingenti conclamat voce per aedes:
Heu! fugite, o socii, fugite: implacabilis hostis
Perfurit: armatus miles caelestia fantem
Deprendit Paulum, caecoque in carcere clausit.
Vix ipse effugi, qui tristia nuncia ferrem.
Nec longum tempus; magnum circumdabit agmen
Tecta haec; adspectu, Genitor, te subtrahe nostro,
Sancte senex, molire fugam. Ceu sole calenti,
Cum rubicunda ceres [102] avido demessa colono,
Pars latis aret campis, pars altera duris
Obteritur tauris, caelo stipata volucrum
Turba supervolitat, securaeque ordine longo
Ludentes circum positis pascuntur acervis:
Tum si forte sonans immani turbine plumbum
Missile fulmineo venantum eruperit aere,
Extemplo turbati animi, formidine caeca
Hac illac costernatae per inania caeli
Effugiunt, aliae äeria super arbore sidunt;
Haud aliter fugiunt turbata per atria fracti
Christicolae, et nota excedunt regione viarum.
Tum Petrus: O socii, quaqua via prima salutis
Panditur, accelerate gradum, loca tuta parate.
Hic ego, laeva mihi eveniant quaecumque, morabor.
Hic mihi cara domus, ubi primum altaria Sancti
Christiadum statuere, ubi primum sacra tulere.
Haec ego servabo custos; licet efferus hostis
Immineat, sanctas occumbam laetus ad aras.

NOTÆ

[1] *Augustus vates.* — Insigne sane et pervetustum Virgilii monumentum servat Neapolis. Donatus Grammat. in hujusce poetae vita: Voluit etiam sua ossa Neapolim transferri, ubi diu et suavissime vixerat . . . Translata igitur jussu Augusti ejus ossa, prout statuerat, Neapolim fuere, sepultaque via Puteolana intra lapidem secundum. Et D. Hieronymus lib. III in Chron. Eusebii: Virgilius apud Brundusium moritur, Sentio Saturnino, et Lucretio Cinna Coss. Ossa ejus Neapolim translata, in secundo ab urbe milliario, sepeliuntur titulo hujusmodi, quem moriens dictaverat:

Mantua me genuit, Calabri rapuere, tenet nunc
Parthenope: cecini pascua, rura, duces.

Quod diutius Neapoli commoratus sit, constat ex ipsomet qui opus Georgicorum perfectissimum ibi exarasse profitetur, Georg. IV, 563.

Illo Virgilium me tempore dulcis alebat
Parthenope, studiis florentem ignobilis otî.

Nec alibi, quam Neapoli et propinquis Puteolis scripsisse putandum est meliorem Aeneidis librum, nempe VI: quod meridiano sole clarius apparet, si quis tantam locorum varietatem affabre depictam contemplatur. Statius Neapol. lib. IV. Sylv. c. 4, v. 51 canit aetate sua hoc sepulcrum veluti templum incolas et advenas venerari.

[2] *Trans Tiberim.* — Praestiterit audire Philonem sic apud Cajum Augustum loquentem: Ipsum, inquit, Augustum numquam inflatum talibus obsequiis hinc certo colligitur, quod numquam sustinuit se appellari Deum vel Dominum, aversatus hanc adulationem, nec dissimulans probari sibi judaeos qui abominarentur talia. Alioquin non passus fuisset Transtiberim bonam urbis partem teneri a judaeis, quorum plerique erant libertini; quippe qui belli jure in potestatem redacti, ab heris suis manumissi, fuerant permissi jure majorum vivere. Hos sciebat habere suas proseuchas, id est, Synagogas, in quibus coetus facerent, praesertim Sabbatis juxta religionem patriam.

[3] *Sata pinguia campi.* — Paul. ad Corinth. III, 9: Dei enim sumus adjutores, Dei agricultura estis, Dei aedificatio estis.

[4] *Cletumque Linumque.* — Quae certiora de tribus hisce Petri successoribus habemus, hic in medium afferimus: saepe enim de iisdem redibit inferius sermo. Linus, natione italus, provincia thuscus, patria volaterranus, patre Herculano; Cletus patria romanus, patre Aemiliano, ex Vico Patricio. A B. Petro christiana fide edocti et religiosae militiae tirocinio sanctissime perfuncti, primum presbyteri, mox episcopi facti sunt. Roma discessurus Summus Ecclesiae Pastor, ut numeroso gregi in urbe principe collecto consuleret, eosdem vicarios reliquit. Quod idem de Clemente habendum est, qui Faustini et Matidiae filius, Romae in secunda Coelii montis regione summo loco natus, et ad Caesarum gentem suum ortum referens, clarus philosophus fuit,

et theologus. A B. Petro sacrosancto christianorum ritu ablutus illi primum diaconus adfuit, dein ad presbyteratus et episcopatus munia evectus, Paulo perpetuo comes adhaesit. De Lino Paulus meminit in epistola ad Timot. II, 21: Salutat te Eubulus et Pudens, et Linus, et Claudia et fratres omnes. De Clemente idem Paulus: Cum Clemente, et ceteris cooperatoribus meis, quorum nomina scripta sunt in libro vitae. De eorum officio sic Ignatius E. 4 ad Trallianos: Quid vero diaconi, quam imitatores angelicarum virtutum? qui purum et inculpatum ministerium illi exhibent, ut S. Stephanus B. Jacobo, Timotheus et Linus Paulo, Anacletus et Clemens Petro (Cletus et Anacletus idem est)? Joannes Papa III apertissime ait Linum et Cletum non fuisse institutos Romanae Ecclesiae episcopos, sed tantummodo adjutores: quae verba non aliter sunt intelligenda, nisi quod sic sederint, dum Petrus vixit, ut non aequalem Petro amplitudinem nacti sint, sed adjutores tantummodo illius extiterint, quod et nos profitemur.

[5] *Cunabula gentis.* — Re sane vera die Pentecostes, Spiritus Sancti inauguratione, proprie coepit Ecclesia: tunc primum Apostoli non modo commissam sibi auctoritatem exercuere, sed delectis hominibus eam communicarunt; primum septem diaconis (Act. VI), deinde aliis, presbyterali, seu episcopali dignitate decoratis. Tunc primum potestas solvendi et ligandi, conficiendi Eucharistiam, administrandi baptisma, docendi omnes gentes, solemnis nempe missio illa qua dixerat Jesus: *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos,* ad regendam et instruendam Ecclesiam collata patuit.

[6] *Ostendunt plurima signa.* — Petrus. I, 1, 14: Velox est depositio tabernaculi mei, secundum quod et Dominus Jesus Christus significavit mihi.

[7] *Novus excitus.* — Passim apud Apostolos: Paul. Cor. V, 12: In Christo nova creatura: facta sunt omnia nova. Hebr. X, 20: Initiavit nobis viam novam. Coloss. III, 9: Expoliantes veterem hominem induite novum, qui secundum Deum creatus est. Apoc. XX, 5: Ecce nova facio omnia.

[8] *Amorem.* — Paulus ad Rom. XIII, 10: Plenitudo legis est dilectio.

[9] *Israëlis oves.* — Paulus scribens ad Galatas, ait decreto Concilii Hierosolymitani sibi et Barnabae commissam fuisse praedicationem Gentium; Petro autem, Jacobo et Joanni eorum curam qui e circumcisione ad fidem venissent: Cum vidissent quod creditum est mihi Evangelium praeputii, sicut Petro circumcisionis. Si rationem quaeris, a Baronio accipe, qui Petrum circumcisionis mysterio, velut honestissimo omnium titulo nobilitatum existimat. Ipse Christus, qui omnes homines servatum venerat, majoris amplitudinis ergo vocatus minister Circumcisionis. Paul. ad Rom. XV, 8: *Dico Christum ministrum Circumcisionis.*

[10] *Gentes.* —Saepius id Ap. affirmat, et praecipue II. ad Timotheum, I, 11: In quo positus sum ego praedicator et Apostolus et magister gentium. Ad Rom. XV, 16: Ut sim minister Christi in gentibus. Et XI, 13: Quamdiu quidem ego sum gentium Apostolus.

[11] *Medio in orbe.* — Sic putabant Romani ipsi: Ovid. Fast. 11, 682.
Romanae spatium est urbis et orbis idem.

[12] *Neque carnificum rabies.* — Paul. ad Rom. VIII, 35: Quis ergo nos separabit a caritate Christi? Tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius? 37. Sed in his omnibus superavimus propter eum qui dilexit nos. 38. Certus sum enim, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare a caritate Dei, quae est in Christo Jesu Domino nostro.

[13] *Dum validae superant.* — Joan. Evang. XXI, 18: Amen amen dico tibi: cum esses junior, cingebas te, et ambulabas ubi volebas: cum autem senueris, extendes manus tuas, et alius te cinget, et ducet, quo tu non vis.

[14] *Infelix Agna.* — Matth. XVIII, 12: Si fuerint alicui centum oves, et erraverit una ex eis, nonne relinquit nonaginta novem in montibus, et vadit quaerere eam quae erravit? 13. Amen dico vobis, quia gaudet super eam magis, quam super nonaginta novem, quae non erraverunt.

[15] *Sophus.* — Liv. lib. XXIV, 34: Archimedes is erat, unicus spectator caeli, siderumque; mirabilior tamen inventor et machinator bellicorum tormentorum operumque, quibus ea quae hostes ingenti mole agerent, ipse perlevi momento ludificaretur.

[16] *Syracosii vatis.*—Theocritus, Syracusanus poeta de quo Virg. Ecl. 6.
Prima Syracosio dignata est ludere versu
Nostra, nec erubuit sylvas habitare Thalia.

[17] *Ceres.*— Habita a Gentibus Dea frugum, ab antiquo *cereo* pro *creo*, quasi frugum creatrix. Proserpinam e Jove et Cerere natam, dum Siciliam lustraret, et flores apud Ennam urbem legeret, veteres a Plutone raptam jactarunt. Si Pluto divitiarum pater habitus, quia opes omnes ab inferis, idest ex intimis terrae visceribus effodiuntur, non improbandam arbitror sententiam J. Baptistae Vici, qui ab frumenti semine terrae commisso, ibique delitescente, in insula praecipue, quae dicta fuit horreum Romanorum, confictam fabulam credit. Vide *Vico*, *Scienza Nuova* in explicatione Saturni et Latii.

[18] *Juvenalia.* — De hujusmodi ludis audi Tac. lib. XIV. Ann. c. 15: Instituit ludos Juvenalium vocabulo, in quos passim nomina data: non nobilitas cuiquam, non aetas, aut acti honores impedimento, quominus graeci latinive histrionis artem exercerent.

[19] *Puellae.* — Idem Tacit. loc. cit. Quin et foeminae illustres deformia meditari.

[20] *Pudor.* — Tac. Vix artibus honestis pudor retinetur; nedum inter certamina vitiorum pudicitia aut modestia, aut quidquam probi moris reservaretur.

[21] *Augustanorum.* — Tac. loc. cit. Tunc primum conscripti sunt equi-

tes romani, cognomento Augustanorum, aetate et robore conspicui, et pars ingenio procaces, alii in spe potentiae. Hi dies ac noctes plausibus personare, formam principis vocemque laudare, Deum vocabulis appellantes.

[22] *Patriciumque petunt vicum.* — Vicus *Patricius* sic dictus Romae, quod ibi Patricii habitaverint, jubente Servio Tullio, ut si quid adversus ipsum molirentur, ex locis superioribus opprimi possent.

[23] *Villice.* — Villicus apud Romanos praefectus erat villae, cuique tota rei rusticae cura a Domino committebatur: sed Horat. L. I, Ep. 14: Villice sylvarum, et mihi me reddentis agelli, ponit pro ipso rustico cultore agri. Utroque sensu de Petro Pontifice Max. intelligi potest, eoque magis quod in Evang. saepe de villico, et villicatione sermo interseritur.

[24] *Vespere sero.* — Notissima Christi parabola de operariis *in vineam conductis.* Vide. Matth. XX, 1.

[25] *Mecaenas.* — Partem Exquiliarum in qua antea commune sepulcretum, Mecaenas emit, perpurgavit, et in aprico colle hortos et domum fecit. De his hortis mecaenatianis inferius redibit sermo. In Hor. Sat. VIII, sic Priapus:

Nunc licet Exquiliis habitare salubribus, atque
Aggere in aprico spatiari, quo modo tristes
Albis informem spectabant ossibus agrum.

[26] *Vimine collem.*— Audi Livium lib. I, 44. Addit (Servius) duos colles Quirinalem Viminalemque: inde deinceps auget Exquilias, ibique ipse, ut loco dignitas fieret, habitat. *Viminalis* dictus iste collis a viminum sylva in eo enata circa aram Jovis, unde et ipse Jupiter Vimineus cognominabatur, Varro l. 4, de L. l. Pudens clarissimus fuit senatorii ordinis civis romanus, pater Novati, atque Timothei, Praxedis, et Pudentianae virginum. Ejus mulier fuit Cornelia. Domus ejus ad radices Viminalis prope Exquilinum omnibus patuit Christianis, ibique sacrae agebantur synaxes. Hodie Ecclesia est sub titulo Pastoris.

[27] *Portendi regem.*—De Messiae adventu firma persuasio non modo intra Judaeae fines se non continuit, sed per omnes orientales regiones percrebuit. Hic tantum de Tacito et Svetonio testimonia decerpemus. Svet. in Vespas. IV: Percrebuerat Oriente toto vetus, et constans opinio esse in fatis ut eo tempore Judaea profecti rerum potirentur. Tacit. Hist. lib. V, 13: Pluribus persuasio inerat antiquis sacerdotum litteris contineri eo ipso tempore fore, ut valesceret oriens, profectique Judaea rerum potirentur.

[28] *Ficus.* — De romulea Ficu, in trunco et ramis arescente, Nerone tertium, et Messala consulibus, scribit Tacitus, Ann. lib. VIII, in fine: Eodem anno Ruminalem arborem in comitio, quae per octingentos, et quadraginta ante annos Remi Romulique infantiam texerat, mortuis ramalibus et arescente trunco deminutam, prodigii loco habitum est, donec in novos foetus reviviesceret. In arefacta, ad Christi imperium, ficulnea apud Hierosolymam, Sy-

nagogae infructuosae interitum Patres omnes recognorunt. Matth. XXI, 19. 21: Mane autem facto, dum reverteretur Hierosolymam, arborem fici in via positam, quod fructus non invenisset in ea, arefecit. Quod idem de romana ficu interpretatur Poeta.

[29] *Frequentat.* — Cum Romam Petrus pervenisset, ad contribules suos Judaeos divertisse credimus. Ceterum brevi Evangelium Gentilibus romanis quoque innotuit, et praecipue Senatori Pudenti, qui in domo sua principem Apostolorum excepit, suus discipulus factus.

[30] *Hactenus ignota.* — Christus Jo. XVI, 14. seqq. ita de Spiritu Sancto loquitur: Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, et annunciabit vobis. Omnia quaecumque habet Pater, mea sunt. Propterea dixi: quia de meo accipiet, et annunciabit vobis.

[31] *Delubrum.* — De fonte prae foribus Ecclesiae posito, lege praeceptum Domini in Exodo, XXX, 18. Facies et labrum aeneum cum basi sua ad lavandum. Quem fontem ad emundationem corporis positum, templa etiam Gentilia habebant, et quasi naturali quodam instinctu docebat nonnisi puros ad Deum accedere debere, mundosque numini supplicare. Quod si Apostolus ante precationem manus abluere monet: *Volo ergo viros orare*, (Tim. I, 11, 8) *omni loco levantes manus puras*, in ipso ingressu Ecclesiae Baptismi lavacrum constitutum fuit, ut salutari aqua lustrati templum ingrederentur.

[32] *Effigies pulcherrima.* — In ortu ipso Christianae religionis, cum in hominum mentibus adhuc haereret idolorum superstitio, non tam frequens fuit sacrarum usus Imaginum, praecipue cum gentilis coepit furor exardescere. Sed in prima illa Pudentiani templi simplicitate, ut quietiora ferebant tempora, velutque in privata domo, ut symbolicam Christianae Redemptionis repraesentationem exhiberemus, et antiquissima exemplaria a quamplurimis antiquis scriptoribus graphice exarata persuadent, et vetus Canon Synodi antiochenae apostolorum nuncupatae: Ne decipiantur salvati ob idola, sed pingant ex opposito divinam humanamque manufactam impermixtam effigiem Dei veri ac Salvatoris Domini Nostri Jesu Christi.

[33] *Oriens.* — Situs Ecclesiarum antiquitus is erat, ut introitus Occidentem, Sanctuarium orientem spectaret. Extra dubium profecto est, ut Christiani ad orientem conversi funderent Deo preces: unde enatum, teste Tertulliano, in Apolog. 16, ut Gentiles dicerent Christianos Solem adorare. Cujus instituti variae afferuntur rationes. Et Tert. 3 et 6, ipsum Christum Orientem appellat; cumque Deus sit dictus lux, lucisque creator, ad eam caeli partem spectabant precantes, qua solis jubar oritur. Porro Joann. Damasc. Orthodox. Fid. lib. IV, 13: Christus cum in caelum reciperetur, ad ortum efferebatur, sicque a discipulis adoratus est; atque ita venturus est, ut eum in caelum intuentem conspexerunt . . . Quocirca adventum ejus opperientes, ad Orientem oramus.

[34] *Divina domus.* — Loca diis consecrata variis appellationibus Romani

dixerunt *templa*, *aedes sacrae*, *delubra*, *fana*, *sacella*, *lararia*, *luci*. Fatendum quidem est nullum horum nominum gentilitiae superstitioni convenientiorum tribus prioribus saeculis a sacris scriptoribus usurpatum: sed locos, in quos ad sacros celebrandos conventus Fideles convenire soliti erant, diversis nominibus dixere *Ecclesia*, *domus Dei*, *domus orationis*, *oratoria*.

[35] *Relliquiae ingentes*.—Quod supra sepulcra et memorias Martyrum Sacrificium Missae perageretur, antiquissima et apostolica est institutio. Prae multis sufficit illud Apocalypseos testimonium, VI, 9: Vidi subtus altare Dei animas interfectorum propter verbum Dei, et propter testimonium quod habebant. In eoque tum graeci tum latini interpretes aeque consentiunt, pariterque affirmant sepulcra Martyrum fuisse altaria. Quod vero Stephani memoriam praecipue selegimus, antiqua suadent Martyrologia. Ejus enim corpus, studiosa Gamalielis sollicitudine, in Orientali theca in suo monumento fuit depositum; lapis, super quem positus suscepit lapidum imbrem, in Ecclesiam Apostolorum ad montem Sion positam translatus, magna veneratione est habitus; et unum insuper ex istis lapidibus, quo Protomartyr fuit percussus, translatum in Italiam fuisse, et Anconae positum, constans est opinio. Astipulantur duo S. Augustini sermones de ejusdem Miraculis. Jacobum addidimus, qui primus inter Apostolos, uti inferius dicemus, fortissime pro Religione Christi defendenda Hierosolymis occubuit.

[36] *Ornatus*. — Ne credas haec Ecclesiae Pudentianae ornamenta omnino improbabilia. Quo sumptu, quo ornatu fieri solerent, ethnicus Auctor qui Apostolorum vixit temporibus et Traiani, cum nostra ridet, clarissime testatur. Ipse Critiam quemdam introducit, qui in Christianorum conventum deducitur, quem locum his verbis describit: Pertransivimus ferreas portas et aerea limina, multisque jam superatis scalis, in domum aurato fastigio insignem ascendimus, qualem Homerus Menelai fingit esse: atque ipse quidem omnia illa contemplabar, quae insularis ille adolescens. Video autem non Helenam, sed mehercule viros inclinatos et pallescentes. Apud Lucian. in Philopat.

[37] *Lucas*. — Communi consensione Lucas medicus, et pictor egregius habitus est. Certe Epiph. lib. XIV, 2. testatur eum S. Dei genitricis pinxisse imaginem, et Metaphrastes Act. in Luc. et Salvatoris effigiem coloribus effigiasse tradit.

[38] *Maeoniae musae*.—*Maeonius* a Patre Maeone dictus fuit Homerus, et ponitur pro *homerico*. Mart. XIV, 183. Perlege Maeonio cantatas carmine ranas.

[39] *Ascraei senis*. — *Ascraeus* ab Ascra; Ascraeus senex est Hesiodus, et Ascraeum carmen, Virg. II, Georg. 176.

[40] *Cirrhae*. — Parnassus mons in Phocide, regione Boeotiae et finibus Graeciae duplex habuit jugum, quorum alterum *Cirrha* Apollini et Musis sacrum erat. Non procul ab eo erat mons *Helicon*: *Pindus* erat alius mons in Thessalia: ex Helicone oriebatur fluvius *Permessus*.

[41] *Agnus.*—Agnus zona aurea praecinctus est symbolum justitiae, cingulum lumborum ejus, et perfectae caritatis. Hujusmodi symbolum percrebuit in musivis, nec modo relatum ad Christum, sed etiam ad Christi fideles.

[42] *Boni pastoris.* — Hanc imaginem et sibi ipse Christus adprime propriam declaravit, et primis fidelibus erat perquamfamiliaris, uti in cubiculis et lucernis coemeterialibus, et marmoreis statuis, et calicibus ipsis videre licet.

[43] *Innocuus juvenis.* — Haec Christi figura de Sacrificio Isaac e veteri Test. deprompta saepissime ornat coemeteriorum picturas. Vid. praeclarum opus Antonii Bosii: Roma sotterranea, lib. III, c. 23.

[44] *Compositis armis.* — David cum funda, ad mysterium Crucis ss. Patres retulerunt: laeva manu quatuor lapides David tenet; quinto enim funda armatur Goliae frontem jam feritura.

[45] *Tobiam.* — Pisces passim in lapidibus sculptos Christi figuram esse docet Augustinus, et Opt. Mil.: Hic est Tobias recens e flumine egressus, et piscem exenteratum tenens: ejus enim jecore, inquit Augustinus, per prunas passionis assato fugatus est diabolus, et per amaritudinem fellis afflatus est caecus, et illuminatus est mundus.

[46] *Duplex Jonam.* — Duplex Jonae effigies passim in Catacumbis occurrit: altera Jonae in ceti ventrem dejecti, et inde post triduum ejecti (quae Christi resurgentis imago, prout ipse Christus monuit), altera moerentis sub cucurbita, quae percussa vermis morsu exaruit. Vermis hic matutinus, inquit Augustinus, quo rodente, cucurbita exaruit, Christus occurrit, ex cujus ore, Evangelio diffamato, cuncta illa quae temporaliter apud Isräelitas, velut umbratili prius significatione viguerunt, evacuata marcescunt. Advertendum tamen est, quod loco *cucurbitae* S. Hieronymus legit *hederae*. Legesis epist. ejusdem S. Hieronymi ad S. Augustinum.

[47] *Quarta rubescit.* — Matth. XII, 40: Sicut enim fuit Jonas in ventre ceti, tribus diebus et tribus noctibus, sic erit filius hominis in corde terrae tribus diebus et tribus noctibus.

[48] *Daniel.* — Daniel est in lacu leonum incolumis; brachiis in crucis modum extensis significatur Christus, qui per Crucis virtutem e faucibus leonum et invisibilium potestatum homines liberavit.

[49] *Vacua Absidis.* — Sicut olim in templo Hierosolymitano sacerdotes a populo, viri a mulieribus, atque a nuptis virgines loco distinguebantur, idque Philo Judaeus de Essenis etiam testatur, ita eodem fere ordine in Christianorum Ecclesiis, cum sacri conventus agerentur, fideles varia locorum distinctione erant separati. Idque etiam satis indicant partes, quibus antiquitus constabant Ecclesiae. Certe sacratior Ecclesiae pars, quae septis sive cancellis ab reliquo spatio secernebatur, dicta erat *sanctuarium*, *tribunal*, *sacrarium*, *locus altaris*, et suprema pars *Absis*, Episcopo, diaconis, et Presbyteris dumtaxat pervia, ceteris inaccessa. In ejus medio situm erat altare, di-

ctum *Sanctum Sanctorum;* ad latera sive in fronte, Episcopi Thronus, et presbyterorum subsellia constituta erant.

[50] *Nudum.* — Praeceptum erat Apostoli, et priscae Ecclesiae consuetudo. Pauli ad Cor. XI, 4: Omnis vir orans, aut prophetans non velato capite deturpat caput suum; 5. Omnis autem mulier orans, aut prophetans non velato capite, deturpat caput suum. Idem Apostolus affert rationes, quas hic nos brevitatis ergo praetermittimus.

[51] *Tergemino radians apice.*— Non istud quidem poeticum figmentum. Josephus Antiq. lib. III, 8. ornamenta multa summi sacerdotis describens, cum monstrat non tantum lamina aurea, uti ceteros sacerdotes, sed et corona aurea triplici ordine ducta ornatum fuisse. Porro pileo utebatur quali ceteri sacerdotes, super quem extabat alius consutilis ex hyacintho variatus: hunc aurea corona triplici ordine circumdabat, in qua spectabantur caliculi aurei. Si quis est, qui prioris aevi simplicitati hunc ornamentorum splendorem repugnare arbitratur, sciat profecto Christianos antiquis moribus sibi parcos, Religione fuisse semper magnificos. Meminerint denique Virgilium lib. VII, 610 Latinum Regem Quirinali trabea, cinctuque gabino ornasse, cum Templum Jani, Troiano bello ingruente, aperiret. Quod templum nonnisi Numa, secundo Romanorum rege, index pacis, bellique factum fuit.

[52] *Benedicit.* — Incorrupta latini sermonis integritate hoc verbo utimur, siquidem et Tullius pro Sext: Cui bene dixit unquam bono? cum dat. usurpavit, et Tib. Lib. II, El. 1, 31. verbo per tmesin diviso: Sed bene Messalam sua quisque ad pocula dicat, quarto cum casu adhibet. In utroque exemplo est *laudare*, *bene precari*. Christiana Religio aliam, et peculiarem addidit significationem: namque Deum benedicere est *laudare, extollere, praedicare*; benedicere populo est *fausta cum prece dimittere*, *pacem et veniam populo a superis precari, faustis ad Deum precationibus populum prosequi;* benedicere mensam est *christiano ritu*, *solemni precatione dapes, mensas lustrare.* Nos qui christiane simul et latine loqui profitemur, ecclesiastica significatione auctum verbum *benedico* adhibebimus saepissime.

[53] *Plautilla.* — Romana vidua, de qua vide principium lib. IV.

[54] *Praxedes.* — Praxedes et Pudentia Virgines filiae Senatoris Pudentis, de quibus saepius postea mentionem faciemus.

[55] *Fratres.* — Christiani saepissime vocantur *Fratres*: qua nomenclatura primum usus est Christus, idemque perseverat Ecclesia. Sic Christianorum coetus reperitur dictus *Fraternitas.* De qua Tert. in Apol. 39. Quanto dignius fratres et dicuntur et habentur, qui unum Deum patrem agnoverunt, qui unum spiritum biberunt sanctitatis, qui de uno utero ignorantiae ejusdem ad unam lucem expaverint veritatis?

[56] *Juratis.* — Vide, quam merito Apost. Thess. commonefaciebat: *Fratres*, *state et tenete traditiones*, *quas didicistis*, *sive per sermonem*, *sive per epistolam nostram.* Nos Christianae legis sanctiones a Christo latas, et

Ecclesiae omnium aetatum testimonio ad nos usque derivatas, et quodammodo per manus traditas, in nostrae religionis primordio ipso reperimus. Sic de Baptismate Tert. de coron milit. c. 3.: Aquam adituri ibidem, sed et aliquando prius in Ecclesia sub Antistitis manu contestamur nos renuntiare diabolo et pompae et Angelis ejus. Quoad formam vero Baptismatis, Christus ipse luculentissime patefecit, Matt. cap. ult.: Euntes docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.

[57] *Renasci.* — Sic apud Patres omnium Sacramentorum novae legis primum, Baptismus, per quem aditus in Ecclesiam patet, vocatur *Sacramentum aquae, vitae novae, fidei*, et *lavacrum regenerationis*, *renovationis*, et interdum *Sacramentum nativitatis secundae.*

[58] *Et libertatis.* — Paul. ad Rom. VIII, 21: Quia et ipsa creatura liberabitur servitute corruptionis in libertatem gloriae filiorum Dei.

[59] *Heredes.* — Paul. ad Rom. VIII, 17. Si autem filii, et heredes: heredes quidem Dei, coheredes autem Christi. Petr. I, IV, 22. Qui est in dextera Dei, deglutiens mortem, ut vitae aeternae heredes efficeremur, profectus in caelum, subjectis sibi Angelis, et potestatibus et virtutibus.

[60] *En urbs.* — In Ps. 86. *Fundamenta ejus*, Psalmista civitatis Jerusalem, qua Ecclesia designatur, laudes canit, et gentium vocationem praedicit. Nihil ergo accomodatius anniversariae Pentecostes festivitati credidimus, quam sequentes Psalmi hujus versus in ipso augustissimi Sacrificii introitu praemittere: Fundamenta ejus in montibus sanctis; diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Jacob. Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei. Memor ero Rahab, et Babylonis scientium me. Ecce alienigenae et Tyrus, et populus Aethiopum, hi fuerunt illic. Numquid Sion dicet: Homo et homo natus est in ea, et ipse fundavit eam Altissimus? Dominus narrabit in scripturis populorum et principum: horum qui fuerunt in ea. Sicut laetantium omnium habitatio est in te.

[61] *Mysteria magna recludens.* — Joann. XVI, 13. Cum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.

[62] *Peragramus.* — Sap. 1, 7. Spiritus Domini replevit orbem terrarum, et hoc quod continet omnia, scientiam habet vocis. Paul. ad Rom. X, 18. Sed dico: numquid non audierunt? et quidem in omnem terram exivit sonus eorum, et in finem orbis terrae verba eorum.

[63] *Egeriae.* — Ubi nunc oppidum *Nemo* circa Ariciam, nemus ingens quondam fuit dicatum Dianae, sive Egeriae: lacus Dianae Aricinae nunc *lago di Nemi* multis implebatur fontibus, quorum praecipuus dictus fons Egeriae. Hanc Nympham Numa Pompilius Romanorum Rex secundus suam conjugem esse finxit, ab eaque legum instituta se accipere. Ita Livius, lib. I, 19. Deorum metum injiciendum ratus est. Qui cum descendere ad animos sine aliquo commento miraculi non posset, simulat sibi cum dea Egeria congres-

sus nocturnos esse: ejus se monitu, quae acceptissima diis essent, sacra instituere, sacerdotes suos cuique deorum praeficere.

[64] *Ingruit armatus.* — Matth. XVI, 17. Beatus es Simon Bar-Jona . . . Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc Petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam.

[65] *Non desero solos.* — Joan. XIV, 26: De Spiritu Sancto haec habetur Christi promissio: Paraclitus Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, et suggeret vobis omnia quaecumque dixero vobis.

[66] *In medio semper.* — Joan. XX, 21. Sicut misit me Pater, et ego mitto vos. Matth. XXVIII, 20. Docentes eos servare omnia, quaecumque mandavi vobis, et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi.

[67] *Nisi Spiritus.* — Habes hoc exploratissimum ex Sanctis Scripturis: Spiritui enim Sancto adscribitur Inspiratio prophetarum, Petr. 1. 21: Spiritu Sancto inspirati locuti sunt Sancti Dei homines; Operatio miraculorum, Matth. XII, 28. In Spiritu Dei ejicio daemonia; Operatio gratiae, Luc. 1, 35; Unctio et missio, Is. LXI, 4; Peccatorum remissio et regeneratio, 1. Cor. VI, 11; Ecclesiae Regimen. Act. XIII, 2; Collatio donorum, 1. Cor. XII, 4; Sanctificatio, 2 Thess. II, 12, et Petr. 1, 2; Diffusio gratiae, Rom. V, 5; Resurrectio mortuorum. ib. VIII, 11. Hinc illud Apost.: Si Spiritu vivimus, Spiritu et ambulamus.

[68] *Ecclesia nulla maneret.* — Joann. XIV, 26: Paraclitus autem Spiritus Sanctus docebit vos omnem veritatem. Et Timoth. III, 15. Ecclesia vocatur columna et firmamentum veritatis.

[69] *Romana fides.* — Luc. XXII, 32. Petro dixit Jesus: Rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos. Paul. ad Rom. 1, 8. Gratias ago Deo per Jesum Christum, pro omnibus vobis, quia fides vestra annuntiatur universo mundo.

[70] *Ignibus aurum.* — Petr. 1, 1, 7. Aurum quod per ignem probatur. Et Apoc. III, 18. Aurum ignitum probatum.

[71] *Primitiae.* — Frequentissima locutio apud Ecclesiasticos Scriptores. Paul. Cor. XVI, 15. Quoniam sunt primitiae Achaïae. Apoc. XIV, 4. Primitiae Deo et Agno.

[72] *Spes.* — Pet. 1, 1, 3. Regeneravit nos in spem vivam. Et ad Tit. 1, 2. In spem vitae aeternae.

[73] *Innoxius agnus.* — Paul. ad Hebr. VII, 26. Talis enim decebat, ut nobis esset Pontifex sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus, et excelsior caelis factus: qui non habet necessitatem, prius pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populi: hoc enim fecit semel, seipsum offerendo, Jesus Christus dominus noster.

[74] *Conciliavit amans.* — Paul. ad Rom. V, 10: Si enim, cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem filii ejus.

[75] *Omnipotentia verba.* — Paul. ad Corinth. I, XI, 23. Ego enim accepi a Domino, quod et tradidi vobis, quoniam Jesus, in qua nocte tradebatur, accepit panem, 24. Et gratias agens fregit et dixit : accipite et manducate: hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur: hoc facite in meam commemorationem. 25. Similiter et calicem, postquam coenavit, dicens: hoc calix novum testamentum est in meo sanguine: hoc facite, quotiescumque bibetis, in meam commemorationem.

[76] *Ostendebat.* — Antiquum ritum in conficienda, offerenda, et in populum distribuenda Sacra Eucharistia servavimus. Populus panem et vinum in Ecclesia offerebat, sed non ad altare; quod munus erat Diaconorum. Per Diaconum ad altare allatis, quae erant Deo offerenda, Sacerdos Christi personam gerens praescriptis verbis sacrificium conficit; prolata consecrationis formula, Sacerdos in altum extollit sacrificium: id quod testatur Anastasius de sacra synaxi: Postquam sacrificium tremendum illud sanctificavit, panem vitae sustollit, eumque omnibus ostendit.

[77] *Altera natio.* — E Deuter. eadem verba habes IV, 7. Nec est alia natio tam grandis, quae habeat Deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris.

[78] *Lyaeum.* — Lyaeus, unum ex Liberi patris cognominibus, a λυω *solvo*, quod mentem curis solvit. Quod Virg. 1, Aen. v. 690 dixit *laticemque lyaeum* de vino, nonne meliori jure nos, translata latinae locutionis significatione, vino ad SS. Eucharistiae Sacrificium parato accomodare possumus, cum Christus ipse dixerit: *Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam?*

[79] *Renovatique.* — Sic Paulus ad Titum III, 6. Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis, et renovationis Spiritus sancti, quem effudit in nos abunde.

[80] *Sulamitida.* — Cant. VI, 12. Revertere, revertere Sulamitis. VIII, 5. Quae est ista, quae ascendit de deserto deliciis affluens, innixa super dilectum suum? Et III, 6. Quae est ista quae ascendit per desertum, sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhae et thuris et universi pulveris pigmentarii?

[81] *Sexaginta fortes.* — Cant. III, 7. Sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Isräel, 8. Omnes tenentes gladios, et ad bella doctissimi; uniuscuiusque ensis super foemur suum propter timores nocturnos.

[82] *O formosa mihi.* — Cant. IV, 1. Quam pulchra es, amica mea, quam pulchra es! oculi tui columbarum absque eo quod intrinsecus latet. Capilli tui sicut greges caprarum, quae ascenderunt de monte Galaad. 2. Sicut vitta coccinea, labia tua, et eloquium tuum dulce.

[83] *Regina.* — Ps. 44. Astitit Regina a dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate.

[84] *Fugit hyems.* — Cant. 11. Jam enim hyems transiit, imber abiit et

recessit: 12. Flores apparuerunt in terra nostra, tempus putationis advenit; vox turturis audita est in terra nostra.

[85] *Surge* — Cant. 11. 10. Surge, propera, amica mea, columba mea, formosa mea et veni. Et 14. Columba mea in foraminibus petrae, in caverna maceriae. Ostende faciem tuam. Sonet vox tua in auribus meis.

[86] *Convivia.*—Quod Christus in ultima coena fecerat, idque ut facerent in sui memoriam, suos monuerat, in antiqua Ecclesia servatum. Christiani ergo in Ecclesiam convenientes una coenabant, unaque Sacratissimam percipiebant Eucharistiam: quod non omni, quo par erat, obsequio observare, Corinthiis jure exprobrat Paulus: Convenientibus etc. cap. 1, Cor. 12. Sed Christus communem praemisit, deinde sacram coenam exhibuit. Ita decebat nempe, teste Baronio, ut primum legalia consumerentur, deinde quae novae legis essent, mensae apponerentur. Verum ipso Apostolorum tempore inductum, ut prius sacra celebraretur Synaxis, deinde communis mensa.

[87] *Turre fuit summa.* — Antehac, uti Cic. pro Mur. 13: Oderat populus Romanus privatam luxuriam, publicam magnificentiam diligebat: quod contra imperatorio aevo evenit. Quae tunc vere Roma, uti diserte Cic. 2. contra Rull. 96. *erat coenaculis sublata atque suspensa.* Privatarum aedium locus, ubi coenitabant Romani, quique a re ipsa *coenaculum, coenatio* et *triclinium* appellatus, fuit superior pars domus, eaque universa *coenacula* dicta.

[88] *Pavimenta.*—In pavimentis ornandis singulare studium Romani adhibuerunt. *Sectilia* fuere marmoreae crustae, varii plerumque coloris, nec unius figurae. *Tesserae* tesserarum lusoriarum formam referebant: lapilli videlicet ad musivi rationem minutatim strata, unde pavimenta ipsa *tessellata*, et etiam *vermiculata*, quod multiplici lapillorum intextu varias vermiculorum species praeferebant.

[89] *Laquearia.* — Lacunar aut laquear erat contignatio pro tecto adhibita: quam nos dicimus *la soffitta:* quem Virgil. 1, Aen. 730 nominat *lacum: lacunar* enim proprie est interstitium inter duas trabes.

[90] *Specula.*—De Abacis, et speculis Vitr. VII, 3. Ipsaque tectoria abacorum ac speculorum divisionibus inter se prominentes habent expressiones. Abaci quidem quadrati, specula rotunda: verum utraque e vitro aut aliquo pellucido lapide parietes ornabant.

[91] *Tectoria lucent.* — Tectorii nomine tota illa crusta, atque inductio comprehenditur, qua nudi parietes vestiebantur. Arenatum *l' intonaco* ex arena et calce: marmoratum *lo stucco* ex tuso marmore et calce: denique albarium erat mera calx, qua parietes dealbabantur. Tectorio saepe colores inducebantur; at *colores inducti udo tectorio* apud Vitruvium sunt *i lavori a fresco.*

[92] *Apollo.* — Celebre in primis est Luculli triclinium Apollo nuncupatum. Vid. Plut. in ejus vita.

[93] *Agape.* — Quod communes coenae mutuae charitatis indices atque illices forent, e Tertulliani verbis collige, Apolog. cap. 39: Coena nostra de nomine rationem sui ostendit: vocatur enim Αγαπη, id quod est penes Graecos dilectio.

[94] *Volumina.* — Ordo servatus in mensis communibus a Tertulliano memoratur eodem loco: Post aquam manualem et lumina, ut quisque de Scripturis Sanctis, vel de proprio ingenio potest, provocatur in medium Deo canere, atque oratio convivium dirimit.

[95] *Philologus.* — De eo inter praecipuos Romae Christianos mentionem habemus in Epist. Pauli ad Romanos, XVI, 15. Salutate Philologum, et Juliam et Nereum. Scio nonnullos interpretes litteratorem aliquem tali cognomine decoratum intellexisse: quomodcumque se res habet, nomen ipsum adhibemus, uti Apost. nunciat.

[96] *Carmen.* — De Christi titulis et muneribus carmen.

[97] *Angelici salve coetus.* — Primum Christus est caput Angelorum, quibus praestat dignitate et potestate. Apost. Coloss. 1, 10: Qui est caput omnis principatus est potestatis: et Heb. 1, 4: Tanto melior Angelis effectus quanto differentius prae illis nomen hereditavit. Et 1, 6: Et adorent eum omnes Angeli Dei.

[98] *Rex Regum.*— Angelus, Luc. 1, 33. Beatae Virgini patefecit dicens de Christo Deo homine: Regnabit in domo Jacob in aeternum, et regni ejus non erit finis.

[99] *Primus Pontificum.*—Apost. Hebr. V, et seqq. explicat illud davidicum oraculum *Tu es Sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech*, ubi sacerdotium Christi super Aaronicum Sacerdotium fuse prosequitur, et de hujusmodi Christi pontificatu plurima tractat. IX autem: Christus assistens Pontifex futurorum bonorum . . . neque per sanguinem hircorum et vitulorum, sed per proprium sanguinem. Et praecipue 24: Non enim in manufacta Sancta Jesus introivit, sed in ipsum caelum . . . neque ut saepe offerat semetipsum, quemadmodum Pontifex intrat in sancta per singulos annos in sanguine alieno.

[100] *Tua gratia.* — En aliud vocabulum ex sanioris latinitatis penu depromptum; sed novam significationem Christiana religio indidit. Profecto *gratia* apud Romanos est *favor*, *amor*, *benevolentia*, *beneficium*, et similia. Sed Evangelio lucescente, cum fructus dominicae Incarnationis ac Redemptionis *gratia* est, qua cum Deo reconciliamur, ac divinae naturae consortes efficimur, et vitae aeternae heredes, *gratiae* nomine hic intelligimus, quam communiter Thelogi definiunt, *Supernaturale Dei donum permanenter inhaerens animae, quo homo immediate et formaliter sanctus efficitur, justus, Deo gratus, Filius Dei adoptivus, capax eliciendi opera meritoria vitae aeternae, ejusdemque heres.*

[101] *Tychicus.* — Pauli tabellarius fuit: qui quam arcto caritatis vinculo esset Apostolo obstrictus, ex ipsiusmet Pauli ad Ephes. epistola VI. 21. intelligere potes: Ut autem et vos sciatis, quae circa me sunt, quid agam, omnia vobis nota faciet *Tychicus,* carissimus frater, et fidelis minister in Domino, quem misi ad vos in hoc ipsum, ut cognoscatis, quae circa nos sunt, et consoletur corda vestra.

[102] *Cum rubicunda ceres.* — Ab Dante Nostro similitudinem hausimus, qui Purg. C. 2, sub finem.

Come quando, cogliendo biada o loglio
I colombi adunati alla pastura
Queti, senza mostrar l' usato orgoglio,
Se cosa appare, ond'egli abbian paura,
Subitamente lasciano star l' esca,
Perchè assiliti son da maggior cura.

PETREIDOS

LIBER II.

ARGUMENTUM

Cum servos seniores, et aegrotos ad Aesculapii in insula Tiberina expositos Paulus Christo lucrifaceret, a Neronianis stipatoribus deprehensus in carcerem fuerat conjectus — Nocte superveniente, Pontificis jussu, omnes eunt cubitum — Ipse solus in templo manet, et nunc caelestium rerum contemplatione animum pascit, nunc sese in ardentissimas ad Deum precationes effundit — Demum inopino somno correptus placidissime obdormit — Mane primo expergefactus, et supplicibus votis pro urbe et orbe nuncupatis, cum toto Corneliae domus comitatu sacra facit, omnibus pro Pauli liberatione et pro pace Ecclesiae precantibus — Sacris peractis, Pudens Senator, comitum nomine eum obtestatur, ut Ecclesiae historiam jam inde a suis incunabulis enarret; eam scripto excipiat Lucas, saeculum clarissimum ad seram posteritatem transmissurus — Quibus Petrus libentissime satisfacit, primum explicans, Isräeliticum foedus exemplar et quasi lineamentum fuisse futuri et longe divinioris foederis, quod aliquando Deus cum universis nationibus per Jesum Christum mediatorem et sequestrum erat sanciturus — Ecclesiae Christianae historia haec est. Christus, devicta morte, antequam triumphali in caelum pompa regrederetur, per quadraginta dies firmatis discipulis, rebusque futuris divina praesagitione praemonstratis, eos in

Olivarum montem duxit — Iisque conspicantibus in caelum ascendit — Angeli voce commonefacti descendunt Apostoli Hierosolymam; domumque Mariae, Matris Joannis, qui cognominabatur Marcus, omnes conveniunt, Spiritus Sancti adventum, uti Jesus promiserat, expectaturi — Commemoratis duobus Christi Domini testimoniis, quorum uno promittitur, altero exhibetur Petro primatus, pontificalem universae Ecclesiae sollicitudinem Summus Antistes coepit exercere, et Matthias eligitur in locum Judae — Die a Christi resurrectione quinquagesima, adventu Spiritus Sancti, Christianae reipublicae primordia incipiunt, Apostolis evangelium nunciantibus Hierosolymis, ubi ad paschales epulas de more omnis Judae populus confluxerat — Omnibus obstupescentibus, quod diversis linguis loquentes Apostolos audirent, Petrus primus omnium concionatur, et tribus millibus ad Christum traductis, primam Hierosolymis christianam Ecclesiam constabilivit — Claudum ad portam Speciosam vitae alimenta conquirentem sanitati restituit — Qua prodigiorum novitate, et nova Petri oratione credentium numerus augescit, indignantibus Judaeae Synagogae primoribus — Qui, coacto Synedrio, ante summum rerum sacrarum tribunal Apostolos vocant — Sed, Petro liberrime Christi causam orante, dimittuntur, ea tamen conditione, ut ab incoepto desistant — Augescente in dies Christianorum numero, Jacobus Alphaei, qui frater Domini, Hierosolymorum Episcopus renuntiatur. — Prima Ecclesiae Christianae effigies — Barnabae Cyprii hominis, et ditissimi ad Christum conversio — Ananias et Zapphyra conjuges mendacio convicti interitu puniuntur — Aegroti, omne genus e finitimis regionibus Jerusalem lati ad pristinam incolumitatem revocantur — Qua rerum mirabilium fama longe lateque manante, Primores Hebraeorum, ut suae ipsorum gratiae periclitanti consulerent, Apostolos comprehensos in carcerem conjiciunt — Sed, Angelo carceris januas aperiente, liberati, primo mane in templum ad Evangelii promulgationem redeunt — Synedrii proceres de nece inferenda conjurant, sed Gamaliel legis peritus dissidentes animos ad pacem et concordiam adducit — Septem Diaconi creantur, ut sacrae mensae et quotidianae inservirent — Stephanus Ecclesiae Hierosolymitanae Archidiaconus, primus omnium Christianorum martyrio coronatur — Qua internecione conterrita Ecclesia dispergitur per Judaeam et Samariam — Philippus diaconus Samariae Evangelium praedicat, et Petrus et Joannes legati majora nunciatis inveniunt — Ceteros inter Simon Magus baptismate lustratur, qui per manus impositionem Spiritum sanctum descendentem videns, obtulit pecuniam, ut eamdem potestatem reciperet, et a Petro gravissime

objurgatur — Philippus ab Angelo admonitus obviam occurrit Eunucho Candacis, Reginae Aethiopum, eumque primis Christianorum sacris initiat — Paulus Tharsensis antea infensissimus Christianorum insectator, luce divinitus immissa, ab Anania aquis salutaribus abluitur, et ejus facti praedicatione gaudent Christiani, Judaei infremunt — Petrus magna tranquillitate optime usus, regionibus circumpositis, Christianas recognoscit Ecclesias — In hac lustratione provinciae, Antiochenam Ecclesiam Barnabae et Pauli laboribus amplificatam reperit, ibique sedit ipse Episcopus — Lyddae Aenaeam, Joppae Thabitam ad vitam revocat — Dumque ceteras obire Ecclesias cogitat, e medio cursu, oblata rerum caelestium specie revocatur — Petri visio, et visionis mysterium — Cornelius Centurio cum suis baptizatur — Iis quae Caesareae evenerunt, audientes Hierosolymis Apostoli communi consensione ostium fidei gentibus reserari decernunt. — Antiochiae primum facta est magna gentium accessio ad Ecclesiam — Romana praefectura Syriae et Palaestinae Antiochia ecclesiastici imperii metropolis declaratur — Antiochenae Ecclesiae, primaeque sedis pontificalis gloriae praedicantur.

Insula quam fluvio cingit Tiberinus amoeno,
Magnifico emicuit templo, quod Roma sacravit
Phoebigenae [1] auctori vitae certaeque salutis.
Tres annos Latium atque ipsam vastaverat urbem
Exitiosa lues. Trepidus responsa Senatus
Scrutatus libris, Epidauro [2] arcessit ab ipsa,
Quem Phoebo natum Nymphaque Coronide supplex
Graecia per Pelopis ditissima regna colebat,
Corpore ab aegroto properantia fata fugantem.
Dum jussi simulacra Dei, templumque requirunt
Romani proceres [3], intentisque omnibus idem
Est animus, parioque stupent Trasymede [4] politam
Effigiem, cellae ex adytu et penetralibus imis
Caeruleus serpens longum caput extulit, atque
Igne micans oculos, horrendaque sibila vibrans
Incubuit templo, totamque innoxius aedem
Per mediam deerrans, sacro se occultat hiatu.
Estne loci genius? sacrum conversus in anguem
Delituit Deus? attonitos circumstetit horror
Legatos, dubiique manent. Vix tertia demum
Aurora enituit, suspensi templa petebant;
Per commota iterum strepuere sacraria crebra
Sibila; quaque adytis mugit cortina reclusis,
Fatalis coluber foribus prorumpit apertis,

Per mediamque aedem sinuosa volumina versans
Egreditur templo innocuus, stipataque vulgo
Compita perlustrat; vicino in littore tandem
Constitit, et latiam religatam ad saxa triremem
Conspiciens saltu sese superintulit, atque
Veliferum ad malum spiris ingentibus haeret.
En Deus, ecce Deus: lymphata mente sacerdos
Protinus exclamat: quid adhuc, Romane, moramur?
Quam Deus elegit, propria requiescit in aede.
Exultant signo, quo non praesentius ullum,
Legati, et laeti ausonias vertuntur ad oras.
Ingreditur Tiberim navis, romanaque pubes
Margine gramineo laeto clamore salutat
Augurium, pecudes electas cespite mactans
Fortuito, atque arabi effudens suffimen odoris [5].
Ecce autem ipse draco cristis praesignis et auro
Arduus erigitur, ripasque inspectat amoenas.
Ventum erat ad geminas qua se circumfluus amnis
Scindebat partes, mediam tenet insula terram,
Statque in conspectu pulcherrima Roma; repente
Pectore sublato insurgens epidaurius anguis
E latia exiluit pinu, ripamque propinquam
Arripit, et fugiens viridi se condidit herba.
Patricii valuere doli: vaga fabula totam
Protinus incessit Romam; fiducia crescit
Adventu propiore Dei, cum lassa resedit
Contages. Ingens solido de marmore templum
Erigitur, suffixa tholo donaria [6] pendent,
Grata salutifero quae Roma exolverat angui.

Hoc templum, has aedes [7] posthac, labentibus annis,
Romulidae obscoeno incestabant crimine. Servos

Omnibus exhaustos jam casibus, omnium egenos
Si tandem urgeret senii illaetabile pondus,
Immites domini funesto exponere luco
Assuêrant. Vitae laetos consumpserat annos
Sudans mancipium [8]; viridantem severat hortum
Ingrato domino, convivia lauta pararat,
Textilibus magnas donis oneraverat aulas;
Auxerat ingentem duplicato foenore censum;
Post grave servitium, post duros mille labores
Praemia quae seniori? obscoena habet insula mortis
Ludibrium. Petrus indignans opprobria Romae
Respicit, et senio iustos [9] instaurat honores
Quos Deus antiquo concessit foedere, quosque
Firmavit Christus. Postremae incommoda vitae
Continuo miserans scelerata ad littora certos
Mittebat pacta mercede reducere luco
Expositos, verumque Deum, Christumque docere.
Nec semel occiduam spatii mortalis ad horam
Caligans nebula ex oculis diffugit apertis;
Summa brevis vitae immortale redintegrat aevum.
Haec tua culpa fuit, Tarsensis maxime: sancta
Munera, quae ignorans romana potentia sprevit,
Fungentem indignans rabies deprehenderat, atque
Clauserat insontem tenebroso carceris antro.

Et jam tardipedes agitans per inania bigas
Nox caeli Regina, suas diffuderat umbras;
Illa Dei magnum munus damnosa diurnae
Vitai reparat dispendia, corpora fessa
Rore soporifero recreans, validumque vigorem
Artubus instaurans. Quid si miseranda cöegit
Sors rerum, et gravior telis percussit acutis?

Illa redit pia solatrix, oculisque fluentes
Detergit lacrymas, alternaque gaudia miscens
Affert hesterni jucunda oblivia casus.
At tibi quae patrio consuêsti vivere caelo,
Gens Christo devota, tibi gratissima semper
Hora superveniet. Taciturna silentia noctis
Eligis ipsa, Deo calidas adhibere querelas.
Dum strepitu tacuere urbes, dum ignava silescit
Tellus, et veluti nigranti condita peplo
Victa sopore jacet placido, dum sidera cursu
Circumeunt tacito, legemque secuta triumphant
Auctori rerum; obsequiis communibus addis
Ipsa tuum obsequium, misero secura tumultu
Ipsa Deo frueris, sanctisque absorpta loquelis
Spernis humum, optatique inhias commercia caeli.

Jamque alii fugere alio, noctisque per umbras
Immixti tuta quaerunt requiescere sede;
Ipsi Pastores, Petro mandante, recedunt
Solliciti, ut sanctum possent defendere ovile;
Pontificum senior, caris digressus amicis,
(Ipse Pudens invito animo, carique sodales
Deseruere) uni per amica silentia caelo
Suspirat tacitus. Saepe immortalia rerum
Gaudia commemorat, terrasque perosus inanes,
Totus inardescit sanctae dulcedine flammae.
Saepe Deum alloquitur: Pater est, neque taedeat illum,
Terrarum ut dominos crebras audire querelas.
Urget cura gregis, casusque insontis amici.
Qualis ruricola impatiens, cui pinguia culta
Germine odorifero, pictis cui floribus omnis
Arbos luxurians verno jam tempore laetum

Fecere augurium, medio si cernit aprili
Misceri horrifica totum caligine caelum,
Et borea surgente novum concrescere frigus,
Haerescit pavitans, ne spissae grandinis imber,
Horrida vel glacies laeti spem dissipet anni;
Haud secus ambiguam contristant turbida mentem.
Anne hoc principium belli, quod maxima Christo
Roma parat, trahimurque nova in discrimina rerum?
Omnipotens Genitor, nulli confidere quibo
Terrigenûm: confido tibi, qui cuncta gubernas,
Et paret natura uni nolensque volensque.
Quod si Christigenûm modo nata Ecclesia diam
Iram promeruit, placandae si hostia defit
Justitiae, pastor caput offero: concidat unum
Pro populo, gregis innocuam tutare quietem.
Sic ait illacrymans, iterumque moratur in una
Voce Dei curisque vacat caelestibus. At non
Omnia fas animae ¹¹ semper, quaequae ignea virtus
Ingerit: interdum raptat caelestis origo:
Illa solo editior per caelica regna volatu
Audaci graditur patriamque perambulat aulam
Indulgens, dia correpta cupidine; jamque
Longius arcano fluitaret vortice rerum
Absorpta: infelix! miserando pondere tardat
Materies, pensique vocant mortalis amores.
Sic temere adnixus candenti marmore (marmor
Fit Petro thalamus), curis operisque diurnis
Ut confectus erat, frontem reclinat honestam
Parietibus, dulcemque haurit per membra quietem.
Qualis pax animi! Quae multa pericula cingunt
Pontificem magnum, nulla formidine turbant.

Quem Nero persequitur quaerens terraque marique,
Secretae noctis latitans horrore, rigentem
Ad silicem, placida compostus pace quiescit;
Qui in Domino fidit [12], *sanctae super arce Sionis*
Constituet Dominus, qua vis ignota timorque.

Et jam maiores umbrae discedere noctis
Incipiunt, caeloque suum vaga sidera cursum
Emensa occiduo pallescunt lumine, surgens
Candidior vacua procedit Lucifer aethra.
Ecce autem Senior scruposi e pumice saxi
Corripuit latus exurgens. Si somnus amico
Rore fatiscentes renovarat corpore vires,
Ipsa anima aetherium rapuit calefacta vigorem,
Impete jamque novo exiliens super aethera poscit
Te, rerum Genitor, tibi primos sacrat amores,
Et matutino [13] compellat carmine: Salve
Perpetuae lucis dator, et mortalibus aegris
Principium finisque, novum qui cernere solem
Annuis. En primo radiantis lampadis ortu
Caelum navigerumque mare, atque jacentia rura
Fulgere conspicio! Atque utinam admirabile Verbum,
Qui sol [14] aeterno manans de lumine lumen
Aeternum venit stygiam perrumpere noctem,
Ilicet in toto videam illucescere mundo!
At quoniam ingenti merces quaerenda labore,
Ipse mihi, populum tua qui sub nomina gigno
Ingentem, ipse fave innumeris, qui rura coloni
Per patria incumbunt divinum spargere semen [15].
Eja tibi sit sacra dies: volventibus horis
Cuncta tibi momenta dico; tua gloria crescat.
Tum vero volvens hesterna pericula rerum

Cernuus ante aram procumbit, et ignea caelo
Lumina convertens: Benefactis talia reddunt
Praemia terrigenae ? dixit. Qui cuncta potenti
Numine compescis, magnoque misertus amore
Concilia haec hominum caecis obsepta tenebris
Luce nova irradias, teque aspernata cruorem
Unigenae effundens in regna paterna reducis,
Nos tua progenies, quantis jactamur in undis,
Adspicis. Ah ! miserere pater ; nox incubat atra
Coetibus humanis: huc semina prima malorum
Detulit infernae deterrimus incola sedis !
Sic inscripta tuis manibus caelestia vera
Rescidit, ut lucis radiantia tela tueri
Caecigeni [16] infensi nequeant, umbrisque morari
Praetulerint. Miserere Pater, tua regna propaga,
Et dum cuncta tibi bellantur, protere cuncta
Inferiora tibi. Tibi cuncta fatebitur orbis
Debita, si victus tandem tua nomina adorat.
Talia suppliciter calefacto e pectore Petrus
Fundebat, longoque simul fletu ora rigabat.
Parte alia, quibus illa fuit nox longior anno,
Mane novo comites aderant, Cletusque Linusque
Et Lucas saevoque recens a vulnere Pauli
Tychicus ante omnes moerens, magnusque Senator,
Natorum comitante choro, et lectissima matrum
Cornelia. Haec ducit geminas gavisa puellas
Splendidulis suaves oculis, habituque decoras,
Lilia puniceis velut intermixta rosetis.
Postquam introgressi, laeto circum agmine magnum
Cingunt Pontificem, et merito venerantur honore.
Non mage nocturnae post horrida frigora brumae,

Sicubi flammanti illucescit lampade Titan,
Plenaque per terras jaculatur spicula, saeva
Lentescit glacies, subitoque novata calore
Viscera terrarum viguere; ut nube repulsa
Tristitiae, Senior venientes conspicit, atque
Miratus primo cunctos exurgere eoo,
Obsequii pignus, lacrymis affatur obortis:
At non haec pietas magna sine laude manebit,
Qui me Pastorem, tot consurgentibus undis
Jactatum excipitis, tantoque fovetis amore
Christiadum patrem. Qui conspicit omnia caelo,
Cujus servo vices, caelesti protegat umbra
Atque domum, et dominos, et munere compleat omni.
Crescite vos, pueri, patria pietate: puellae,
Discite materno exemplo contemnere terras,
O amor atque decus genitorum, et gloria gentis.
Inde Pudens animum graviori extollere cura
Sollicitus; spretis at tu, Pater optime, dixit,
Insidiis, totam potuisti ducere noctem,
Credo equidem, orando? Petrus sic farier infit:
Id volui, ast animae mortalia membra vigorem
Debilitant; improvisus sopor occupat artus.
Sacra parata, Pudens? positam advolvamur ad aram
Ocyus, et Patri solitum instauremus honorem;
Dona ferunt, onerantque aras festina juventus.
Remque facit Senior pro tempore, totus in uno
Quî fas a caelo certae tibi, Paule, salutis
Spem facere: hoc orant Senior lectique ministri,
Et firmant animos caelesti munere. Raptat
Martyris invicti pollens exemplar, et omnes
Lethum audent Christi magna pro laude pacisci.

Talibus exactis, ut dulci saucia cura
Tota cohors summi pendebat ab ore parentis,
Cornelius primum dictis compellat amicis:
Maxime Pastorum, Pauli infortunia, si fas est,
Prosequar invidia. Felix, cui praemia virtus
Parturiit sancti facta inter maxima amoris!
Bellipotens valli nonne excubat aggere ductor,
Atque occursantem manet imperterritus hostem?
At nos, quandoquidem forsan graviora minatur
Horrida barbaries, haec ara tuebitur omnes,
Et domus; has nemo audebit tentare latebras.
Ex quo praecipuo concessum munere verum
Nosse Deum, veteris vitae commercia cuncta
Deserui, oblitumque forum, oblitusque senatus.
Riserunt proceres, risit Nero, totaque risit
Aula, putans odio rerumque hominumque maligno
Me latuisse domi. Norunt mea vendita rura,
Quae magni stabunt usu mutata sacrato.
Quin ubi tot Divûm statuas et ahenea signa
Antiquo dejecta loco, et spoliata domorum
Limina conspexere, novo insanire furore
Crediderunt: juvit Christi pro nomine dici
Insanum [17]: mihi parta quies, securaque vita,
Notaque pauperies discrimina cuncta removit.
At tu, namque sinit tempus, nostram accipe mentem.
Ni gravior, venerande Senex, te cura remordet,
Per spem Christiadum, per magni exordia regni,
Anne datas melius traducere possumus horas,
Quam si romanae cathedrae primordia, totque
Per maria et terras actos, te principe, motus
Enarres nobis primaeva ab origine? Lucas

Hic aderit: scripto, ne postera nesciat aetas,
Audita accinget saeclis mandare futuris.
Cui sic laetato respondit lumine Petrus:
Grata, Pudens, poscis: mihi dudum magna cupido
Sederat hoc ingens narrare nepotibus aevum.
Ut facile cunctis lux orta nitesceret oris,
Consultum apprime: variis bona nuncia linguis [18]
Evulgata patent, et vero creditur uni,
Unaque cognatas sociat concordia mentes.
Magnum operae pretium porro, si Ecclesia Christi
Qualis ab incoepto magnum processit in orbem,
Per varios casus, vivo depicta colore
Extet Christiadum populis. Nec respuo munus
Interea, quandoque parum Deus obtulit otî,
Expediam dictis magnarum exordia rerum.
Eja tuo digna ingenio, Luca [19], excipe: scribe,
Et tua perpetuo celebrata volumina vivent.
Discite Romulidae, discant venientia saecla
Ingens prodigium et renovati foedera mundi.
Sic ait atque crucem, quae summa desuper ara
Eminet, adspiciens, obtutu fixus in uno
Constitit; inde nova incoeptis quaesisse videtur
Robora: compressis labris meditatur ibidem
Quae canere incipiat, variaeque ardentis ab ore
Scintillae absistunt: lectissima turba tenebat
Ora animosque, flagrans priscae virtutis honores
Audire. Ille autem pleno sic pectore coepit:
Quae nunc in majus veneranda Ecclesia [20] crevit,
Hoc primum moneo, nostro non incipit aevo.
Et fortunato primum prognata recessu,
Et postquam infecta maculatum ab origine semen,

Divina deducta manu stirps inclyta [21] numquam
Desiit, at serie innocua servata tenebras
Per medias viguit. Foedi contage veneni
Progeniem egregiam vasti munimine valli
E circumpositis divisit gentibus ipse
Omnipotens, monstrans, quid turpe, quid utile, quid non [22],
Donec, perfecto divini temporis orbe,
Instaurata novo cultu, laetata beato
Adventu Domini in tantos succrevit honores.
Connubio dignata recenti Ecclesia, gentem
Non tantum hebraeam, stirpis primordia nostrae,
Ast omnes populos cognata ab origine cretos
Promissam in partem heredes, regnumque vocavit.
Quae Sator omnipotens primo documenta parenti
Tradidit illustrans mentem, diaque loquela
Enucleans, tandem pleno renovata [23] locavit
Lumine Messias, divinaque tela furoris
Contudit, ultricem diffuso sanguine placans
Justitiam. Ecce Dei nati sumus [24]; ecce paterni
Expectare licet pretia immortalia regni,
Atque Deo, caeloque frui [25], quae maxima merces
Christiadum, humanae quae meta novissima vitae.
Unde autem incipiunt caeco felicia mundo
Saecula, queis unum populos jus continet omnes,
Una fides [26], unusque Deus, baptismatis una
Relligio cunctis, atque unus pastor ovilis?
Dicam equidem, et magni narrabo exordia regni.
  Morte triumphata, superam remeàrat ad auram
Omnipotens Jesus, et dia luce coruscans
Agmen apostolicum cultu exhilaràrat amico;
Deque Dei regno, de caelo multa locutus

Audaces animos ad maxima coepta creârat;
Ecce autem frontem sol quadragesimus auream
Extulerat: ducente Deo, convalle virenti
Paciferas oleas inter secessimus omnes,
Magnaque tractantem stupefacto audivimus ore
Extremum: Ille monet Solymis considere cunctos:
Tempus adest, inquit, mea vos promissa, meique
Expectare Patris. Joannem flumine vivo
Vidistis lustrare viros, neque tempore longo
Vos Flamma ignipotens lustrabit ab aethere missa:
Vos virtute nova Spirabilis Aura replebit;
Atque mihi testes eritis Solymaea per urbis
Compita, Judaeamque omnem, et Samaritica rura,
Perque alias terras, qua sol oriturque caditque.
Talia dicta dedit, cunctisque stupentibus ingens
Majestate nova emicuit Deus: inde potenti
Deseruit virtute solum, atque assurgit ad auras.
Transeuntem agnoscit Dominum, et capita ardua totum
Flectit oliviferum nemus, et stupefacta fluenta
Praetrepidans Cedron [27] tenet: ille per äera magnum
Evolat, et vario quo tranat inania tractu,
Immoti siluere euri: jubar aethera vestit
Purpureum. Ast acie quantum servare sequendo
Possumus, ille parum cursus remoratur, et imas
Extremo miseras conspectat lumine terras,
Et socios stantes manibus benedicit apertis.
Aurea tum nubes radianti interlita luce
Excepit gremio, interclusaque culmina caeli.
At gemini juvenes aderant. Et candida vestis,
Et frontis formosus honos, et membra decora
Caelestisque humerus ceu versicolore nitescens

Remigio alarum aethereos demonstrat alumnos.
Qui juxta steterunt, et sic rosea ora resolvunt:
Unde, Galilaei [28], tantus stupor? aethera purum
Namquid suspicitis? Jesus, quem cernitis aura
Sublatum propria, et caelestia regna petentem,
Inde iterum terras, finito tempore rerum,
Adveniet, patriaque ultor pro lege sedebit.
Heu! quianam verbis nostros vulgare dolores
Aggrediar? quanto mens inscia fluctuat aestu!
Ille aderat Deus, et praesenti numine firma
Nostra videbatur tuto procedere vita.
Dulce fuit comitare Deum, vultuque morari
Ambrosio, et veras audire et reddere voces.
Et nunc immemori quisquam demittere mente
Ardentes oculos poterat, frontemque serenam,
Verbaque suaviloquo manantia dulciter ore?
Amisso veluti ignotas rectore per undas
Erramus, laetaque adeo sine luce manemus.
At mox attonitis subiere novissima verba;
Excutimur somno, et clivum frondentis olivae
Linquimus, et cuncti Solymam properamus ad urbem,
Qua mandata dabant. Jonas [29] quem nomine dicunt
Marcum, collectos patefacta excepit in aula.
Agmen apostolicum, sacri omina prima senatus
Quos domui sanctae artifices Deus ipse creabat,
Surgenti moli tot fundamenta [30] futuri,
Ingredimur: mirata Deum per rura, per urbes
Consequitur manus; in coenacula magna venimus,
(Isacidae summas aedes coenacula dicunt)
Bissexaginta, quae prima Ecclesia fratrum,
Spirandaeque Aurae mentes et corda paramus.

Ipsa choro praeerat summo acceptissima Regi
Immaculata Parens, quae primae nuncia pacis
Mutavit nostrae miseranda pericula sortis.
Semianimem cernens funesto e robore Christus
Dixerat alludens: Pro nato, Mater, adempto
Omne hominum genus accipies. Dicta illa revolvens
Undenos sequitur summa ad fastigia fratres,
Oratura patrem, complensque novissima verba
Maternis totum curis complectitur orbem.

Ut regno staret concordia magna futuro,
Providit Jesus (et quaenam improvida menti
Divinae esse queant?) legitque ex omnibus unum,
Cui summam magni imperii commisit habendam.
Jordanem propter laeta regione peragrans,
Et qua Paneada [31] antiqui dixere, Philippus
Caesaris Augusti memori de nomine dixit
Urbem, continuo campis remoratus apertis,
Ecquem me dicunt homines? quondam ipse rogavit
Discipulos. Illi praeconia cuncta tulere,
Et quae per varias ibant vaga murmura gentes:
Joannen alii communi voce vocatum
Baptisten: Heliam alii, plerique salutant
Jeremiam, aut priscis ingentem e vatibus unum.
Tum vero Jesus [32]: *At vos quem dicitis esse?*
Hic ego confidens animo: *Tu es Christus, et ingens*
Progenies patris. Quibus ille haec magna reponit,
Vaticinans: *Felix Simon! abscondita rerum*
Non caro, non sanguis potuere ostendere; caelo
Ipse Deus docuit, verique arcana retexit.
Atque ego dico Tibi: Tu Petri nomine gaudes,
Et super hac Petra mea quondam Ecclesia surget,

Quam poterit Regum nulla exuperare potestas,
Nullaque vis erebi. Tibi ego tibi trado potentes
Caelestis regni claves; quaecumque ligabis
In terris, eadem firmabit vincula caelum,
Quaeque soluta tibi, caelesti numine solvam.
Tunc promissa dedit, primique insignia honoris:
Promissam praestare fidem, et fundamine certo
Jura potestatis voluit firmare, priusquam
Desereret terras, patriamque rediret ad aulam.
Funerea victor Jesus surrexerat urna,
At nos amisso ignaros genitore per arva,
Per mare desertum dolor, et formido trahebat.
Forte pererrabam patrii per littora stagni
Et comites aderant pauci: nox languida velo
Coeperat umbrifero caeleste obnubere templum:
Discipulis gravior sub noctem cura recurrit.
Multa super Christo rogitant, et multa loquuntur
Prodigia. At quoniam tellus, mare, sidera rident,
Eccur piscando non fallimus otia? laudant
Consilium, in tutas navim deducimus undas.
Persaepe aequoreo fallacia retia ponto
Objicimus, persaepe labor frustratur hiantes.
Jam matutino tandem surgebat in ortu
Lucifer et summos spargebat lumine fluctus:
Littore constiterat Jesus, neque novimus illum.
Ille autem accedens: An pulmentaria habetis,
O pueri, dixit? Simul audiit ipse querentes
Tota nocte laborasse, et recidisse laborem
In vacuum, ad dextram jussit dimittere navim
Retia, quae demum spoliis cumulantur opimis,
Squamigerûmque strues viridanti exponitur alga.

Tunc patuit Dominus: divino e vertice flamma
Emicuit, vultuque sacro pulcherrimus arsit.
Ocyus e cymba cuncti descendere: prunis
Ilicet accensis majorum imposta natantum
Corpora, festivaeque paratae littore mensae.
Ipse etiam accumbit Jesus comeditque: stupebant
Discipuli interea: sic Jesus ora ferebat
Vivens: tale viri sonuit vox dia loquentis;
Versicolore nitens talis subtegmine vestis,
Incessusque habitusque: at nota major imago
Venerat, atque oculis insuetum afflârat honorem.
Postquam prima quies epulis, cunctique priores
Deposuere metus, in me flammantia vertens
Lumina sic fatur: *Simon, e sanguine Jonae* [33],
Me plus his adamas? Ego tunc: *Te pectore toto*
Ipse amo te, Domine. At Jesus, responsa ferenti
Pasce meos agnos, inquit. Tum quaerere rursus:
Me plus his adamas? Et respondere roganti
Gestio: *Scis equidem, scis ipse:* et rursus Jësus,
Pasce meos agnos, addit. Nec deinde moratus
Me, Simon, adamas? quaerit. Mihi tristia mentem
Turbant: et dubitans, quorsum tam multa rogaret,
Omnia tu noris, nec cuiquam est fallere; nosti
Ut te sollicito dilexi semper amore.
Tunc Jesus laeto vultu subrisit, *ovesque*
Pasce meas, inquit. Quae mira potentia verbo!
Scilicet immensus caeli terraeque Creator,
Cum nova constituit nullique audita priorum
Jura potestatis, voluit notescere terris
Nil esse humanum, divinitus omnia caelo
Procurare Deum [34]. Dignatur munere primo

Me qui nil merui, qui multa indigna relatu
Admisi. E saxo [35] Abramidas Deus excitat; ingentem
Exertans humerum caelo dextramque coruscans
Deiecit solio populorum numina reges,
Pauperiemque humilem sublimi in sede locavit.
Ast ego, quandoquidem cunctos simul unus agebat
Ardor, et una fides, concesso munere fungens
Ardebam in primis sanctum complere senatum.
Ergo expectanti fervere sedilia coetu
Conspiciens, certam pando per singula mentem.
Undeni fratres, veneranda oracula Patrum
Omnia divino cecinerunt carmine. Judae
Non tacuere scelus, sancti qui ad magna vocatus
Jura ministerii parva mercede magistrum
Prodidit. At sceleri indigno data praemia quidnam
Profuerunt? ramo sese suspendit ab alto
Impius, et medio diffudit viscera campo.
Id cecinit Psaltes: *Fiant deserta domorum*
Limina, neve habitet quisquam: sua munera lectus
Alter suscipiat [36]. Numerum complere necesse est;
E medio coetu vestigia sancta secuto
Carpere praestiterit, qui vastum incedat in orbem
Nobiscum, testaturus facta inclyta Jesu.
Sic ego; seligimusque duos ex agmine toto,
Joseph, communi dictum cognomine Justum,
Et Mathian [37]. Simul oramus: Qui pectora nosti
Omnia, tu, Jesu, ostendas, qui dignior alto
Munere, quod tenuit Satanae damnatus Iudas,
Et dedimus sortes [38]; e ductis sortibus exit
Electus Mathias, et bissenum integrat agmen.
Hesterna jam luce sacris memoravimus aris

Semper honoratum nobis semperque verendum
Prodigium. Ex illo perfecta Ecclesia coepit,
Cum primum summo veniens Rex aethere sponsam
Longo praereptam gemitu, miserisque tenebris
Connubio junxit stabili, et conclavibus aureis
Progressam supero Reginam in monte locavit
Conspicuam [39]. At sanctam quae exornat gloria sponsam,
Intus [40] corde latet. Quî tanta potentia verbo,
Ut facies animae [41], ablato velamine, coram
Emicet humanis oculis? qui splendor honestat?
Captus amore suo, pulchraeque cupidine formae
Ipse quidem sponsus divina charismata, sanctae
Spiramenta aurae fudit. Quae Gratia sanctos
Caelestesque facit, quae rerum arcana tuetur
Immaculata Fides, neque conscia foedera rumpit
Spes promissa sequens sperato gaudia risu,
Atque Amor aeterno scintillans pariter igne,
Sanctae hi custodes animae, miscentque foventque
Virgineo in gremio caelestis munera vitae.
Et nos inprimis spirabilis ambiit Aura
In nova piscantes miseros [42] miracula rerum
Transformans. Strepitum fugiens, curisque soluta
Terrenis, stabat Christi selecta propago
Orabatque Deum, tantum caelestia sperans
Gaudia. Multifidae sed vix sub imagine flammae
Aura potens, amor omnipotens, spirabile Numen
Supra quemque stetit comitum, cunctique potenti
Turbine corripimur, virtus ciet ignea mentes,
Quos modo ductoris tremefactos funere acerbo
Palantes timor ut pavidos prostraverat agnos [43],
Aut vitam trahere errantem piscosa secundum

Flumina venatu assiduo cogebat egestas;
Jamque manus ignota adigit; penetralibus altis
Egredimur, ducente Deo, variisque loquelis
Eloquimur populis sanctarum abscondita rerum.
Dives opum, munita situ, atque uberrima campis
Florebat Solyme: populosa exaestuat unda
Per plateas, deerrantque viri; pars munera pacis
Exercent artes varias et divitis otî
Inventa, externis faciens commercia terris
Pars inhiat lucris, mercesque importat emendas.
Tunc vero major populus convenerat: omnis
A Juda soboles totum dispersa per orbem [44],
Evolvens veterum celebrata oracula patrum
Affore crediderat tempus, quo nuncia pacis
Pignora venissent Judam exhilarare jacentem;
Crediderat, famaque volat mirabile factum
Circumquaque ciens vicinas protinus urbes:
Conveniunt Solymam, solymaeaque templa frequentant.
Ut vero insueto commotos numine spectant
Bissenos proceres, linguas centum oraque centum [45]
Audierunt resonare, omnes caeleste stupescunt
Prodigium, et vario secum sermone requirunt:
Nonne Galilaea [46] hi veniunt? miranda loquuntur
Humana majora fide. Quos medus Hydaspes
Educat, aut Parthus Tigris, quique avia rura
Cappadocum, tumidoque tenent contermina Ponto
Littora, florentemque Asiam, et squalentia tesqua
Cyrenae, Arabiaeque domos, Cretamque potentem,
Et septingemino venientes vertice Romae
Adsumus hic, gentes variae et diversa loquentes [47].
Omnes quisque suo fantes audivimus ore,

Narrantesque Deum, et Christi nova sacra ferentes.
Quae nova prodigii facies? per compita talis
Rumor in ambiguo est: alii spectacula rerum
Intentis lustrant animis, alii omnia rident,
Et capita illudunt chio madefacta calenti.
Ast ego, cui dederat sensus penetrare repostos
Omnipotens, dextra vultuque silentia posco,
Et socios ipsos jubeo obmutescere; solus [48]
Eloquor, atque omnes arrectis auribus instant:
O fratres, Judae genus alto a sanguine, fratres,
Et qui signatam Solymae venistis ad urbem,
Eja agite, huc paulum vestras convertite mentes.
Magna feram. Nam quae spumantia pocula vino
Jactatis, quando vix tertia labitur hora?
Talia praemonuit divino carmine Jöel:
Magna dies veniet, cum dius Spiritus omnem
Implebit carnem: caelo dictante, futurae
Natique et natae cantabunt munera sortis.
Et super his juvenes rerum admiranda videbunt,
Elataeque senum mentes nova somnia cernent.
Ipse meos caelo famulos famulasque replebo
Flamine; discutiens caecae caliginis umbram,
Arcanas Flamen leges, aevumque jubebit
Pandere venturum. Dabo prodigialia caelo
Monstra, dabo terris, manantes sanguine rivos
Ignemque, et rapido fumantem turbine nimbum;
Ipsum etiam roseo defectum lumine solem
Cernere erit; pallens suffuso luna cruore
Inficiet vultum, extrema in luce, priusquam
Magna dies veniat: Domini quicumque vocabit
Nomen, salvus erit. Nunc vos Isräele nati,

Vocem audite meam. Jesus, cui Nazzara nomen [49]
Tradidit et patriam, quem virtus ignea vexit
Supra homines, per quem vestris ostendit in oris
Mira Deus, nece per vos interfectus acerba est.
At vestra Omnipotens mutavit crimina caelo,
Diaque caelestem vestivit gloria Natum,
Isacides qualem praesaga mente videbat.
Panditur extemplo moles operosa sepulcri,
Ille triumphator supera expatiatur in ora
Jamdudum, et resides animos et rustica corda
Hortatus comitum, se in caelica templa recepit,
Unde potens regni, divini flaminis auram
Omnipotentem auram misit, quam cernitis ipsi,
Per nos arcanas caeli vulgare loquelas.
Talia dicebam; in fletus solvuntur amaros
Omnes continuo: ceu mollis cera liquescit
Ignibus admotis, ceu sole oriente tepescens
Nocturna astrictus glacie dissolvitur humor,
Paullatim obtusae incipiunt mollescere mentes
Cordaque praedura, et quae facienda requirunt.
Ast ego: Si innocuo scelerastis funere vitam,
Exitiale nefas lacrymis detergite; puris
Lustrabit Christus lymphis auraque salubri.
Nec mora, quot sacri suavissima gratia veri
Corripuit, sancto lustravi fonte salutis,
Et mea sacrati posui primordia regni.
Nam primo sermone virûm tria millia nostro
Credunt alloquio, et sacrum ingrediuntur ovile [50].
  Tertia jam orantes commoverat hora, Deoque
Quod majus terris templum Judaea sacrârat,
Scandere gestieram, lecto comitatus amico

Joanne. Ecce autem primaevo claudus ab ortu
Illacrymans stabat Speciosae [51] ad limina portae,
Si quisquam miserans clamanti accurreret aegro.
Qui me marmoreo subeuntem limine spectans,
Altius inclamabat, opemque in vota vocabat.
Nec frustra: sistunt comites; atque ipse querenti
Respice me, dixi. Lacrymis rorantia claudus
Lumina sustollit, magnoque ego numine plenus:
Si mihi non auri, dixi, argentique metalla,
Accipe quae possum: Tibi dico, in nomine Jesu
Nazzarei consurge: manumque amplexus inhaesi,
Erexique solo. Gradientem vincula nulla
Impediunt; stetit exiliens, Jesuque Deique
Collaudans nomen. Firmo vestigia gressu
Ponentem, et superis tanto pro munere grates
Solventem spectans (cui non innotuit ille
Ante fores recubans?) populus glomeratur in altis
Porticibus [52]: tantam sed ego increbrescere turbam
Attonitam spectans: Quid vos mirabile factum
Usque adeo tenet intentos? nec dextera nostra
Id porro poterat: manifesto numine caeli
Talia succedunt. Promissi muneris auctor
Omnipotens Deus, ille Deus, quem Abramus, Isacus
Et Jacob coluere [53], hominum lumenque ducemque
Messiam voluit magna inclarescere luce.
Quid dubitatis adhuc? Jesu nomenque fidesque
Concessit claudum firmato incedere gressu.
O lectum genus antiquo de sanguine Judae,
Quae Samuel olim, quae tot cecinere prophetae,
Tempora venere. Heredes properate: reclusum
Testamentum ingens [54], quod certo foedere sanctis

Promisit populis Abrahami in nomen ituris
Omnipotens, lecto benedicens semine cunctis
Terrarum populis. Vos haec oracula poscunt;
Vobis in primis caelo descendit ab alto
Messias, vobis tumulo surrexit aperto.
Eja agite, atque animum patrio convertite caelo.
Turbae flexanima rerum dulcedine motae
Auribus arrectis steterunt, mentemque benignam
In nos accipiunt, nos nostraque jussa sequuntur:
Excita Jerusalem monstris ingentibus haeret.
Qualis bellator si circum moenia tendit
Urbis, et indugredi parat auxiliaribus armis;
Justitia incoepti virtutem exuscitat; acres
Praeterea assistunt acies, quae robore duro
Praevalidae sanctam jurârunt prodere nunquam
Militiam; obsessus primum molimina vana
Irridet: mox primo ausu si audacia deerit,
Atque interlucens muris jam spissa corona
Nutantum numero coepit rarescere, pendet
Addubitans, subeunt irae, et suspecta pericla
Ultrices jaciunt laniata in pectora flammas;
Haud secus Isacidae primum conamina nostra
Illudunt, mox successu perfecta secundo
Spectant obliqui, atque armis, atque arte resistunt.
Postquam Judaeam, primi incunabula veri
Romulida evicit, regnumque oppressit iniquo
Imperio, Christus mysteria magna ferebat
Hebraeae genti: sed quosdam falsus agebat
Igniculus patriae; regem excupiere potentem
Abrami de stirpe satum, qui in regna remittat
Progeniem antiqua, et metuendos proterat hostes,

Transversos agit hos carnis vitiata libido [55];
Altera pars caelo missam vocem audiit; olli
Dia fides potior, meliusque oracula patrum
Intellecta: Dei natum de semine Jesum
Christum amplectuntur, qui toti nunciat orbi
Ignotas leges, qui in mutua vincula fratrum
Omnes terrigenas uno convertit amore,
Qui, spreta tellure, poli immortalia regna
Recludit, cupidosque oculos mentesque scatentes
Terrenis nebulis rerum ad caelestia raptat.
Namquis victori primum contendere Christo
Ausit? sacrato primum de limine bellum
Erupit: neque enim tantos consurgere motus
Securi Isacidûm proceres videre. Coactum
Concilium magnum (Synedrim [56] cognomine dicunt);
Quod, mandante Deo, quondam delegerat ipse
Legifer illustris Moyses, dederatque supremo
Servare imperio sacrati oracula juris.
Scilicet horrendae falso qui crimine mortis
Prodiderunt Christum, simul atque increscere vulgi
Impatiens studium, et Solymam videre stupentem,
Non ullam fecere moram, sacrumque tribunal
Indicunt. Vocor ipse, simul comitante Joanne,
De me, de Christo rationem reddere; claudo
Allatum auxilium, et caussas agnoscere quaerunt.
Ergo introgressus, nostro Deus affuit ori,
Talibus incoepi: Clarissima lumina gentis
Hebraeae, magnique senes, audite loquentem.
Vos tantum haec benefacta movent, ceu nostra potestas
Tanta foret: Judae tellus haec audiat omnis.
Vobis vera loquor. Si vulnere clauda recepit

Membra aeger, pedibus rectis si incedere coepit
Ille diu recubans Speciosae ad limina portae,
Christi omnis virtus: per Christi nomen Iesu,
Nazzara quem genuit, qui victa morte triumphat,
(Aeternam tali sobolem illustravit honore •
Omnipotens) veniam claudus suscepit eundi.
At Jesus, falsa quem proditione prehensum
Damnastis, vobisque male aedificantibus actus
In praeceps, Jesus, qualem cecinere prophetae,
Est lapis [57], unde novae domui stetit angulus ingens,
Quae domus ingenti passim consurgit honore
Complexura suis populos penetralibus omnes.
Una salus Jesus, nec fas sperare salutem
Ex alio. Nomen venerabile tradidit ipse
Terrigenis Deus antiquas reparare ruinas.
Immotis animis caelestia jussa canentem
Omnes audierunt patres. Stupor urget inertes,
Et dum magna animo virtus, dum insigne recursat
Eloquium (neque nos humili de gente latebat
Esse omnes studiisque rudes), violentia gliscit,
Consiliumque ineunt: constat sententia cunctis
Protinus audaces commota extrudere ab urbe.
Tunc ego pauca loquor pro re, sed cuncta diremi
Cetera tentamenta virûm: Cognoscite, Patres,
Quae rerum ratio: vobis parere necesse est,
Anne Deo [58]? id porro certum: quaecumque jubetis
Mandatis Christi nostraeque obstantia causae,
Jussa cadent cuncta in vacuum. Quae vidimus omnia,
Quae Christus docuit, cunctis vulgabimus oris.
Humanum non istud opus: divinitus istud
Obtigit officium, commissaque jura loquendi.

Tunc ego nutantem incertis rumoribus aulam
Deserui. Sociis certamina prima laborum
Enarro, mentemque paro maioribus ausis.
  Et jam siderei vestigia Flaminis omnis
Praesentit tellus: cognata potentia caelo
Mutatas mentes vocat, instaurataque vero
Pectora monstrato gaudent se vertere caelo.
Ingens, spe major Solymaea crescit in urbe
Credentum coetus. Summo data gratia Regi,
Auspicium coeptorum operum tunc prima locata
Regni fundamenta novi; consortia sacra [59]
Constitui, atque statis horis in templa receptos
Pascebam eloquio, et certa pro lege regebam.
Omnia quae reputans felicius ire, gregique
Primo commodius, proprius si pastor adesset,
Consului fratres: et pastor traditus urbi,
Plenoque emicuit Solymaea Ecclesia cultu.
Qua prior incoepit fidei surgentis origo,
Quaque cruce e summa mysteria magna peregit
Christus, Jacobus sancto praefectus ovili,
Qui frater Domini, nec erat praestantior alter
Justitiae studio, Dominum per cuncta secutus;
Atque potestatis dedimus gestamina magnae.
Aurea tum attonsos circumdedit infula [60] crines,
Et sanctam ascendit, coetu plaudente, cathedram,
Pascua laetifico monstrans uberrima cultu.
O bene partus honos, cathedraeque insigne decorum [61],
Quam magno ambibunt studio venientia saecla!
Ipsa operis magni auspicio exemploque loquetur
Ingenti, et rapiet fratres ad magna sequaces.
Paulatim interea Christi consuescere mori

Atque novae speciem vitae praeferre redemptae
Incipiunt gentes. Quos sancto foedere amoris
Junxerat una fides, fraterno nomine cuncta
In commune ferunt [62]: veteres tellure recludit
Thesauros locuples, irritamenta malorum
Quondam, nunc tristis solamina dulcia vitae.
Incumbunt operi comites: per tecta domorum
Compositam frangunt cererem, mensisque paratis
Excipiunt inopes. Hi Christo vivere discunt,
Qui nudos vestit, qui alimenta ministrat egenis.
Ipse Pater caelo signis praesentibus ingens
Juvit opus: pietas alios movet inclyta; saeva
Terrificant alios rerum portenta scelestos.
Ecce autem fama per totam inclaruit urbem
Cyprius: ille Joseph communi nomine dictus,
Barnabbam [63] appellare alii consuêre. Calenti
Ingenio abreptus, mutato sidere, sese
Transtulerat Solymas, qua fertilis ubere campi
Ditior, et positis nummis in fenore, vitam
Desidie in molli luxuque trahebat inerti.
Ut vero nullis saeclorum visa priorum
Prodigiosa videt, tum formidabile caelo
Turbavit signum, conversaque pectora moris
Anteacti extemplo ceperunt taedia: solis
Incubuisse opibus noctemque diemque parandis
Poenituit: multo lacrymans divendidit auro
Pinguia camporum, pretioque potitus opimo
Ante pedes sanctos retulit, blandisque querelis
Oravit: Si quae juste injusteque parata
Sunt mihi, sponte fero. Sinite ut damnosa refringam
Vincula, quae terris animam remorantur inertem:

Haec date pauperibus; ego pondere liber ab omni
Vos quacumque sequor, qua Christi gloria ducit.
Venit Ananias posthac, Zaphiraque venit
Conjux. Incensi vitae melioris amore
Ambo vendiderant agrum, pretiumque receptum
Pontificis partem ante pedes statuere: sub arcam
Abscondere aliam, sperantes posse latere.
Ast ego praesensi simulata mente locutos.
Quid te tentavit Satanas corrumpere verum?
Infelix! tua te perdet fallacia: non tu
Mentiris porro nobis: tua Spiritus almus,
Cui tu mentiris, caelo perjuria damnat.
Fatus eram, exanimisque solo, ceu fulminis ictu
Haesit Ananias. Nec tertia fluxerat hora,
Atque ignara mali mulier, mortique nefandae
Ipsa etiam devota petit sacra tecta: sed olli
Occurrens: Mulier, nec falsa fatebere nobis,
Dic age, quo pretio conjux venumdedit agrum?
Ast ubi dissimulans eadem mendacia firmat;
Quid vos, exclamo, Spirabile fallere Numen
Creditis? ecce tuum subito posuere sepulcro
Falsum, mendacemque virum: similique secuta
Fraude virum, conjux simili ne desere poena.
Talia vicinam sparguntur monstra per oram:
Morbis tentatos variis matresque virosque
Jerusalem asportant. Ut lecto fessa jacebant
Corpora tabificis dudum languoribus acta,
Per plateas exposta manent, quacumque pererrans
Incideram [64], saltem orabant gradientis imago
Tegmine obumbraret sancto, caussaeque repente
Longarum effugerent febrium. Neque multa rogantes

Destituit praesens favor; implorantibus omen
Gratia caelestis superastat. Cuncta recedit
Sanis corporibus pestis. Tum spiritus ater
Sicubi sollicitos miseris cruciatibus artus
Vexaret, jussus possessa relinquere membra,
Infrendens stygiae repetebat lurida vallis.
Quid tantis faceret signis Judaea rebellis?
Infremuit secum, tacita neque mente cruentum
Judicium mansit: facto velut agmine sistunt
Magnorum auctores operum, injiciuntque catenas
Aerisonas, caeduntque flagris et carcere claudunt.
Quae vos improbitas agitat, quae amentia Judae
Sacricolae? jurastis ineluctabile bellum
Christo? sed Christus spes omnis et unica virtus
Praebuit auxilium: tenues ceu fumus in auras,
Irrita vanuerunt foedae molimina fraudis.
Nocte super media, loca caligantia, caeli
Angelus ingreditur, reseratque obstrusa repente
Ostia: Jamque exite, inquit: conscendite templum,
Et miserae plebi dios monstrate recessus.
Et jam mane novo vix titan aureus urbem
Commotam exhilarat, populi inspectante corona,
Cernere erat diae vulgantes dogmata vitae.
Desipuit Synedris: miseram timor iraque mentem
Praecipitant, Princepsque aulae properata vocabat
Fratrum colloquia, et magnis de rebus agebat:
Quo res summa loco, quae, si fortuna sequatur,
Gens nova molitur coeptis audacibus, uni
Cuique patent, Proceres, manifesta, nec ipse
Praecipiam eventus. Tantum cognoscite noctis
Praeteritae casus. Duodenos undique captos

Mulctâram abstruso latebrosi carceris antro.
Excubiae alternae vigili statione tenebant
Portas vestibuli aeratas. (Vix credere dignum,
Ni res ipsa fidem faceret). De carcere cuncti
Evasere: tamen facti via nulla patescit.
Ut primum ferro clausa, et compagibus arctis
Ostia magna manent: ipsi per compita laeti
Interea volitant, civesque, in limine templi,
Doctrina elatos in aperta pericula mittunt.
Eventus rerum insoliti subsellia terrent,
Implacati odii flammis incendia gliscunt;
Jamque faces inferre parant, lapidesque minantur.
Dum fera tempestas immania murmura miscet,
Surgit Gamaliel [65], qui consultissimus omnis
Legis erat, talisque habitus: is totius aulae
Consilium regit, et commotas temperat iras:
O Proceres, extrema sequi contra omnia jura
Arbitror; ire suo potius pede cuncta sinamus.
Plerique et meministis enim et memorare potestis,
Quantos seditio toties malesana tumultus
Intulerit Solymis. Cuneo defensus agresti
Bacchatus Theodas [66] per pinguia rura, per urbes
Terrebat populos. Dum saevis cuncta rapinis
Arderent, quid tum? male conciliata peremptum
Agmina deseruere ducem. Galilaea per arva
Commemorem Judam [67] furialiter omnia caede
Complentem et furtis: quid demum? morte nefanda
Ipse perit: conjuratae fugere catervae,
Amisso ductore. Novam consurgere gentem
Adspicio, haud equidem ferro indignisque rapinis
Grassantem: nostras tantum nova sacra per urbes

Jactant innocui; neque me latuere recentis
Dogmata doctrinae. Nostram cognoscite mentem,
O Proceres: loquor ipse palam, nostrasque loquelas
Figite vos animis. Homines si talia quaerunt
Moliri, mox cuncta suo procumbere motu
Cernitis: at summo si mittit ab aethere quidquam
Divinum Omnipotens [68], hominum vis nulla valebit
Excutere: anne Deo caeci bellare paratis?
Talia commotis agitabant murmura in aulis
Primores Solymae, pacisque inferre loquelas
Nequicquam audebat Sapiens servantior aequi.
At nos interea ceu tempestate tumenti
Impavidi nautae, quo flat divinior aura,
Pergimns ire vias, laxantes nomine Jesu
Retia [69]: quo pontus graviores aggerat aestus,
Auctu majore omniparens Ecclesia crescit.
Nec soli veniunt judaeo e sanguine nati.
Grajugenûm [70], quoquot sancta versantur in urbe,
Judaei nomen generis ritusque sequentum
Indociles animos caelestis gratia tangit;
Una orant, eademque una convivia lustrant.
Hic primum audivi Judaeos munere mensae
Temnere Graïorum viduas: perrepere voces
Coepere ambiguae, et fraternum rumpere foedus.
At mihi bissenum surgit sententia coetum
Cogere, conventuque sacro peragenda videre.
Consilium exposui fortunatumque piorum
Crescentem numerum: Nostis quae murmura, fratres.
Si placet, e numero comitum decerpite septem,
Quos puram nostis vitam famamque tuentes.
Mite ministerium [71] praestabit credere moestos

Solari omnigenos, sanctisque assistere coenis.
Munia nos graviora vocent, penetralibus altis
Exorare Deum, caelestis semina verbi
Per populos vulgare. Placet sententia cunctis,
Et legimus septem: viridi spectabilis aevo
Primus adest Stephanus, casta dein laude Philippum
Florentem capimus, Procherumque, Nicanora Christi
Saevos devincentem hostes, fortemque Simonem
Parmenamque pium, atque illis qui forte diebus
Nicoleos magna Antiochi prognatus ab urbe
Venerat. Extemplo, cunctis in templa vocatis,
Pluribus oramus, te Spiritus alme, manuque
Omnibus imposita, officium committimus ingens.
Nec mora nec requies; opera ad caelestia pergunt
Septeni comites; pietas praeit omnibus una,
Magnificasque domos, crassoque mapalia fumo
Intröeunt alacres, quacumque vocatur amica
Relligio referens duris solatia rebus.
Quisnam Jerusalem se subtrahit angulus armis,
O pietas veneranda, tuis? tu tergis amaras
Desertae viduae lacrymas: tu patre relictos
Per plateas quaeris pueros, gremioque locatos
Munda veste operis: tu moestas ipsa puellas
Omnibus insidiis objectas protegis, alis
Obnubens, suadensque sacrum servare pudorem.
Quotquot mendacis fugientia gaudia mundi
Experti, quotquot rerum refluentibus undis
Vitrea terrenae norunt ludibria vitae,
Laeti spem caeli accipiunt, laceramque reducunt
In portu navim, et tuta statione residunt.

Gaudia tu primum nostra incolumesque triumphos

Turbasti, Stephane: o Juvenum lectissime, nostras
Primus habes lacrymas: primus radiante corona
Martyrii ingrederis caelestis templa Sionis,
Et primum Indigetem sanctas memoramus ad aras.
Pastori Solymae septem delecta ministri
Pubes adstabant, Patremque in sancta juvabant
Munera: foecundo Stephanus supereminet ore,
Surgentis certans pro Relligionis honore.
Intrârat coetus [72] varia de gente coactos,
Sermonemque sacrum intulerat, vatumque recludens
Veridicum eloquium, vitae immortale futurae
Arcanum ediderat. Quem misit Nazzara, Jesum
Ritus delesse antiquos, migrasse figuras,
Messia adveniente; repleta oracula vatum.
At frustra eloquitur: studia in contraria certant
Diversae gentes; juvenemque arcana loquentem
Hic stupet, hic ridet, saxa hic minitatur et ignes.
Sed magno eloquio non exuperabilis heros
Perculit audaces: Tibi nempe, Hebraea propago,
Dura fuit semper cervix, durissima corda.
Spiritui sancto nobisque obsistere semper
Audebis? veterum funesta exempla parentum [73],
Qui vates caelo missos et digna canentes
Derisos foedae multarunt crimine mortis,
I, sequere. Attoniti tenuere silentia cuncti;
At Martyr sancto correptus Flamine, in auras
Ardentes oculos volvit, sive ille periclis
In mediis animum aethereo tutamine firmat,
Sive Dei contra ingratos horrentia tela
Avertens caelum facit exorabile terris.
Ecce autem ardenti fulgescere lumine visi

Tractus siderei, patefactaque maxima caeli
Regia, et interior divini gloria templi.
Ille, velut terra superos ablatus in orbes,
En ego Caelicolas, inquit, Jesumque sedentem
Ad dextram Patris intueor, Patremque suprema
Majestate throni illustrem, qualemque videre,
Et quantum solet aetherei gens incola regni.
Haec fatur gaudens, visuque immobilis uno
Haerebat, totus radians ab imagine solis.
Tum vero insolitum turbata per atria murmur
Insonuit: Juvenis confidentissimus audet
In nostram gentem stolida convicia lingua
Fundere? nosque diu vivum patiemur inulti?
Mos erat, et veterem lex condita sanxerat usum,
Relligione nova siquis praevertere mentes
Judaeûm auderet, populariter ire liceret
In poenas, lapidumque immissa grandine sontem
Obruere, et crimen scelerata morte piare.
Magnanimum juvenem simulato crimine spargunt
Contra stare Deum, et Mosis contemnere jura.
Atrox seditio in vulgus commota repente.
Innocuum arripiunt Stephanum; velamina vestis,
Candida quam genitrix ad sacros fecerat usus,
Exutum ejiciunt turbatae e moenibus urbis,
Nimbosum ad boream qua Cedar [74] semita ducit,
In medioque locant, religatum terga columnae.
Saxeus interea crebra ceu grandine nimbus
Sibilat. Ille nihil: teneris prae pectore palmis
In morem crucis, intextis, interritus haeret;
Poplite suppliciter flexo, manibusque revinctis
Lumina sustollit caelo juvenilia, et omnes

Caelicolas in vota vocat: Tuque excipe, Jesu,
Hanc animam, Tibi commendo, neu temne precantem
Funere in extremo: miseris, Pater optime, parce,
Nec peccatum ollis statuas. Nec plura profatus
Dormiit in Domino. Truculenta caede cadentem
Suspiciunt juvenem, fuso exultantque cruore.
Per Lybiae deserta vagae truculenta leaena,
Si suadente fame plenum speculatur ovile;
Illa agnum rapit innocuum largoque cruore
Perfurit infrendens; mox agmina saeva sororum
Advocat exululans, pastuque immota minatur
Discerptarum ovium magnos attollere acervos;
Et faceret, ni saeva canum custodia obesset,
Montanasque cito peterent armenta latebras;
Tales Hebraeûm proceres contage cruenta
Lymphati certant Sanctorum invadere septa,
Cunctaque vastarent late loca, buccina signum
Ni daret, innocuas pecudes in tuta reducens.
Polluta e Solyma patiens Ecclesia fugit,
Deseruitque Galilaeam, diffusa propinquis
Finibus: ast humana Deus mala corrigit: illa
Augescit, casu et nequicquam excussa sinistro
Undique propagat sancti bona semina verbi.
Tum vero errantem tenuit Samaria Philippum
Aversata diu Solymas Samaria [75], superbum
Ausa sub äerio templum sibi condere monte:
Quam Jesus quondam magno miseratus amore
Viserat erudiens, praeruptaque compita lustrans
Excierat populum rerum novitate stupentem.
Ergo discipulum non dedignata ministrum
Excepit Samaria, novisque arrecta loquelis

Christiadum extemplo numero exultavit opimo:
Quos inter primus magica doctissimus arte
Accessit Simon. Variis ambire popellum
Insidiis suetus, multa prece mergier orat
Fonte salutifero, et Christi de nomine dici;
Mansisssetque utinam, neque Christo bella tulisset!
Successus fidei insolitos, auditaque praesens
Visurus, saxis positam silvestribus urbem
Intrabam, natumque cito miratus ovile
Omnibus, irriguo quot Gratia tinxerat amne,
Imposui palmas, divinaque Flaminis aura
In flammae morem, caelo descendit aperto.
Attonitis oculis signum admirabile cernit
Ipse incantator Simon [76]. Quis crederet? altae
Incaluit menti tumefacta superbia, et ultro
Affatur comites: Mihi si conceditis istud
Imperium, impositis manibus spirabile Numen
Elicere e caelo, vobis congesta talenta
Millia multa dabo. Quis non justa arserit ira?
Sacra incestantem, rerumque indigna petentem
Asper acerba tuor, metuendaque multa minatus:
At tibi, praedixi, male parta pecunia tecum
Dispereat male, qui credis mercarier auro [77]
Inclyta dona Dei. Pravae perjuria linguae
Eluito infelix: si nulla piacula solvent,
Ipse ulciscetur Christus; dabis improbe, poenas.
Incantatori solvuntur frigore membra;
Contremuit, largoque humectans flumine vultum,
Implorabat opem, nosmet placabile Numen
Conciliare sibi, et caeleste avertere fulmen.
Parte alia aetheria compellans voce Philippum

Angelus, eja, jubet, consurge, viamque capesse
Qua Solymis Gazam ire datur. Candacis opimam
Sectatus pompam, et magnis genitoribus ortus
Aethiopum Eunuchus [78] Solymas advenerat, atque
Regina comitante, sacra celebrârat in urbe
Paschales epulas. Justis de more solutis,
In patriam remeabat ovans, curruque superbo
Sidens Isäiae magni divina legebat
Carmina, qui vati sensus, quae tempora rerum
Ignorans. Caeli volitans per inane Philippus
Adstitit ad rhedam; volventem ut forte tuetur
Vaticinum librum: Anne putas comprendere, dixit,
Arcanis commissa notis? neque multa moratus
Reddidit Eunuchus: Possem, si ostensa fuissent;
Et secum oravit supra conscendere currum.
Pagina Messiados monumentum insigne futuri
Monstrabat. Locus ille oculo occurrebat aventi:
Qualis ovis mactanda, sacras ducetur ad aras,
Aut agnus qualis coram tondente quietus
Nullos balatus tenero incitat ore; sed illum
Despectum atque humilem non infima gloria vestit:
Quis genus effari valeat [79] *?* Quae verba? stupescens
Quaesiit Eunuchus: qualem cecinere prophetam?
At sacer interpres primaeva ab origine volvens
Narrabat Christum Jesum, quem sacra docebat
Littera, descendisse polo, et praesepibus altis
Prognatum, aeterni Sapiens Patris incrementum
Doctrinam vulgasse novam mortalibus aegris.
Demum funereo mactatum monte cruore
Delevisse suo primae vestigia fraudis,
Et veteris pulsasse omnem caliginis umbram.

Talia narrabat divina voce Philippus;
Intentosque tenens animos Eunuchus et ora
Currere vicino speculatur margine flumen.
En aqua; quid prohibet sacro perfundere rore?
Ille autem: In Christum toto tu pectore credis?
Credo. Sic vario fantur sermone vicissim.
Imperat Eunuchus currum consistere: in undas
Descendunt ambo, et puro ter mergere fonte
Sanctus eum gaudet. Tum circumfusa Philippum
Eripuit nubes; Christi nova dogmata doctus
Eunuchus patriam pergit legatus ad oram.

Quis vero ille autem ductor Syrii aequora campi
Quadrupedante quatit sonitu? rabida aestuat ira,
Haud secus instructus ferro, quam si aspera pugna
Evocat, ardenti clypeo gladioque coruscans
Fulmineo: nosco calidae impacata juventae
Ausa: sed ipse manu Deus omnipotente leonem
Contudit indomitum, et placidum convertit in agnum.
Romula [80] pugnatori est Tarsus patria: doctus
Re sacra Hebraeûm, et magno inflammatus amore
Excidium templi, et Solymam fulcire labantem,
Audebat Christo adversis obsistere signis:
Atque ubi Levigenam perfusum caede recenti
Conspexit Stephanum, Sanctos extinguere jurans,
Moenia palmiferae repetebat nota Damasci,
Horrida judaei referens mandata Senatus,
Ut si forte viros usquam, si forte puellas
Comprererit, Christi fulgentia signa secutos
Pertraheret Solymas. Jamjam apparere propinquae
Incipiunt urbis praecelso vertice turres
Ipse feram educens aciem ad vicina parabat

Praelia, et horrificos acuebat mente furores.
Confestim nova de caelo lux emicat, ingens
Et circum irradians: quadrupes bellator in auras
Prosilit impatiens, arrectisque excutit armis
Sessorem. Ille autem, improviso lumine oborto,
Incertam amisit mentem, genua aegra soluta,
Procubuitque solo: superis vox redditur auris:
Quid me persequeris? jam desine, Saule. Minaci
Attonitus juvenis viso, imperioque tremendo:
Namquis me alloquitur? dixit. Tum luce coruscans
In media, et solis fulgore nitentior ipso:
En ego sum Jesus, inquit, quem turbidus, amens
Persequeris: quidnam stimulo parere recusas [8]?
Surge, et vicinam qua semita ducit ad urbem
Ingredere: hic noris quidnam tibi restat agendum.
Nec plura, et priscae redierunt cuncta quieti.
At stipata phalanx, animis opibusque parata
Hoc ipsum ut strueret crescentem evertere prolem,
Ut videre virum misere tellure jacentem,
Mirati lucem insolitam, vocesque sonantes
Audierant, confestim omnis de pectore fugit
Effera vis animi. Posita formidine tandem,
Semianimem accipiunt. Paullatim assurgere Saulus
Nititur, ast oculis caligo obvolvitur atra;
Illum vi multa attollunt, manibusque prehensum
Ambiguo haerentem gressu duxere Damascum.
At Saulus dium sublapsum in viscera telum
Hausit, jamque aliam praesentit pectore mentem.
Continuo antiquae capiunt fastidia vitae.
Tres duxit luces solidas, tres ordine noctes
Illacrymans, et multa orans, somnique cibique

Immunis: sed prompta fuit clementia caelo.
Jerusalem fugiens pollutaque tecta, Damascum
Venerat Ananias [82], Domini fidissimus olim
Discipulus, fandique potens exciverat aulam
Judaeûm, atque adeo magnum firmârat ovile,
Tantaque virtutum comitarat gloria, ut ipsa
Suspecti excuteret titubantia corda Senatus.
Ille autem coepta in melius firmata fovebat,
Qua prece qua lacrymis. Lux praevia matutino
Surgebat radio, et Superis gratissimus heros
Conspiciens caulam foetu uberiore nitentem,
Prima precum gaudens solvebat munera caelo;
Extemplo Christus manifesto in lumine pandit
Eventus rerum varios, monuitque timentem,
I vicum ad rectum, et notos exquire penates
Judae [83], ubi repperies Tarsensem nomine Saulum.
Ille Deum supplex magna spe fervidus orat.
Ast ille: O Domine, audivi crudelia multa,
Audax quae juvenis solymaea gessit in urbe.
Et nunc vastator [84] Syria bacchatur in omni.
At Jesus: Agedum summi cognosce reposta
Consilii: Deus hunc coetu secrevit ab omni
Laturum extremas divinum nomen in oras.
Quot pro me casus terraque marique subibit!
Hinc Solymae assurgens odium, caeco inde furore
Commotae gentes certamina mille ciebunt:
At vas [85] electa virtutum fruge replebo,
Ipseque bellatori animos, atque arma ministro.
Talibus obstupuit dictis venerabilis heros,
Certaque nutantem firmat fiducia. Surgit
Et Judae, ducente Deo, monstrata requirit

Limina; signatumque virum praedictaque cuncta
Comperiens; o Saule, inquit, me conspice: Jesus
Qui tibi monstratus gresso per plana viarum,
Dum nostra irrueres equitans ad moenia, Jesus
Impulit admonitum, quo libera lumina caeli
Susciperes, donoque datum spirabile Numen.
Sic ait imposuitque manus, clausisque repente
Conciderunt oculis squamae visumque recepit,
Atque salutifero Christi renovatus in amne est.
Ex illo Saulus mutato nomine dictus
Paulus [86]; Christicolas ferro flammaque secutus,
Christicolis sese miscet, judaeaque lustrat
Concilia, et magni spargit mysteria verbi.
Inde novum emicuit judaea sidus in ora
Antiquam rumpens noctem; mox maxima lampas
Lustratura suis totum splendoribus orbem.
Interea placida compostae pace quièrant [87]
Gentes; multiplici crescens florebat honore
Christi magna, licet modo nata Ecclesia; centum
Oppida Judaea, Samaritidis ardua saxa
Et Galilaea sacrum audierant mirabile verbum;
Et Domini timor injecto commixtus amore [88]
Imis pectoribus sese insinuabat, et almus
Spiritus omnigeno fundabat munere regnum
Christiadum. Me ducit amor per singula adire
Agmina, quae longis quamvis distantia terris
Vinxerat una fides, et opes lustrare novamque
Progeniem Christi, et surgentem invisere caulam.
Antiochia potens primum vocat; inclyta gazis,
Inclyta tot populis, stygioque oppleta veneno
Primas Pontificis curas et munia poscit.

Tempore jam primo, Stephani post funus amarum,
Gratia commotam geminârat monstra per urbem,
Qua Solyma profugi radiantia lumina solis
Discipuli [89] intulerant. Vix venit rumor ad aures,
Barnabbam emisi, patriaque advenit ab urbe
Paulus, et extemplo bene natum adolevit ovile.
Laetatas complector oves, oviumque magistros
Barnabbam et Paulum firmo: vigili ille labore
Extiterat primus dilecti cultor agelli,
Hic erat exemplum hebraeis senioribus ingens,
Si saperent, legisque novae documenta secuti
Cessarent Christo adversis contendere castris.
Fortunati ambo! caelo superastitit ingens
Spiritus, atque ambo e vulgo seponere jussit:
Ipse coronavi juvenilia tempora vittis,
Atque dedi complere vices, si forsan abessem.
Me posthac Lydde [90] excepit, quae littore magni
Aedificata maris magnum collegerat agmen
Christiadum. Crevit praesentibus excita signis
Relligio. Aeneas [91] octavum languidus annum
Affixus lecto noctemque diemque trahebat.
Ipse vocor, comitante choro, multumque roganti
Dia fides priscum resoluta in membra vigorem
Infudit. Surge, Aenea, vix ipse profatus,
Ille thoro e misero exurgens, in nomine Christi
Ire viam pergit; gradientem et sacra canentem
Mirati Lyddae populi, mirata Sarone [92],
Quae deserta diu tanto commota triumpho
Confestim fidei fructu exultavit opimo.
Ecce duo venere viri: contermina Joppe [93]
Miserat, ut paulum vicinam accederem ad urbem.

Veni, meque ferunt coenacula ad alta: jacebat
Exanimis thalamo mulier sanctissima Dorcas [94];
Circumstant viduae passis per colla capillis,
Suspirantque inopes, et luctisono ululatu
Ostendunt tunicas, quas sanctis saucia curis
Ipsa suis mulier manibus contexere suêrat.
Ipse foris jubeo paulum consistere cunctos,
Inflexoque genu oravi: tum flebile corpus
Intueor, clamans: Thabita surge; reclusos
Extulit illa oculos, et me speculata resedit.
Ipse manu prendo, thalamumque relinquere cogo,
Et viduas inopesque vocans: Quam flêstis ademptam,
En mater, vivit, Thabita, et vescitur aura
Aetheria. Joppe magnum conterrita factum
Audivit, Christique fidem obsequiosa recepit.
Successu exultans tanto vicina parabam
Oppida lustrare; ast alio discedere cogor;
Namque inopina fides mutato saecula cursu
Nuntiat, et caelo gentes communicat omnes.
Italica [95] de gente cohors, Oriente subacto
Constiterat, latiique ferebat signa manipli
Centurio, pietate ingens, qui marte sub ipso
Largiter omnigenis suêrat succurrere egenis.
Cornelius [96] (nam tale viro de gente Quiritum
Nomen erat) magna remoratus Caesaris urbe
E stratis primo surgebat lumine, Patrem
Rite precaturus, consuetaque vota ferebat.
Ecce autem praepes stellatae nuncius aulae
Sese fert oculis manifesta in luce videndum,
Et sic affatur: Caelo tua cognita virtus,
Romulidum ductor: benefacta ingentia Christi

Pauperibus solium ante Dei ascendere serenum;
Et nunc ipse Deus benefactis praemia reddit.
Mitte viros Joppen; et quemdam nomine Petrum
Quaere (domo degit juxta mare); dixerit ipse
Quae facienda tibi. Nec plura, domumque reliquit
Aliger aetherius. Viso conterritus ibat
Cornelius, famulumque vocans, spectataque narrans
Demisit Joppen. Jam sexta advenerat hora,
Qua summam de more domum [97] conscendere suêram,
Atque orare Deum; menti novus incidit ardor,
Deserui terras, et in aethera raptus apertum,
Talia conspexi: Vaga lintea [98] passa per auras
Ingentem tractum tenuere, oraeque quaternae
Desuper emissae extremo contingere visae
Tellurem limbo: gremio cava carbasa lato
Alituum genus omne tenent speciesque ferarum
Innumeras. Visu steteram defixus in uno,
Cum vox insonuit superam delapsa per auram:
Surge, Petre, occide et comedas. Ego talia fanti,
Avertant omen Superi: communia vesci
Atque immunda nefas [99]. Caelo vox clarior instat:
Tune immunda vocas, macula quae tersit ab omni
Ipse Deus? Mihi ter manifesta patescit imago,
Ter voces hausi, dilapsaque cuncta recedunt.
Talia sollicito volvebam pectore mecum,
Tresque viros venisse ignota veste reportat
Nuncius: hi monstrata duci miracula narrant,
Quodque erat in votis domino, me quaerere dicunt.
Namqua laetitia exilui? quae magna cupido
Compellare virum, tantosque agnoscere casus?
Tu melius nôsti, Jesu pulcherrime; nam me

Nil aliud terris, quantum tua gloria tangit.
Deseritur Joppe; paucis comitantibus, urbem
Caesaris advenio, monstrataque tecta subibam,
Cum procul accurrens, magna stipante caterva,
Ductor: Tune, inquit, Senior, quem mane nitenti
Aliger aetheria veniens signavit ab aula?
Dixit, procubuitque genu, me pronus adorans.
Ast ego: Ne facias, clamo, dextraque minorem
Erigo: meque vides hominem de semine cretum
Humano, assimilemque tui. Patuere repostae
Interiora domus, lectisque sedilibus omnes
Sedimus, et medios magnum circumstetit agmen.
Quos ego conspiciens: Nostis quae injuria quondam
Judaeos alienigenae [100] conjungier: at me
Mutato Omnipotens monuit procedere cursu
Tempora; lustratis nullum fas dicere terris
Amplius impurum, atque Dei mandata sequemur.
Hic subito ductor signis praesentibus actus:
Adsumus ecce tibi, dixit, quaecumque jubebis.
Atque ego: Nunc video, quod magno a munere nullos
Eximit Omnipotens. Quisquis fas jusque tuetur,
Acceptus fiet. Tunc prima ab origine rerum
Incipiens, Solyma in magna Spirabile numen
Narrabam emissum: Judaeam effusa per oram
Nuncia: Caelicolûm portas reserasse nitentes
Christum, perque illum magnos cecinisse prophetas
Concedi veniam oranti, quicumque fatetur
Divinum nomen. Tali sermone loquebar
Plurima, jamque illi linguis animisque favebant;
Ecce autem summo dilabitur aethere sanctus
Spiritus, et supra quotquot mysteria verbi

Audierunt, veniens, sacro astitit igne: stupebant
Omnes. Ipse videns non inferiora secutas
Gentes promissae dignari munere lucis,
Quid prohibet, dixi, sacris perfundere lymphis
Hos etiam, summa quos Spiritus almus ab aethra
Signatos sancti septis transcripsit ovilis?
Vivaces latices, certae argumenta salutis
Accipiunt, Christique sacro dant nomen ovili.
Inde pedem referens judaea per oppida sparsos
Arcessi fratres jubeo. Convenimus omnes
Attoniti Solymam, et cunctis miracula narro,
Lintea passa polo, vocum mirabile signum,
Et verum arcana latitans velaminis umbra.
Te, Christi magna omniparens Ecclesia [10], poscit
Visio, quae totum regina incedis in orbem.
Lintea te monstrant: ceu nullae lintea blattae
Corrumpunt, virtute nova incorrupta virescis,
Et nullam praefers praestanti in corpore labem.
Ter sonuit caelo vox aurea, terque patentem
Fimbria contingit terram; namque omnipotenti
Nomine Patrisque et Nati et Spiraminis almi,
Christiadae sancto nascuntur fonte salutis.
Denique fatidicum sese per quatuor oras
Explicuit tegmen: vasti nam quatuor orbis
Partibus accurrunt divina voce vocati,
Excipietque omnes populos Ecclesia, pascens
Sacratis epulis, et caelica templa recludens.
Quot saevos partus! quae lurida monstra ferarum
Intueor sensim placida mansuescere voce!
Barbaricae accedunt magna ad mysteria gentes,
Quae tamen innocuam gaudentes tangere sedem,

Duritiem odere antiquam, moresque pudicos
Accipient; divina fides caelestibus alis
Proteget, ut priscae fugiant contagia vitae.
Ipse recordabar Domini caelestia verba:
Joannes perlustrat aqua; vos, Numinis aura
Aspirante, sacro populos lustrabitis amne.
Quod si non impar caelesti contigit ora
Gratia, si verbum Christi accepere fidemque,
Num quimus prohibere Deum? Dum talia fabar,
Laudavere omnes Dominum, gratesque ferentes,
Promissam humano generi venisse salutem
Agnôrunt: terris magno pro funere Christo
Imperium sine fine datum, pretiumque cruoris
Divini immensum: cunctos discrimine nullo
Judaei externive fuant, stygio hoste redemptos.
Ex illo fidei patuerunt ostia caecis
Gentibus; hac allata tenus bona nuncia solis
Judaeis [102], populo tenebrosa in nocte sedenti
Attulimus: reserata patet supera omnibus aula.
Ast ego, quandoquidem caelo constare sereno
Cuncta videbantur, dispersa tot agmina Christi,
Quae fratres passim eoum statuere per orbem,
Digessi in numerum, neu quae discordia foedus
Rumperet, ex uno pendentia cardine firmo.
Romanus victor, cunctis Orientis in oris,
Urbem selegit peramoenum propter Orontem,
Imperii sedem. Qua praefectura Quiritum
Antiochena stetit, magna ditione regebat
Victos Romulida eoos, sociataque jura
Agnôrant populi. Mos idem ad sacra regunda [103].
Hic ubi bellipotens Syriam Antiochia per omnem

Florebat, romana suis provincia virgis
Tota Palaestina, et Solyme subjecta Quirino
Parebat, sacrae posui monumenta cathedrae [104];
Atque volente Deo, et rebus dictantibus urbem
Connubio junctam stabili propriamque dicavi,
Unde plagam regere eoam, cunctisque liceret
Invigilare choris. Inerat fiducia porro,
Si validas arces, et propugnacula foedae
Nequitiae expugnare datum, Syriaeque potiri
Augustam dominam, si victor in urbe locassem
Magna trophaea Crucem, cunctis Orientis ab oris
Victa superstitio fugeret, neque tempore longo
Tigris et Euphrates indignarentur iniqua
Imperia, et nostro fluerent sub jure volentes.
Nec spes conceptum votum frustrata fefellit.
Quae doctis caeci spoliis orientis onusta
Omnigeni cultus fallaci luce nitebat,
Christiadum studio ante alias caput extulit urbes.
Ipse tuum grato memorabo carmine nomen,
O Theophile [105]; Deo atque mihi domus inclyta surgit
Quae quondam tua, Christiadum qua sacra locata,
Pontificis summi solio dignata verendo.
E Juda [106] collecta prius Ecclesia, cunctis
Terrarum populis tentoria vasta reclusit:
Magnaque caelesti subrisit vinea fructu.
Vinea Saronis, Engaddi vinea cedunt,
Antiochia, tibi! quantis ornata racemis
Splendescis! quanto ditescunt palmite colles!
Barnabbas serit et Paulus: sata pinguia curant,
Ipsorum nutu, fusco Niger ore vocatus
Simon, et cyrenensi prognatus arena

Lucius, et Manahen [107] mammis nutritus iisdem,
Quae magna Heroden aluere e gente Tetrarcham;
Qui modo falsiloquas obliviscuntur Athenas,
Et sanctum melius venerari Golgotha discunt.
Quae virtus et quanta, boni, resplenduit ipsis
Principiis rerum! Quo circumfusa reluxit
Lumine Relligio damnatis desuper umbris!
Hic primum (quoties recolo, mea lumina laetis
Rorant lacrymulis) omen credentibus ingens
Natum Christiadum nomen [108], quod magnus Isaï
Praedixit Natus: *Magnoque vocabitur ipse*
Nomine, quod Dominus summa super innuit aethra:
Sanctus erit populus, caelesti nomine notus.
Quis se discipulum Pauli, quis dicere Cephae [109]
Amplius audebit? communi nomine dicti
Christiadae, Christi vocem quicumque sequuntur.
Salve augusta, ingens sedes, et maxima, quotquot
Vidit prima aetas eoa surgere in ora.
Te sacro statui potiorem jure, tibique
Concessi cunctas alias parere minores.
Non quod prima manu jeci sacra semina verbi,
(Discipuli Solymae fugientes moenia primam
Attulerant lucem): nec quod fundamina prima
Ipse Petrus statui: (quis sedes dicere quibit,
Quas primus toto fundavi Pastor in orbe ?)
Nec quod praesentis dignata es semper honore
Pontificis: (Mihi nam totus superincubat orbis,
Et munus cunctas sedes invisere, cunctas
Hortari sollemne fuit, dum bella moverent
Judaei et gentes). Tu prima et maxima sedes,
Quod te prae cunctis Deus hoc signavit honore.

Hunc sequor: ipse regit vestigia nostra, novumque
Aedificare statum rerum, te principe, gaudet.

NOTÆ

[1] *Phoebigenae.* — Aesculapius versu dicere non est latine, nec graece *Asclepias*. Filius fuit, uti fabulantur poetae, Apollinis et Coronidis. Medicinam artem vel laude vel opere ampliavit, et ob eam rem in Deorum numerum receptus. Duo ejus Filii Podalyrius, et Machaon, bello trojano Agamemnonem secuti sunt.

[2] *Epidauro.* — Epidaurus, vel Epidaurum urbs est Peloponnesi in ora Argiae ad Or. apud Spiraeum promont. et sinum Saronicum, hodie *Pigiada*, aut *Cheronis* ubi amplum Aesculapii templum fuit.

[3] *Romani Proceres.* — Liv. Joh. Freinshemii suppl. LIV, XII. Decem legati missi sunt, qui Aesculapium ab Epidauro, qua in urbe natus credebatur, Romam arcesserent.

[4] *Thrasymede.* — Liv. ibid. XIII. Huc adducti, dum ingentis molis simulacrum, Thrasymedis Parii nobili ingenio fabrefactum admirantur, ingens repente serpens ex ipsis adytis prolapsus, animos omnium horrore summo, et terrore perfudit. Sacerdotes enim venerabundi ipsum in hoc angue numen esse, et nonnunquam hac forma adspici salutari semper ostento clamitabant.

[5] *Suffimen.* — Liv. ib. Ad spectaculum incredibilis rei tota effusa civitate, passim in ripa fluminis, quo subvehebatur, positae arae sunt, accensique odores, et victimae caesae.

[6] *Donaria.* — Liv. ib. Relicta nave serpens, eam insulam, quae post Aesculapii vocata est, natatu petens, cerni ulterius ab hominibus desiit... Templum mox, insignibus donariis, et hominum qui remediis salutaribus, ab eo numine se adjutos ferebant, praedicatione nobilitatum est.

[7] *Hoc templum, has aedes.* — Svet. Tib. Claudius, XXV. Cum quidam aegra, et affecta mancipia in insulam Aesculapii taedio medendi exponerent, omnes qui exponerentur, liberos esse sanxit, nec redire in ditionem dominorum si convaluissent: quod si quis necare quem mallet, quam exponere, caedis minime teneri.

[8] *Mancipium.* — Romanorum civium erat vivere et frui. Servi, quos exercitum potius, quam privati hominis familiam dixeris, commodo et utilitati dominorum unice studebant, variisque ministeriis erant mancipati, et saepe invenies *actores*, *anagnostas*, *atrienses*, *cellarios*, *cubicularios*, *librarios*, *notarios*, *villicos* ab diversorum munerum perfunctione.

[9] *Senio justos.* — Sap. IV, 8. Senectus enim venerabilis. Eccl. VIII, 7. Ne spernas hominem in senectute sua. De servis autem habes apud Eccles. VII, 22. Non laedas servum tuum in veritate operantem, neque mercenarium dantem animam suam. 23. Servus sensatus sit tibi dilectus, quasi anima tua, non defraudes illum libertatem, neque inopem derelinquas illum.

[10] *Noctis.* — Quod Isaias desiderabat, *Anima mea desideravit te de*

nocte; quodque Plasmorum auctor confirmabat : *Media nocte surgebam ad confitendum tibi super judicia justitiae tuae*, Apostolorum traditio et exemplum instituit. Sic de Paulo dixit Lucas, Act. : Media autem nocte Paulus et Silas orantes laudabant Deum, et audiebant, qui in custodia erant. Hinc tribus nocturnis horis tres illae preces, nimirum ipso noctis exordio, media nocte et in fine recitatae, et a Patribus dictae *lucernariae preces*.

[11] *Animae.* — Matth. XXVI, 41. Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma.

[12] *Qui in Domino fidit.* — Ps. CXXIV. 1. Qui confidit in Domino, sicut mons Sion.

[13] *Et matutino.* – Sic Regius Psaltes: Praevenerunt oculi mei diluculum, ut meditarer eloquia tua. Unde matutinae laudes quae nocturnis accesserunt. Sic Ignatius ad Magnes : Ad orandum in idem loci convenite : sit una communis precatio, una mens, una spes.

[14] *Sol.* — Joan. I, 5. Quoniam Deus lux est, et tenebrae in eo non sunt ullae. Cum enim, peccati culpa, humano generi sempiternae noctis offusa esset caligo, ut nova luce cuncta clarescerent, misit Deus ex se genitum, suaeque substantiae filium, nempe *candorem lucis aeternae* (Sap. 7.) *lumen de lumine*, *lucem veram* (Joan. 1.), *justitiae solem* (Apoc. 1.), ut novum illum institueret diem, de quo dictum fuit: *Haec dies*, *quam fecit Dominus*. Psal. CXVII.

[15] *Semen.* — Luc. VIII, 11. Semen est verbum Dei.

[16] *Caecigeni.* — Matth. Ev. XIII, 15. Incrassatum est enim cor populi hujus, et auribus graviter audierunt, et oculos suos clauserunt, ne quando videant oculis, et auribus audiant, et corde intelligant, et convertantur, et sanem eos. Joan. Ev. III, 19. Lux venit in mundum, et dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem.

[17] *Insanum.* — Sic de Apost. Lucas, Act. Apost. V, 41. Et illi quidem ibant gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati. Et Paul. 1, Corinth. I : Verbum enim crucis pereuntibus stultitia est. Ib. IV, 10: Nos stulti propter Christum.

[18] *Bona nuncia linguis.* — Utrum graece an latine Marcus suum Evangelium scripserit, dubitant eruditi. Nos sequimur libentissime sententiam Baronii, qui latina oratione potius concinnasse ex eo existimat, quod ipse Romae scripsit ex Petri praedicatione: cumque vero Aquileiae moraretur, illuc missus a Petro, ad eam erigendam Ecclesiam, in graecum ipsemet transtulit. De Matthaeo apertissime testatur Irenaeus, lib. III, c. 1. Matthaeus Hebraeis ipsorum lingua scripturam edidit Evangelii, cum Petrus et Paulus Romae evangelizarent, et fundarent Ecclesiam. Sanctus Hieronymus ex Hebraico fonte se excripsisse testatur. Lucas, perpetuus Pauli peregrinantis comes Evangelium suum graecanica lingua conscripsit, neque alia profecto Joannes, filius Zebedaei et Salomes, Jacobi majoris frater a Graecis

cognomento Theologus, qui, ut ait Hierony. coactus est ab omnibus pene tunc Asiae Episcopis et multarum Ecclesiarum legationibus de divinitate Salvatoris altius scribere.

[19] *Luca excipe.* — In sua ad Evangelium praefatione Lucas ipse profitetur, *ordinare narrationem, quae in nobis completae sunt, rerum, sicut tradiderunt nobis qui ab initio ipsi viderunt, et ministri fuerunt sermonis.* Hinc antiqui rerum sacrarum tractatores illum non Domini, sed Apostolorum fuisse discipulum dicunt. Et praecipue Irenaeus 1, 20: *Lucas* sectator et discipulus Apostolorum. Quae cum vera sint suo ejusmet testimonio, nemo profecto a sincero poeticae fictionis ingenio abhorrere autumabit, quod hic excogitavit vates, Petri consilio et auctoritate factum esse, ut Acta Apostolorum Petri et Pauli sive Ecclesiae historiam describeret.

[20] *Ecclesia.*— *Synagogae* et *Ecclesiae* vocabula idem sonant ac coetum sive congregationem. Verum illud Hebraeorum, hoc Christianae addicitur societati, licet Christianorum congregationem *Ecclesiam* in veteri novoque Testamento saepissime dictam invenias. Nos Synagogae vocabulum carminis epici ingenio neutiquam accomodatum libentissime omittimus; et Ecclesiae nomine societatem agnoscimus, quae Christi fide, et vocatione coaluit.

[21] *Stirps inclyta.* — Ecclesia, altera Christum antecessit, altera subsecuta est. Illa quidem ab ipsius mundi exordio in Adamo primum et Eva fuit, post lapsum, ex fide in Christum venturum justificatis. Exinde fideles omnes eumdem fidei spiritum habentes, unius omnes Ecclesiae membra censentur. Mundo adhuc recente, unius Dei Creatoris memoria mortalibus animis inhaerebat: sed paullatim vivida illa Dei recordatio a patribus ad filios ore tradita obliterari coepit, simulque idolorum cultus tanta insanientes homines superstitione inquinavit, ut pauci ex Heberis familia unius Dei veritatem servarint. In Ur Chaldaeorum Abraham ex eo genere satus erat in media gentilitate, ut facile ad idola se vertere posset. Sed Deus, ne qua contagione tum ille, cum populus ex eo nasciturus pollueretur, eum jussit de terra et cognatione exire, atque in Mesopotamiam proficisci, inde postea in terram Chanaam transducendum.

[22] *Quid utile, quid non.* — In pravis erroribus consepulti omnes orbis terrarum populi praeter Hebraeum a veritate deerrarunt, inde *hospites testamentorum* vocat Paulus: unum foederatum populum Deus habuit, unde Psalmographus: Notus in Judaea Deus. Ubi plenitudo temporum advenit, et umbrae imago successit, in proclivi erat, ut Hebraeorum Respublica, quae veluti praeludium erat Ecclesiae, dissolveretur. Sed bismillesimo a priore foedere anno, maximum illud vocationis gentium opus perfectum est; tunc voci propheticae: *Notus in Judaea Deus*, occinebat Apostolus: Numquid Judaeorum tantum Deus? nonne et Gentium? immo et gentium. Ubi igitur sanguine suo sanctissimo Christus perillustre foedus cum Ecclesia sanxisset, eccum omni-

bus januam illam patefactam, quae unis Hebraeis adhuc usque, exclusis gentibus, patuerat.

[23] *Renovata locavit.* — Paul. ad Ephes. II, 14. Ipse enim est pax nostra, qui fecit utraque unum, et medium parietem maceriae solvens, inimicitias in carne sua. 15. Legem mandatorum decretis evacuans, ut duos condat in semetipso in unum novum hominem, faciens pacem. 16. Et reconciliavit ambos in uno corpore Deo per crucem, interficiens inimicitias in semetipso. Et IV, 13. Donec occurramus omnes in unitatem fidei et agnitionem filii Dei. Et ad Corinth. XII, 13. Etenim in uno spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus.

[24] *Nati sumus.*—Paul. ad Eph. II, 10. Ipsius enim sumus factura, creati in Christo Jesu, in operibus bonis, quae praeparavit Deus. Joan. I. Epist. III, 18. Videte qualem caritatem dedit nobis pater, ut filii Dei nominemur et simus.

[25] *Caeloque frui* — Paul. Corinth. I, 30. In Jesu Christo qui factus est nobis sapientia a Deo, et justitia, et sanctificatio, et redemptio. Et XIII, 12. Videmus nunc per speculum in aenigmate: tunc autem facie ad faciem. Matth. III, 12. Merces vestra copiosa est in caelis. Et XVIII, 10. In caelis semper vident faciem Patris mei, qui in caelis est. Luc. XII, 33. Thesaurum non deficientem in caelis; XIX, 38. Pax in caelo et gloria. Paul. ad Hebr. XIII, 16. Non enim habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus.

[26] *Una fides.* - En ipsa Ecclesiae Bellarminiana definitio: *Coetus hominum ejusdem christianae fidei professione, et eorumdem sacramentorum communione colligatus sub regimine legitimorum pastorum, et praecipue romani Pontificis.* Paul. ad Ephes. IV, 3. Unus Dominus, una fides, unum baptisma. Sed Christus Ecclesiae unitatem luculentissime patefecit. Joan. X, 16. Et alias oves habeo, quae non sunt ex hoc ovili; et illas oportet me adducere, et vocem meam audient, et fiet unum ovile, et unus pastor. Quin ipse nihil enixius a Patre postulasse videtur, quam Ecclesiae unitatem: Joan. XVII, 11: Pater sancte, serva eos, quos dedisti mihi, ut sint unum sicut et nos.

[27] *Cedron.* — Secus Olivetum torrens, de quo saepissime in divinis scripturis occurrit mentio.

[28] *Galilaei.* — Duae erant Galilaeae in Palaestina, altera confinis Judaeae, altera Phoenicibus contermina, quas Josephus nominat superiorem et inferiorem. Superior posita in tribu Nephtalim Galilaea gentium dicta fuit; inferior in tribu Zabulon circa Tiberiadem et stagnum Genesareth, in qua habitavit Christus Dominus: hinc *Galilaeus* ipse, et discipuli *Galilaei* fuerunt appellati.

[29] *Jonas.* —Ex Oliveto Apostoli regressi coenaculum ascenderunt; quae autem fuerit Domus, etsi nominatim a Luca non indicetur, facile illa creditur, quam inferius, Act. XII, innuit, Mariae Matris Joannis qui cognominabatur Marcus, quo Petrus etiam vinculis liberatus accessit, discipulosque in precum officio congregatos invenit. Praestat audire acta Barnabae, quibus

hujus Domus gloriae praedicantur : In illo coenaculo Dominus Pascha fecit; in illo apparuit Thomae Apostolo, cum a mortuis surrexisset; illic, postquam in caelum assumptus est, disciputi cum reliquis fratribus centum viginti, in quibus erat Barnabas et Marcus, ex monte Olivarum pervenerunt; illic Spiritus Sanctus in linguis igneis ad discipulos descendit in die Pentecostes; illic collocata nunc est magna et sanctissima Sion, omnium Ecclesiarum maxima.

[30] *Fundamenta futuri.* — Paul. ad Ephes. II, 3. Estis cives sanctorum et domestici Dei, superaedificati super fundamentum Apostolorum, et prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Jesu.

[31] *Paneada.* — Philippus Tetrarcha, ut gratiam Caesaris Augusti sibi conciliaret, Paneada urbem sitam ad Jordanis fontem auctam aedificiis Caesaream dici voluit.

[32] *Tum vero Jesus.* — Petro Christi divinitatem confitenti sic dixit Dominus, Matth. XVI, 18. Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, Et tibi dabo claves regni caelorum, et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in caelis, et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in caelis. Ex quo Petrus dicitur *petra* sive fundamentum, cui superstructa est Ecclesia, et *claves* illi promissae sunt symbolum dominii, universam in ecclesia praefecturam et principatum Petri luculentissime colliges.

[33] *Simon e sanguine Jonae.* — Obligatam Petro fidem de ejus supra ceteros Apostolos principatu liberavit Christus, Joan. XXI, 15. Cum autem prandissent, dicit Simoni Petro Jesus: Simon Joannis, diligis me plus his? Dicit ei: Etiam Domine, tu scis, quia amo te. Dicit ei: Pasce agnos meos. Dicit ei iterum : Simon Joannis, diligis me? Ait illi : Etiam Domine, tu scis, quia amo te. Dicit ei: Pasce agnos meos. Dicit ei tertio: Simon Joannis, amas me? Contristatus est Petrus, quia dixit ei tertio, Amas me? et dixit ei : Domine tu omnia nosti, tu scis, quia amo te: Pasce oves meas. Ex quibus verbis, *Pasce agnos meos, pasce oves meas*, pastorale regimen Petro datum habes, in agnos, sive fideles, quos Christus ei commisit, et in oves, sive Pastores, per quos Christo filii gignuntur.

[34] *Procurare Deum.* — Clarissime haec omnia Paulus I, 27. Quae stulta sunt mundi, elegit Deus, ut confundat sapientes, et infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia; et ignobilia mundi et contemptibilia elegit Deus, et ea quae non sunt, ut ea, quae sunt, destrueret, ut non glorietur omnis caro in conspectu ejus.

[35] *E saxo Abramidas* — Matth. III, 9. Dico enim vobis, quoniam potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahae.

[36] *Alter suscipiat* — Act. Apost. I, 20. Scriptum est in libro Psalmorum (LXVIII, 26): Fiat commoratio eorum deserta, et non sit qui inhabitet in ea: (Ps. CVIII, 8) Et episcopatum ejus accipiat alter.

[37] *Mathian.* — Quod Petro dixerat Dominus: *Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos*, apertissime patuit in electione Matthiae. Princeps enim Apostolorum, pastorali sollicitudine Ecclesiae, Judae proditoris exitio afflictae consuluit, et primus habuit concionem de aliquo ex discipulis in ejus locum subrogando. Iste Joseph qui et Barsabas et Justus cognominatus, et Matthias ambo erant e numero septuaginta duorum discipulorum. Erant alii duo Josephi, alter cognominatus Barnabas de quo inferius, alter vero Judas, quem una cum Sila Apostoli miserunt Antiochiam. Hi tres vel nomine, vel cognomine, vel rebus gestis distinguuntur.

[38] *Dedimus sortes* — De sortibus hic loquitur Lucas, quas super duos discipulos dederunt apostoli: Hierony. de Ecc. Hier. par. III, 5. Videtur mihi Scripturam sortem appellasse divini quiddam et praecipui muneris, per quod illi choro sacratissimo insinuaretur, qui esset divina electione declaratus. Quomodocumque tamen se res habet, animadvertendum est cum Baronio, eam licentiam nonnisi ante adventum Spiritus Sancti apostolos usurpasse: nec id tentasse nisi praevia precatione.

[39] *Conspicuam.* — Hanc Ecclesiae claritatem jamdudum Isaias vaticinatus erat. II, 2. Erit in novissimis diebus praeparatus mons Domus Domini in vertice montium, et elevabitur super colles, et fluent ad eum omnes gentes, et ibunt populi multi, et dicent: Venite et ascendamus montem Domini. Unde Augustinus: Ecce mons implens universam faciem terrae, ecce civitas de qua dictum est, non potest civitas abscondi supra montem posita.

[40] *Intus corde latet* — Psal. VII, 16. Omnis gloria ejus filiae regis ab intus.

[41] *Facies animae.* — Cum *Ecclesia* dicta fuit, quasi *evocatio*, sive quod omnes ad se vocet, sive quod quicumque ad eam conveniunt, hi non meritis, et justitia sua, sed Dei gratia et vocatione conveniunt, eam Ecclesiae Christianae animam dicimus, quae ex gratia sanctificante, fide, spe et caritate constat.

[42] *Piscantes* — Matth. IV, 19. Ait illis (Petro et Andreae): venite post me, et faciam vos fieri piscatores hominum.

[43] *Agnos*—Matth. XXVI, 56. Tunc discipuli, omnes relicto eo, fugerunt. De mulieribus a monumento redeuntibus Marcus XVI, 8. At illae exeuntes fugerunt de monumento; invaserat enim eas tremor et pavor: et nemini quidquam dixerunt: timebant enim. Et de discipulis ipsis ita Marcus 14. Novissime recumbentibus illis undecim apparuit; et exprobravit incredulitatem eorum et duritiem cordis, quia iis, qui viderant eum resurrexisse, non crediderunt.

[44] *Judae.* —Electus a Deo populus *hebraei* nomen accepit ab Abrahamo, qui trans Euphratem habitabat, Deique jussu amnem transmiserat, ut in Chanaanitide consisteret. Hinc *Hebraeus* idest *transitor* dictus fuit, quod nomen (uti apud nos *transalpini*, *transpadani* dicuntur, qui ex transalpi-

nis sive transpadanis regionibus advenlunt) filiis posterisque suis est propagatum. Dictus etiam fuit *isräliticus*, ab Isräele scilicet, altero Jacobi nomine, qui duodecim filios totidem tribuum patriarchas suscepit. Demum ultimis temporibus Judaeus appellatus a tribu Juda, quae tantummodo florens atque integra e deportatione rediit, cui ceterarum tribuum laciniae postea fuerunt immistae.

[45] *Oraque centum.* — Censet Joan. Chrysostomus tot linguarum locutiones Apostolis caelitus fuisse impartitas, quot erant nationes externae Hierosolymis commorantes. Juxta vero graviorum interpretum testimonium, istud donum linguarum non ita accipiendum, ut una sua quique lingua loquerentur Apostoli, omnesque licet diversarum nationum audientes intelligerent, sed propriis audientium linguis, scilicet externis, loquerentur.

[46] *Nonnè Galilaea.* — Quod Galilaei diversa a Judaeis uti lingua consueverint, ex ancilla ostiaria apparet, quae Petro in praetorio commoranti dixit: *Galilaeus es, nam et loquela tua manifestum te facit.*

[47] *Diversa loquentes.*—Judaei ex omni natione quae sub caelo est, audiebant. Judaei enim tunc temporis non in Palaestina solum, sed in Asia, Africa et Europa magno numero habitabant. Ex his quindecim nationes enumerat Sanctus Scriptor.

[48] *Solus.* — Habe Petrum primum omnium concionantem, solemne aliud sui principatus testimonium.

[49] *Nazara* — Nazareth, ut inquit Hieronymus, est viculus in Galilaea juxta montem Thabor, unde et Dominus noster Jesus Christus Nazarenus vocatus est, habetque Ecclesiam in loco quo Angelus ad beatam Mariam evangelizaturus intravit, et aliam ubi Dominus est nutritus. A Jesu, quem et Angelus apud Marcum, et Apostoli honoris causa Nazarenum vocant, ipso nascentis Ecclesiae principio, omnes Christiani nazaraei dicebantur, et ipsa eorum religio *Secta Nazaraeorum.* Act. XXIV. Judaei accusabant Paulum, velut *auctorem seditionis sectae Nazaraeorum.*

[5] *Ovile.* — Saepissime hac similitudine utimur ad Ecclesiam significandam, siquidem nulla alia usitatior in Scripturis, praecipue apud Joannem X, 1. Qui non intrat per ostium in ovile. 16. Quae non sunt ex hoc ovili . . . Fiet unum ovile et unus pastor.

[51] *Speciosae.* — Prae ceteris templi portis duae pulcherrimae habebantur, altera dicta Major, altera Corinthia: illa, ut ait Josephus de bell. Jud. lib. VI, quod crassiori argento atque auro vestiebatur; haec quod aere corinthio fabrefacta, multum argento inclusas et auratas honore superabat. Cum vero porta major proprio nomine vocaretur, corinthia illa quod pulchritudine ceteris praestaret, dicta fuit *speciosa.*

[52] *Porticibus.* — Porticus Salomonis locus fuit extra templum, ut pateret Gentilibus, quamvis eo ambitu universa templi constructio clauderetur.

Exemplo Domini Redemptoris, ait Baronius, qui cum Hierosolymis esset, docebat in templo, Apostoli illic doctrinae cathedram erexerunt. Ad quam alludit Tert. cum ait: Quid ergo Athenis, et Hierosolymis? quid academiae et Ecclesiae? quid haereticis et christianis? nostra institutio de porticu Salomonis est (de Praescript.).

[53] *Et Jacob coluere.* — Cum gente hebraea, et in primis cum ejus conditore Abrahamo Deus primum icit foedus. Non omnes tamen Abramidae Dei foederati fuerunt, sed ii tantum, qui ab Abrahamo per Isaacum, Jacobumque dimanarunt. Hinc quoties Hebraei Deum invocabant, Deum Abraham, Deum Isaac et Deum Jacob appellabant.

[54] *Testamentum ingens.* — Testamentum in Scripturis idem ac διαθήκη apud Hellenistas valet, quo pacta, sponsiones et foedera notantur. Duo extant *testamenta* sive foedera Dei cum hominibus: alterum cum Hebraeorum gente ejusque conditore Abramo percussum et cum Mose repetitum, alterum cum Christiano coetu, quem Dominus Noster Jesu Christus non modo ex Hebraïsmo, sed ex omnibus gentibus cöegit.

[55] *Carnis vitiosa libido.*—Quoniam Israëliticum foedus Christiani exemplar fuit, ubi christianum foedus Christi sanguine consignatum, Hebraeorum respublica in hujusmodi foederis expectationem consociata, re ipsa dissolvebatur. Sed Hebraeorum animis carnalibus ea insederat opinio venturum Messiam in splendore majestatis suae, ut debellaret armorum potentia nationes, terrenumque Isräelis regnum restitueret, totoque orbe amplificaret. Obliviscebantur Messiae regnum non temporarium, sed caeleste futurum, uti praedixit Zaccharias IX, 9. Exulta satis, filia Sion: jubila, filia Jerusalem: Ecce Rex tuus veniet tibi justus, et salvator; ipse pauper, et ascendens super asinam, et super pullum filium asinae.

[56] *Synedrin.* — Synedris sive Synedrium magnum illud erat septuaginta duorum seniorum concilium, a Deo per Moysen constitutum, ut summa auctoritate de lege cognoscerent, de prophetis et de regibus judicarent. Eo tum, Lucae testimonio, Annas princeps Sacerdotum, et Caïphas, et Joannes et Alexander, et quot erant de genere sacerdotali, convenerunt.

[57] *Est lapis.* — Quod Psalmo CXVII praedixerat David: Lapidem quem reprobaverunt aedificantes, hic factus est in caput anguli.

[58] *Anne Deo.* — Act. apost. IV, 19. Si justum est in conspectu Dei vos potius audire quam Deum, judicate.

[59] *Consortia sacra.* — Quod in act. Apost. II, 42. ait Lucas: Erant autem perseverantes in doctrina Apostolorum, et communicatione fractionis panis, et orationibus, clarissime demonstrat, ab Apostolis esse loca assignata et officia, quaeque domi, quaeque in templo essent agenda. Ad verbi Dei praedicationem, et communem omnium precationem templum adibant. Quem ritum certis horis in templo orandi, quamvis e Judaeorum fontibus ab Apostolis in Eccle-

siam traductum, et prima Ecclesia Hierosolymitana, et ceterae deinceps servarunt. *Consortia tecta* dixit Virgilius pro communibus, et nos *Consortia sacra* usurpavimus.

[60] *Infula crines.* — Quod Episcopalis dignitatis ornamentum laminam auream seu bracteam Jacobus in capite gestare consueverit, omnes pene Ecclesiastici scriptores antiqui testantur. Praecipue Epiphanius et de hac corona sacerdotali eloquitur, et rationem addit, haer. XIX. Largitus est autem sub se constitutis regnum, ut ne diceretur a parvis ad majora procedere. Manet enim thronus ipsius, et regni ejus non erit finis; et sedit super thronum David, ita ut regnum David una cum pontificatu transtulerit, ac largitus sit servis suis, hoc est Pontificibus Catholicae Ecclesiae. Jacob cognomento Justus et frater Domini dictus, sedit Hierosolymorum episcopus annos viginti novem. De quo εμφατικως Chrysostomus: Si quis a me percontaretur, quomodo Jacobus sedem Hierosolymorum accepit, responderem ego hunc totius orbis magistrum praeposuisse Petrum.

[61] *Cathedraeque insigne.* — De Jacobi cathedra haec scribit Eusebius, hist. lib. VII, 14. Jacobi Apostoli cathedram (qui primus erat ad Hierosolymitanae Ecclesiae Episcopatum a Salvatore et ceteris ejus Apostoli delectus, quemque fratrem Christi nuncupatum divina perhibent eloquia) ad illud tempus servatam, Apostoli qui illic ordine sucesserunt, permagni aestimant.

[62] *In commune ferunt.* — En primae Christianae vitae exemplar! Omnes etiam qui credebant, addit Lucas, erant pariter, et habebant omnia communia. Possessiones et substantias vendebant, et dividebant illa omnibus, prout cuique opus erat.

[63] *Barnabbam.* — Quamvis Agiographi Barnaban scribant, nos metrologiae ratione in hanc sententiam venimus, ut Barnabban diceremus. Habemus aliud exemplum in voce Barabbae; quod facillime usuvenit in omnibus vocabulis quae fiunt in *Abba,* Pater.

[64] *Incideram.* — Non per Petrum tantum, sed per ceteros Apostolos etiam signa et prodigia fiebant, ut ipse testatur Lucas. At Petri in miraculis praerogativam solertissimus indicat Scriptor, cumque a Christo primatu inter omnes Apostolos esset auctus, praeclara quaedam, atque insigniora ab eo fieri Deus concessit. In judiciaria vero potestate, qua Petrus de crimine Ananiae, et Zaphirae inquirit, Deus autem poenam infligit, vides aliud pontificii primatus exemplum. Belle Hieronymus, de Apostol. Petro: Dei judicium prophetico spiritu annunciat, ut poena duorum hominum sit doctrina multorum.

[65] *Gamaliel.* — Baronius eum autumat christianum, qui consilio Apostolorum inter seniores se occultum tenuit, ut ea ratione melius Ecclesiae posset consulere. Quod adhaeserit Christianis, certissimum indicium est, cum apud Stephanum protomartyrem fuisse sepultum. Ille enim tum Stephani, tum Barnabae et Sauli fuerat magister.

[66] *Theodas.* — Narrat Josephus hunc pra estigiatorem multitudini suasisse, ut assumptis suis facultatibus sequerentur eum ad Jordanem flumen, prophetam enim se jactabat, pollicens scissurum se verbo Jordanem. Sed Fadus missis equitum turmis multos interemit ex quibus ipsum Theodam, cujus caput abscissum Hierosolymam reportarunt.

[67] *Judam.*—Judas Galilaeus fuit, qui occasione census a Quirino acti, indignum et contra patrias leges ratus alienigenis judaeos vectigal pendere, populum ad defectionem a Romanis sollicitavit. Hinc secta Galilaeorum, qui pro hebraearum legum integritate pugnabant. De Juda ait Gamaliel: Et ipse periit, et omnes, quotquot consesserunt ei, dispersi sunt.

[68] *Divinum omnipotens.* — Act. Apost. V, 39. Si vero ex Deo est, non poteritis dissolvere illud, ne forte et Deo pugnare inveniamini.

[69] *Retia.*— Luc. V, 5. In verbo autem tuo laxabo rete.

[70] *Grajugenas* — Nondum Gentilibus Christianae Ecclesiae ostium patuerat: idcirco hic de Hebraeis in graecis regionibus commorantibus est intelligendum. Quod Lacedaemones, nobiles Graeciae populi ab Abraham originem ducere gloriarentur, brevis illorum epistola ad Oniam Judaeorum pontificem testatur: in Jonia Graecorum provincia, quamplurimi habitabant Judaei, id quod Josephus Antiq. lib. XVI, c. 4. affirmat, et Antiochiae in Syria, et Ephesi in Asia, aliisque civitatibus erant municipes. Recte Baronius: Graeci dicebantur a Judaeis, qui in Graecia Hebraei agerent: Palaestinae vero indigenas, proprio nomine appellabant Hebraeos.

[71] *Mite ministerium.*—Videsis munus Diaconorum ex Act. II, 46. Quotidie quoque perdurantes unanimiter in templo, et frangentes circa domos panem sumebant cibum cum exultatione et simplicitate cordis. Hinc S. Leo de S. Laurentio: Non solum ministerio sacramentorum, sed etiam dispensatione ecclesiasticae substantiae praeminebat. *Diaconi* vox graecanica est, nec metrologiae latinae accomodata: hinc nos et *ministerium*, *et minister* quod latine significant, usurpamus.

[72] *Intràrat coetus.* — Josephus testatur Antiq. lib. XX, c. ultimo, Graecorum scientias et nationum linguas non licuisse publice tradi; sed collegia Judaeorum omnium regionum Jerusalem ut metropolis habebat. Ergo Stephanus signis et prodigiis quae patrabat quotidie, et Christi fidem fortiter nuntiando facile omnium sodalium et condiscipulorum in se impetum movit, et praecipue Sauli Tarsensis qui in Synagoga eorum qui e Cilicia erant, princeps erat.

[73] *Exempla parentum.*—Quod Judaei antiquos vates ingenti furore persecuti sint, Jeremias, XXX, affirmat: Devoravit gladius vester prophetas vestros, quasi leo vastator. Jure igitur Stephanus eos exprobravit: Quem prophetarum non sunt persecuti patres vestri? Et occiderunt eos, qui praenuntiabant de adventu Justi, cujus vos nunc proditores et homicidae fuistis. Ipsimet Judaei Jesum olim audiverunt inclamantem. Matt. XXIII, 38. Jerusa-

lem, quae occidis prophetas et lapidas eos qui ad te missi sunt, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, et noluisti ? Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta.

[74] *Cedar*. — De loco quo lapidatus est Stephanus, nihil quidquam dubitant eruditi, siquidem et porta qua urbs vergit ad Aquilonem dicta est *Porta S. Stephani*, quae antea porta Ephraïm, et ipse locus quo nex Stephani consummata, ne integro quidem stadio Hierosolymis distabat, quo Eudoxia Augusta nobilissimam Ecclesiam aedificavit.

[75] *Samaria*. — Samaritani etsi Judaeis erant infensi, et diversam religionem excolerent, non ejusmodi tamen erant, ut gentiles appellarentur; sed a Judaeis, accepta olim circumcisione et lege Judaeorum, nomine potius secernebantur. Cum vero dixit Dominus (Matt. X,) : In viam gentium ne abieritis, et in civitates Samaritanorum ne intraveritis, sed potius ite ad oves quae perierunt Domus Isräel, id eo pacto intelligendum est, ut prius illud Isräelitis impertirentur. Idcirco Philippi diaconi, qui prius omnium annunciavit evangelium Samaritis, praedicationem sequentia signa adeo nova atque admiranda fuerunt Hierosolymis, ut Apostoli ad eos miserint Petrum et Joannem legatos. Act. X. Obstupuerunt, inquit Lucas, ex circumcisione fideles qui venerant cum Petro, quia et in nationes gratia Spiritus Sancti effusa est.

[76] *Simon*. — E vico quodam in provincia Samaria, cui nomen Gitton, fuit Simon. Qui de perpetrato scelere non modo non egit poenitentiam, sed recedentibus Samaria Apostolis eorum doctrinae coepit adversari, portentosa quaedam de se Judaeis persuadens. Sed de eo inferius. Hic potius adnotabimus, Petrum Apostolorum principem Samariam missum esse, ut primum heresiarcham damnaret. Divino quidem factum consilio, ut ipso Christianae Reipublicae exordio innotesceret, Petri ejusque successorum interesse, ut haereticos adversus catholicam fidem insurgentes eorumque haereses apostolica auctoritate proscriberent. Quod vero ex impositione manuum orta sit in Simone admiratio, observandum est, Philippum qui diaconus, baptizasse Samaritanos *in nomine Domini*. Sed Petrus et Joannes imponebant manus super illos, et accipiebant Spiritum Sanctum. Ex his verbis videre licet, per manus apostolicae institutionis exemplo impositionem, conferri Spiritum Sanctum, hancque facultatem, sicut olim Apostolis, sic hodie eorum successoribus Episcopis concessam Quod vero post Baptismum fiebat manus impositio, hujusmodi mysterium aut *Sacramentum* antonomastice, aut *Sacramentum Confirmationis* nuncupatum: imo, quoniam non impositione manuum tantummodo, ac signaculo Crucis, sed et sacra unctione perfici solitum, usitatiore vocabulo *sacrum chrisma* vocari consuevit.

[77] *Mercarier auro*. — Sic Dantes noster Inf. XIX, 1.

O Simon mago, o miseri seguaci
Che le cose di Dio che di bontade

Denno esser spose, e voi rapaci
Per oro e per argento adulterate.

Hinc italum *simoneggiare*, *far simonia* est res sacras vendere, vel emere.

[78] *Eunuchus*. — Non Gentilis, uti errasse videtur Eusebius, sed proselytus ex Gentibus ad Judaeorum religionem adductus Eunuchus iste habendus. Ad Paschalem enim celebritatem, sueto Hebraeorum more, convenerat. Ceterum Aethiopas circumcisionem ab Aegyptiis didicisse auctor est Herodotus, quem Josephus Judaeus lib. VIII, 4 citat. Constat veterum scriptorum testimonio foeminas in Aethiopia regnare consuevisse, easque Candaces esse appellatas. De Eunucho sic scribit Dorothaeus in Syn: Eunuchus Candacis Reginae Aethiopum in Arabia Felici, et in insula Taprobana, inque universa Erythra Evangelium Domini nostri Jesu Christi praedicavit. Ferunt et martyrium gloriose tulisse, ibique sepultum esse. Et coemeterium ipsius, munimentum insuperabile est fidelibus, barbaros scelestos fugans, morbos pellens, et sanationes operans usque ad praesentem diem.

[79] *Quis genus effari valeat*. — Locus scripturae, quem legebat Eunuchus, est apud Isaïan LIII, 7. Tanquam ovis ad occisionem ductus est, et sicut agnus coram tondente se, sine voce, sic non aperuit os suum. In humilitate judicium ejus sublatum est. Generationem ejus quis enarrabit, quoniam tolletur de terra vita ejus?

[80] *Romula Tarsus*. — Act. XXI, 39. Tribunum alloquitur Paulus: Ego homo sum quidem Judaeus a Tarso Ciliciae non ignotae civitatis municeps. Tarsus enimvero Ciliciae metropolis jus municipale a Romanis fuerat consecuta, nempe ut coloni non modo cives romani dicerentur, sed munerum romanorum participes esse possent. Eam cives meruerunt dignitatem, quod in bello civili Caesaris primum, deinde Octavii partibus studuissent, ita ut Tarsus ipsa mutato nomine Juliopolis fuisset appellata.

[81] *Parere recuses*. — Act. Apost. IX, 6. Durum est tibi contra stimulum recalcitrare.

[82] *Ananias*. — Dum Saulus totus erat in illis perquirendis, qui domesticis latebris se occultaverant, Ananias unus ex septuaginta duobus discipulis, Damascum profectus Evangelium promulgavit, adeoque magnam collegit Ecclesiam, ut rei fama Hierosolymis allata summum Synedrii pontificem, ut illuc Saulum mitteret, incitavit.

[83] *Judae*. — Act. Apost. IX, 11. Surge, et vade in vicum qui vocatur rectus, et quaere in domo Judae Saulum nomine Tarsensem.

[84] *Vastator*. — Hoc nomine designat Saulum. Act. VIII, 3. Lucas: Devastabat Ecclesiam per domos intrans et trahens viros ac mulieres, et tradebat in custodiam. Neque satis habuit Christianos qui erant Hierosolymis vexasse, sed a Principe Sacerdotum litteras accepit, ut foris etiam, siqui occurrerent, christianos persequeretur.

[85] *At vas.* — Act. Apost. IX, 15. Vade, quoniam vas electionis est mihi iste, ut portet nomen meum coram gentibus, et regibus et filiis Isräel.

[86] *Paulus.* — Fuit haec Hieronymi sententia, nempe e Saulo Paulum fuisse nominatum, cum ad Christum conversus ab Anania Damasci fuit baptizatus. Hier. XXX. Ubi pluvia super eum lavacri caelestis influxit, necatur blasphemus, necatur persecutor, necatur et Saulus: vivificatur Apostolus, vivificatur justus, vivificatur et Paulus. Usque adeo autem perdidit veterem cum actibus hominem, ut cum moribus mutaret et nomen.

[87] *Pace quierânt.* — Lucam sequimur qui Act. IX, 31. praesentem Ecclesiae statum his verbis indicat: Ecclesia quidem per totam Judaeam et Galilaeam et Samariam habebat pacem. Qua tam opportuna tranquillitate usus Petrus, Hierosolymis egressus, regiones circumpositas obibat. Erat summi Pontificis officium universo gregi prospicere.

[88] *Commixtus amore.* — Act. IX, 32. Ecclesia aedificabatur ambulans in timore Domini, et consolatione Sancti Spiritus replebatur.

[89] *Discipuli.* — Siquis numerum colligere curabit, uti ex Act. Apost. fecit Baronius, ultra quindecim millia Christianorum in illa persecutione Stephani reperiet fuisse dispersa per diversas regiones. Nec tantum se Judaea aut Samaria tenuerunt, sed e Palaestinae finibus egressi. En Lucas Act. XI, 19. Illi quidem qui dispersi fuerant a tribulatione, quae facta fuerat sub Stephano, perambulaverunt usque ad Phoenicen et Cyprum et Antiochiam.

[90] *Lyddae.* — In hac provinciae lustratione Lucas ait quod Petrus *pertransiret universos*; praecipue Lyddam, Joppen, et Caesaream nominat, quo insigniora Supremus Pastor edidit miracula. Locupletissimis omnis antiquitatis testimoniis innixi pro certo habemus, hoc eodem tempore, quo in Palaestina et Syria surgentes invisebat Ecclesias, Antiochenam cathedram fundasse. Siquis ampliorem hujus argumenti tractationem desiderat, Annales adeat Baronii, qui A. Ch. 39, Caii Imp. I, et traditione, et Conciliorum auctoritate, et sanctorum Patrum assertione rata omnia et firma facit. Est Lydda civitas ad littus maris mediterranei sita, in ipso exordio Judaïci belli ab Cestio incensa, quae postea restaurata appellata fuit Diospolis.

[91] *Aeneas.* — Curationem paralytici sic narrat Lucas, Act. IX. Invenit autem ibi hominem quemdam nomine Aeneam, ab annis octo jacentem in grabato, qui erat paralyticus.

[92] *Sarone.* — Sarona non est nomen oppidi, sed regionis Caesareae Palestinae usque ad oppidum Joppe pertingentis: est enim *campestris locus pascendis gregibus aptus.*

[93] *Joppe.* — Urbs Palaestinae maritima, in ora maris mediterranei, in edito saxo extructa, cum portu non infrequenti. Sunt qui antiquissimam omnium urbium orbis terrae credunt, et conditam ante diluvium. Hodie excisa est, et nomine *Jaffa* nihil extat nisi turris, et diversorium excipiendis peregrinis, qui ex Europa Hierosolymam tendunt.

[94] *Dorcas.* — Hanc sanctissimam christianam foeminam Lucas, Act. IX, 40. et *Thabitam*, et *Dorcada* appellat.

[95] *Italica.* — Petrus divino ductus numine primum omnium Gentilem hominem Cornelium baptizavit Centurionem cohortis italicae. Dubium non est, quin ipsa *italica* sit nominata, quod ejus nationis nempe *Itali* fuerint milites. Erant cohortium nomina, sicut et legionum. Dio lib. 59 ait Judaeam regionem ad hiberna fuisse traditam legioni, Ferratae vocabulo insignitae: quae legio ab Augusto ibi fuerat locata, et vix Neronis tempore amandata fuit in Armeniam. In una cohortium quae appellabatur Italica, ordinem ducebat Cornelius.

[96] *Cornelius.* —Habes mores Cornelii his verbis Lucae: Vir autem quidam erat in Caesarea nomine Cornelius, Centurio cohortis, quae dicitur Italica, religiosus et timens Deum cum omni domo sua, faciens eleemosynas multas plebi, et deprecans Deum semper.

[97] *Summam Domum.* — Antiquus Hebraeorum mos erat locis superioribus Deum precari. Sic in Troade, in superiore Domus parte, synaxin fecerat Paulus, et de tertio coenaculo auditor Eutychus adolescens proruit in praeceps.

[98] *Vaga lintea.*—Hoc anno, nempe Christi quadragesimo primo, celebris illa Gentium vocatio ad Ecclesiam facta est. Lucas uti rem maximi ponderis diligentiori studio in Act. X. persecutus est. Hujusmodi fuit Petri visio: Vidit caelum apertum, et descendens vas quoddam, velut linteum magnum, quatuor initiis submitti de caelo in terram, in quo erant omnia quadrupedia, et serpentia terrae, et volatilia caeli.

[99] *Immunda.* — Praeceptum dedit Dominus de non vescendo immundis, Lev. XX. Separate et vos jumentum mundum ab immundo et avem mundam ab immunda . . . Eritis mihi sancti, quia sanctus sum ego dominus. et separavi vos a ceteris populis, ut essetis mei. Sed hac in visione immundae et ferae bestiae erant gentes omnes verum Deum ignorantes, quae turpibus imbutae moribus nec mansuescere, nec pie vivere poterant.

[100] *Alienigenae.* — Act. Apost. X, 28. Vos scitis, quomodo abominatum sit viro Judaeo conjungi, aut accedere ad alienigenam: sed mihi ostendit Deus, neminem communem aut immundum dicere hominem.

[101] *Ecclesia.*—Explicationem S. Augustini sequuti sumus de diver. ser. XXVI. Fortassis quaeratur etiam, quare linteum erat, in quo erant illa animalia? Non utique sine causa. Novimus enim quod linteum tinea non consumit quae vestes alias corrumpit. Excludat unusquisque de corde suo corruptiones malarum concupiscentiarum, atque ita incorruptibiliter firmetur in fide, ut pravis cogitationibus tanquam tineis non penetretur, si vult ad sacramentum illius lintei pertinere, quo figuratur Ecclesia. Quare ter de caelo submissum est? quia ipsae omnes gentes quae pertinent ad omnes partes omnis terrae, qua disseminatur Ecclesia, quam significabant quatuor lineae quibus vas

ille connectabatur, in nomine Trinitatis baptizantur; in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti credentes innovantur, ut pertineant ad societatem communionemque Sanctorum.

[102] *Judaeis.* —Clarissime in Act. Apost. XI, 19. Nemini loquentes verbum nisi solis Judaeis.

[103] *Sacra regunda.* — Sicut Petrus ad eos qui Samariae in Christum crediderunt, missus est, quod erat principe Apostolorum digna legatio, ita cum ex discipulis post necem Stephani dispersis non nulli venissent Antiochiam, multisque ad fidem conversis magnam Ecclesiam collegissent, omnium profecto Apostolorum sententia factum est, ut Petrus ipse Princeps Apostolorum principi in tota Syria civitati atque Metropoli, cui Hierosolyma ipsa et Palestina subjaceret, Episcopus praeficeretur. Porro in instituendis Ecclesiarum sedibus eam inierunt majores rationem, ut provinciarum divisionem et praerogativas a Romanis antea stabilitas sequerentur. Exemplum esto haud longe petitum ipsa sedes Antiochena. Sicut enim inter orientales praefecturas Syriae proconsulatus eminebat, ejusque provinciae metropolis erat Antiochia, prima omnium in Syria Antiochena cathedra et praestantior habetur, prae ipsa Hierosolymorum Ecclesia, quae origine temporis et nobilitate rerum quae in ea fuerunt completae, ceteris orientalibus Ecclesiis fuisset anteferenda.

[104] *Cathedrae.* — Pro certissimo id ab Eusebio accepimus, Caesareae Episcopo, et sedi Antiochenae proximo; qui in Chron. Olympiade ducentesima tertia anno quarto, antequam Tiberius moreretur, Petrum Antiochenam ait fundasse Ecclesiam. Sunt haec ejus verba: Petrus Apostolus Antiochenam Ecclesiam fundavit, ibique cathedram adeptus fuit. Et idem *Cathedrae* nomen servat Ecclesia, quae die XXII Februarii ejus commemorationem celebrat.

[105] *Theophile.*—Hoc Theophili nomen putarunt nonnulli non fuisse proprium alicujus viri, sed cognomen Christiani cujusdam, uti Ignatius dictus fuit Theophorus. Verum in lib. Recognitionum Clementis X, cap. ult. reperimus fuisse Theophilum nobilem civem Antiochenum, qui a Petro ad fidem adductus domum suam usui Christianorum mancipatam in Ecclesiam mutavit. Lucas ipse et patria Antiochenus ad Antiochenum civem, amicum suum de Dei Ecclesia optime meritum, et Evangelium et Acta Apostolorum mittit, illum honestissimo etiam exornans titulo *Optime Theophile.* Baronius censet *bonos* viros *candidatos*, magistratum adeptos *optimos* esse vocatos, unde *optimates.*

[106] *E Juda.*— Quamvis solis Judaeis etiam Antiochiae loquerentur Apostoli, sive eorum discipuli, nequis putet parvum esse numerum Judeorum in illa Syriae metropoli degentium. Josephus testatur ingentem fuisse multitudinem, eosdemque Judaeorum nobilissimos, quos Seleucus civitate donavit fecitque municipes: quae aeneis tabulis privilegia consignata Titus servari

voluit. Licet ergo ostium fidei gentibus nondum esset apertum, ex Judaeis Antiochenis nobilis potuit colligi Ecclesia cui Petrus ipse Apostolus praeesset. Quid vero, reserato semel gentibus aditu ad fidem? Act. XI, 21. Et erat manus Domini cum eis, multusque numerus credentium factus est ad Dominum.

[107] *Manahen.* — Quanta gloria floruerit Antiochena Ecclesia, audi ex Act. Ap. XIII, 1. Erant autem in Ecclesia, quae erat Antiochiae, prophetae et oratores, in quibus Barnabas, et Simon qui vocabatur Niger, et Lucius Cyrenensis, et Manahen, qui erat Herodis Tetrarchae collactaneus, et Saulus.

[108] *Nomen Christiadum.* — *Christiani* vox versui accomodari nequit: nos utimur *Christicolae*, *Christigenae* et *Christiadae* vocabulo. In sede igitur Petri, in ipsa Antiochena Ecclesia Christianorum nomen inditum est discipulis, ut ait Lucas: *ut cognominarentur primum Antiochiae discipuli Christiani.*

[109] *Cephae.*—Ad eas alludit contentiones, de quibus loquitur Paulus I, ad Cor. I, 12. Hoc autem dico, quod unusquisque vestrum dicit: Ego quidem sum Pauli, ego autem Apollo; ego vero Cephae; ego autem Christi.

PETREIDOS

LIBER III.

ARGUMENTUM

Intermissa Christianae Ecclesiae Historia, ut suis, pastorali qua par erat sollicitudine, consultoribus responderet, cum principum Christianorum salutatione, tum Lucinae romanae matronae adventu recreatus, eam resumit Petrus, cum grano Sinapis (quae fuit Christi parabola) Ecclesiae a parvis initiis progredientem in dies magnitudinem comparans, infernis potestatibus frustra obluctantibus — Agrippa senior, primus romano nomine Rex, hebraïcae religionis amplificandae studio incensissimus, ut auram auciparetur popularem, et Synagogae calumniis velificaretur, Christianam Ecclesiam persequitur — Jacobus Alphaei, frater Joannis, ab Hispania redux primus inter Apostolos martyrio coronatur — Petrus Antiochia accurrens, ut Ecclesiae periclitanti praesens auxiliaretur, a regiis satellitibus comprehensus in vincula truditur; sed Rex dies Azymorum et augustissimum anni tempus reveritus, mora interposita, rem extrahit, spectaculum de ejus nece post dies paschales populo exhibiturus — Azymorum et Paschatis origo — Ecclesia, totius aedificii fundamento excusso, maxima aegritudine contristatur; dumque gloriosissimam Christiani Paschatis memoriam celebrat, pro communi omnium parente atque pastore ardentissimas preces ad Deum effundit — Neque Deus orationem despexit — Ecce Angelus e custodia Petrum liberat, portisque carceris et

civitatis divina virtute reseratis, ad triumphi speciem educit usque Joannis Marci domum, qua aegros et exulceratos animos inopina praesentia exhilarat — Agrippa pudoris et indignationis flamma exagitatus in Tyrios et Sidonios stomachum effundit: sed Dei Angelus ex adverso erumpens temerario divinitatis fastu superbientem lethali spiculo confodit — Petrus non amplius tutam fore moram Hierosolymis videns, admonitis per cursorem ceteris Apostolis, ut Antiochiam convenirent, ipse per Palaestinae maritimas regiones Pontificiam sedem petit: dumque per tranquillitatem noctis, gratias agunt Deo debitas pro Ecclesiae capite servato, divino oraculo admonentur, ut in diversas orbis terrarum regiones proficiscerentur, evangelium nunciaturi — Petro divinae voluntatis interprete, tessera verae Christi Ecclesiae, communi consensione constabilitur — Symbolum Apostolorum e cathedra pronunciato, sortiuntur Apostoli suam cujusque in universo orbe terrarum Evangelii procurationem — Spiritus Sanctus omnibus consultor — Ad totius mundi principem civitatem princeps Apostolorum mittitur — Petri iter in Italiam — Vix ille Italiam tetigit, solemni super Tiberis ripa precatione Christum obsecrat, ut in romana urbe christianae reipublicae principatum auspicetur — Michäel innumera Angelorum acie stipatus de caelo descendens, Petrum oblata pontificiae Romae condendae imagine recreat, Romaeque possessionem capit, e tyrannica Erebi potestate liberaturus — Ipsa Petri praesentia Roma exhilaratur, gentiliciis quibusdam superstionibus abolitis — Prima Petri mora, et praedicatio apud Judaeos Transtiberinos ab Pompeio, et Augusto Romam traductos — Primo successu confirmatus, apud Romanos orare coepit — Pudentis Clariss. Senatoris ad Christum conversio — Qui Petro domum suam Sacris obeundis offert: ibique Petrus gloriosissimae Christi Passionis memorias ab oriente allatas, velut arcana sacra imperii collocat — Ecclesia Romana XV Kal. Febr. ab Apostolorum principe Romae instituitur, Evodio episcopo Antiochenae Ecclesiae subrogato — Ex illo Petrus Episcopus urbis et orbis — Rebus romanis ex animi sententia procedentibus, Italiam omnem, missis apostolicis viris qui cum ex oriente comitaverant, Evangelii luce illuminat — Siculi ac Italici episcopatus a Petro constituti, et episcopi creati — Linus, Cletus, et Clemens e christianis praestantiores in opus ministerii cooptantur — Majus Romanae Ecclesiae incrementum e Pauli adventu ad Urbem. Qui, tumultuantibus Solymae Judaeis, ab Romano tribuno in castra abreptus, utque de Christo conticesceret, verberum et virgarum minis frustra deterritus; se Romanum civem pronunciat, et ad Caesarem provocat — Triumphale iter Pauli per totum mare mediterraneum — Christianorum Romae laetitia ad tres Tabernas obviam occurrentium — Prae-

dicatio Pauli ad Judaeos ad viam Latam qua libera custodia detinebatur, vocatos — A quibus male habitus se convertit ad Gentes — Vinculis exolutus apud collegium Pontificum, et senatum verba facit—Augusta Aula ejus nomine personat, in dies aegrescentibus Judaeis, et Christianis firmitate fidei convalescentibus — Hierosolymitana synagoga quotidianis Christianae gloriae incrementis indignata, missis exploratoribus universas synagogas subvertit, totaque Judaea quae veluti Evangelii praeludium, deductis coloniis, sub Christi ortum universas orbis regiones opleverat, in Christianum nomen insurgit — Praecipue Romae adeo tumultuantur, ut Claudius Judaeos, quo nomine Romae Christiani etiam habebantur, expulerit — Petrus Linum et Cletum Episcopos creat, suique absentis vicariam operam committit—Clementem sacris initiat—Roma egrediens, divina quadam providentia, in Orientem vocatur, ubi de judaeis legalibus orta quaestione, Ecclesia ancipiti certamine versabatur—Re mature perspecta, naturales leges animis impressas aeternas esse intelligens, at multas Hebraïci imperii praescriptiones veluti domesticas et umbratiles, luce umbris succedente, ad nihilum recasuras, Petrus Apostolos Fratres consulit de re gravi, quae universae christianae reip. intererat — Primum concilium Hierosolymitanum, ubi, Petro et Jacobo potissimum orantibus, decernitur Judaea legalia cessisse; unum e cunctis terrae gentibus christianum populum fieri, christianam legem sufficere — Petrus Orientem pastorali peregrinatione lustrat, et paterna quadam oblectatione praecipuas Ecclesias enumerat — In Judaea florebat Ecclesia *Hierosolymitana*, *Caesareensis* — In Syria, Ecclesia *Damascena*, *Tyria et Sidonia* — Singularis recordatio de *Metropoli antiochena* — In Graecia, Ecclesia *Atheniensis*, *Corinthia*. — In Creta, Ecclesia *Cretensis* — In Macedonia, Ecclesia *Thessalonicensis*, *Philippensis*, — In Thracia, Ecclesia *Heraclaeensis* — In Asia Minori, Ecclesia *Ephesina*, *Galatensis*, *Colossensis* — Claudia tempestate quiescente, Summus Pontifex Romam redit—Florescens Ecclesiae Romanae status Lini, et Cleti laboribus: confirmaturque eo magis, quod Oriens Occidenti, assidua ultro citroque commeantium peregrinatione, adhaerescit — Tanto rerum prosperarum aspectu exhilaratus ad occidentalis orbis regiones Petrus admovet oculos, et missis apostolicis viris *Gallicanam*, *Germanicam*, *Britannicam Ecclesiam excitat* — Marcus Petri interpres *Alexandrinam Ecclesiam* aedificatum amandatur — Sic triplici Patriarchatu constituto, *Antiocheno*, *Alexandrino* et *Romano*, totus Oriens Occidenti connectitur, Romanusque Pontificatus per universas Orbis regiones suam exercet sollicitudinem, ex uno fonte manantibus rivis, ex uno sole radiis —Quatuor Evangelia per orbem promulgata, natura ipsa impellente gratiaque caelesti adjuvante offusas

humanae intelligentiae tenebras propulsant—Totius orbis terrarum vastissimam silvam purgare, monstra ferarum atque portenta perdomare e Galilaea piscatores missi sunt — Romae pontificalis prae Roma Romuli illustrior gloria — Illa armiferis expeditionibus universas cogniti terrarum orbis nationes suo imperio subjecit — Haec una verbi persuasione, novam sanctioremque humani generis consociationem in Christi nomine et auxilio creat — Quae dum terris peregrinatur, in Evanlio pacem, et malis medicinam reperit, futurumque domicilium in caelis perpetuamque beatitudinem expectat — Hic finis Pontificiae orationis, stupescentibus omnibus, de mirifica Christiani nominis propagatione.

At non te solum, pastorum Maxime, linquit
Christiadum pietas, neque te per mille pericla
Desertum sacrae solum tenuere latebrae.
Plurimus in noctem suspectam allabitur aedem
Nuncius, et primos simul ac subsidere fluctus
Cernunt Presbyteri, properant invisere Patrem
Et jussa accipere. Et Senior pro tempore cuncta
Componens moderatur oves, oviumque magistros.
Pontificem in primis matronae nobile movit
Propositum. Lucina [1] potens, Clementis amicis
Incita consiliis, praecelsa palatia scandit.
Ipsa sacris primum pedibus dedit oscula: deinde
Surgit, et ardenti tales dat pectore voces:
Christiadum Genitor, quoniam lux magna sacratis
Addidit ordinibus, Christi documenta secuta
Ante pedes depono tuos bona cuncta: propinquo
Janiculo domus est: aegris seu squalida morbi
Contages, senibus gravior sive incubat aetas,
Auxilium tutae poterit succurrere sedis,
Qua tibi jucundo famulabor serva labore
Cum famulis, qui mille meis conclavibus errant.
Tuscula quae tellus servat, pomaria rivis
Roscida mobilibus cape laetus: cuncta resigno
Pro miseris pueris. Certos per compita mittam

Colligere expositos, rapta seu matre dolentes.
Audierat viduam commoto pectore fantem
Maximus Antistes, lacrymaeque per ora volutae
Ipsi etiam, et tantae pietatis imagine tactus:
Ast ego Presbyteros aut mane aut vespere mittam,
Inquit, qui primum puerilia corda nitenti
Lumine praevertant, vitaeque obstantia pellant,
Doctrinaque Crucis firment aegrosque senesque;
Qui juga Calvariae memorant, totumque cruore
Manantem Jesum, mortisque extrema ferentem,
Et gaudent cessare suos minuique dolores.
I, sequere incoeptum, mulier: *Qui flentibus adsunt* [2],
Caelestem accipiunt certa mercede coronam,
Et redit impensum fructu centumplice munus.
Sic ait, atque choro comitum se reddidit. Illi
Sepositam historiam, et regni decora alta futuri
Noscere flagrabant: neque secius orsa petebat
Augustus Senior, coeptamque absolvere telam.
Quo primum prognata die est Ecclesia, caelo
Spiritus omnipotens in munia magna creatam
Sustinet, immotoque regit vestigia gressu.
Illa, bonum semen [3] jactum tranquilla secundum
Flumina, mox foliis virgultum assurgit opimis.
Improba dabacchetur hyems, ferus ingruat Eurus;
Illa solo bene compactis radicibus haeret
Firmior, adversa decussaque grandine crescit
Arbor opaca, ingens, et luxuriantia pandit
Brachia, ramorumque virentes explicat umbras.
Contentae pecudes sub texta umbracula ludunt:
Orbe peregrino, securae nomine pacis,
Grex avium accurrit, foliisque sub omnibus haeret.

Ista Dei domus, ista aevi volventis imago.
Infremit insidiis Satanas armatus et astu,
Milliaque ingeminat gradienti obstantia in horas.
At lateat, quemnam victoria laeta sequatur?
Ut primum Roma, sceptroque potitus opimo est
Claudius, Agrippam [4] magno cumulavit honore:
Namque patrum studiis quondam certantibus, ille
Planum stravit iter solio, in partemque senatum
Traxerat incertum. Memori stat gratia facto:
Judaeam regi et Samariam donat habendam,
Juratamque fidem romano foedere [5] sancit.
Judaeam in vacuam primis Agrippa redibat
Ominibus, templumque petens votivaque dona
Fortunae memor ambiguae, auratamque catenam
Servitii titulum ad fastigia sacra ferebat.
At non praeclaris respondent cetera coeptis.
Vix et inexpertas regni tractavit habenas,
Hebraei Proceres ignarum incendere falsis
Criminibus coepere: novo de nomine dictam
Progeniem regni firmam turbare columnam:
Christiadas nova moliri, nova condere jura
Atque novos mores: quid porro principe tanto
Dignius, insolitae quam si contagia pestis
Pelleret e Solyma? Non omnia falsa videbat,
Quae rex audierat: Christi per rura, per urbes
Vulgari nomen: monstris caelestibus omnes
Excussas gentes Christi concurrere ad aras.
Ille diu ardebat priscam instaurare coronam:
Praeterea Hebraeûm spretis si accederet aris
Antiquum jubar, et magnum fore munus amanti
Sperabat populo, et regni praesagia magnis

Laudibus aucturum [7]. Tali spe fervidus ipsos
Ductores certa aggreditur pessumdare clade.
Quae feriit Stephanum scelerata insania, in unos
Saevit discipulos; at nunc violentia major
Insequitur proceres [8]. Turma deprensus iniqua
Zebedeo natus tumidi prior ora tyranni
Audacter subiit, nec voci iraeque pepercit.
Ut Christo quondam Samariae regna petente,
Ille praeibat ovans, populoque rejectus agresti
Haudquaquam patiens tristem tolerare repulsam,
Igniferas pluvias et formidabile fulmen
E caelo orabat, nî Christus mitior audax
Consilium, et consurgentes componeret iras
(Tunc gemini e tonitru [9] hauserunt cognomina fratres);
Talis erat senior: nec quemquam impune tulisset
Insultare Deo, se coram, aut temnere Christum.
Illum tantus amor, Christi illum tanta cupido
Ceperat, ut tartessiaci per littoris oram
Ignotos populos, quos dives lambit Iberus
Auricolorque Tagus, Christi legatus adiret,
Elatumque Crucis signum ostentaret Iberis [10].
Inde redux Solymas sanctos invisere fratres,
Criminis arguitur: Christum crimenque fatetur
Coram rege ipso, tantoque oravit honore,
Ut veniam facti delator [11] posceret ultro,
Seque daret Christo. Ille suum complectitur hostem,
Atque offert pacem. Praeclaro funere vitam
Deseruere ambo, mutâruntque aethere terras.
At non Calaecis tua vox oblita, dataeque
Principium fidei, Pastor venerande: requirent
Augustum corpus, lectoque e marmore templum

Constituent, tantoque superbiet ora beata
Thesauro, atque alio veniens peregrinus ab orbe
Gestiet oblatis cumulare altaria donis [12].
Jamque procul magnae sonitum, strepitumque ruinae
Audieram. Antiochi deserta protinus urbe
Advenio, tantum propius spectare periclum.
Hei mihi! quid regem poterat latuisse, notansque
Cuncta satellitium? patuit praesentia Petri:
Tum vero ratus, ingenti si avulsa ruina
Fundamenta forent [13], totam procumbere molem,
In me conversas irarum effudit habenas.
Turba ferox aderat, primoque imbuta cruore
Sepositam irrupere domum, raptumque, triumphi
In speciem, claudunt latebroso carceris antro.
Agrippa exiluit praeda ditatus opima.
Sperabat demens, truncato vertice, membra
Omnia deficere, et totum languescere corpus.
Festum urbi solemne aderat [14], Judaeaque tota
Laetitiae signis sese effundebat honestis,
Ingens prodigium memorans, magnosque triumphos,
Cum Pater Omnipotens externo jure subactam
Progeniem, immitique jugo servare praeoptans,
Lactentem jugulare agnum, postesque linire
Sanguine mandavit. Vastator, nocte silenti,
Angelus Isacidûm signatas sanguine sedes
Transilit innocuus: Aegyptia tecta cruento
Flumine inundavit gradiens, natuque priores
Interimens omnes. Ollis data copia tandem
Barbarico migrare solo, et via facta per undas.
Poenituit Pharaona viam, veniamque dedisse,
Armisonasque movens inopina ad bella phalanges

Insequitur Judam, et comprehendere gestit euntem.
Quae mora? servati ripa ulteriore canebant
Isacidae, dictante duce, admirabile carmen:
Per mare reclusum Pharao atque exercitus omnis
Ingreditur: medium vix contigit, unda relictum
Deflua replet iter, pelagoque absumpta voraci
Aegyptus periit: natat aurea gaza per aestus,
Absorptaeque acies fundo volvuntur in imo.
Ex illo Isacidae, sic jusserat ipse Creator,
Septenas celebrant, festum memorabile, luces:
Atque ubi collecti consanguinitate propinqui
Convenere, domus media discumbitur aula,
Sinceras nullo fermenti semine fruges
Vescuntur, foetusque ovium, ceu lege tenentur,
Subjiciunt flammis, dapibusque epulantur opimis,
Longae quisque hastae incumbens, ceu saepe viator,
Thaureaque ad gressum circumdans vincula plantis.
Haec Judaea vetus solemnia vota novabat.
Ast ubi lux aderat priscis praelata figuris,
Certatim Judaea recens caelestibus aris
Pascha novum, Divinum Agnum mactare parabat,
Sanguine quo ablutus primaevi labe parentis
Terrigena infernae ferrata repagula sortis
Disrumpit, liberque Dei bona jura potitur.
Et quoniam ferro [15] vitalem abrumpere cursum
Haud fas per septem, sanctissima tempora, luces,
Ipse novi Princeps populi solemnia festa
Queis praeeram, gemitu captus luctuque trahebam
Turris inacessae tenebras dejectus in imas.
Si quidquam poterat pacem turbare serenam,
Una gregis pietas erat. Insatiata luporum

Ira fremet caulis? Ecclesia junior ibit
Per varios casus? opera interrupta jacebunt?
Non ita: quandoquidem caelo tu vivis in alto,
Christe Pater vigilans, neque pastor deforet alter,
Auspice te, firmum pavido tutamen ovili.
Triste Palaestinam manârat murmur in omnem
Pontificem captum, latebrosa nocte sepultum
Expectare necem. Subito turbata dolore [16]
Christiadum varias Ecclesia sparsa per urbes
Contremere: et regni novitas, et proxima Jacob
Funera turbabant justa formidine mentes.
Quod superest unum, sanctis accurritur aris;
Unus Judaea clamor se tollit in omni
Te, Christe adjutor, calida prece compellantum.
Tu Deus omnipotens [17], te nostra in vindice causa.
Tu celsum insistens solium celsumque tribunal,
Terribili in tumidos tonuisti voce nocentes,
Et subito periere: perît quoque nomen in altis
Absorptum tenebris: ausae te laedere quondam
Procubuere solo viduatae civibus urbes,
Famaque sacrilegis jacuit tumulata ruinis.
Surge age, surge [18], Deus: te contra pulvis et umbra
Stare audet? Tales jactabant pectore voces,
Et non ille inopum lacrymas gemitusque piorum
Oblitus. Laetae depulsa luce diei,
Nox circumfusa obnubens caligine terras
Terrificam foedi geminârat carceris umbram [19].
Ipse pruinosum latere inclinatus ad antrum
Tristior haerebam: malefidae incommoda sortis,
Incultusque situs, trepidaeque silentia noctis
Turbatum oppressere animum: tamen ore supremo,

Omnipotens Genitor, noctis solemnia vota
Explêram, et placidae laxâram membra quieti;
Confestim nova lux [20] tristi circumnitet antro.
Qualis ubi primo irradians intermicat ortu
Aurora, immundo squalore horrentia tecta
Exiluere viri aspectu gradientis; ab arce
Aliger aetherea pictis juxta astitit alis.
Vanuit ex oculis somnus, jam jamque videnti,
Quid cessamus, ait? tua desere vincla (catenae
Exciderant manibus), caligis vestigia claude,
Me sequere. Exurgo, atque viam quam monstrat eundi,
Pone lego audacter: patuere ingentia saevae
Claustra domus: vigilans magnum excubitoribus agmen
Perfacile superare datur: quin ferrea porta,
Quae postrema triplex foribus stridebat ahenis,
Sponte sua patuit. Jacet extra compita vicus
Desertus, tutaque domus regione quiescit
Dilectae Mariae [21]. Hic superas sublatus ad auras
Angelus excedit, mediaque in nocte relinquor.
Vix ego credideram fieri quae cuncta videbam.
Somnior an vigilo? Splendorem et verba notavi
Alitis aetherei; me non vaga somnia fallunt.
Haec recolens summas properabam scandere ad aedes,
Qua lectus de more chorus matrumque virumque
Supplex orabat Superos votisque vocabat.
Namquis complexus comitum? quis gaudia narret?
Ipse steti in medio, primaque ab origine narro,
Omnipotens, divina tuae miracula dextrae:
Inflexoque genu dulci pia turba triumphans
Laetitia meritas gestit persolvere grates.
Postera purpureo lustrabat lampade terras

Orta dies, longaque natantia lumina nocte
Excierat miles, reserataque carceris antra
Repperiens, frustra circum vacua omnia lustrat.
Rex fremit indignans [22], miserasque ad saeva reposcit
Supplicia excubias. At tu quid plura fatigas,
Impie, Coelicolûm regem? temerarie, nescis
Quanta fero capiti superest lapsura ruina.
Dum propria pudet heu! victum considere sede,
Egreditur tibi multa, Tyros, tibi plurima, Sidon,
Ipse minans: semper varium et mutabile vulgus
Olli assentatur, servatoremque deumque
Acclamat. Tumido dementem assurgere fastu,
Et non concessos homini deposcere honores
Angelus adspiciens telo confixit acuto:
Quo tactu subita putrescit tabe, tumetque
Corpus, et impuri depascunt viscera vermes.
Infelix Solyme, tota nos pellis Iduma,
Quae dedit Omnipotens promissa parentibus arva,
Ut legem acceptam dociles, verumque tenerent?
Audiat hoc caelum [23], tellus hoc audiat omnis.
Bos dominum agnovit, possessoremque propinquum
Agnovit pascens plena ad praesepia asellus:
Tuque tuum ignoras dominum, atque ingrata repellis?
Supplicium, miseranda, lues. Deserta jacebit
Tot regum sedes, urbes populabitur ignis:
Externae gentes pingui regione sedebunt
Omnia raptantes, hostiliter omnia caede
Complentes: tuque obsidione videbere tristi
Arentis tugurî desertum culmen in arvo.
At promissa fidem accipient: domus inclyta surget,
Attolletque super sacro fastigia monte

Collibus editior cunctis, totamque replebit
Gloria magna Dei. Cunctis e partibus orbis
Ipse Deus caecas vocat ad nova foedera gentes.
  Tum vero varias, obscura mapalia, sedes,
Quo sese abdiderant Proceres, primosque furores
Effugere optârant, festinus cursor [24] obibat,
Errantesque pios, Christo dictante, monebam
Moenia Jerusalem sancto irrorata cruore
Deserere, et tutam in Syria reperire salutem.
Dicto exultantes parent, caecasque latebras,
Qua tutos fratrum pietas operosa tenebat,
Deseruere viri: sub noctem incerta pererrant
Oppida Judaeae, notaque excedimus ora.
Nos habet Antiochia [25]: domum convenimus unam
Qua pastoralis tractabam munera sortis;
Servatosque Deo immortale rependere votum
Unanimus suadebat amor, cum protinus omnis
Emicuit domus; auricomus transcurrere nimbus
Visus, et innocuae considere vertice flammae,
Et vox aethereas sonuit demissa per auras:
Ite, Deus jubeo: vobis maria omnia pando,
Atque omnes terras: Christus notescat ubique.
Nec plura his; calidasque animas novus impulit ardor.
At patuere mihi manifesta oracula caeli,
Et mandata Dei sociis mirantibus edo:
Magnanimi fratres, queis est concessa facultas
Imperium fundare novum, regnique futuri
Mores diversas orbis vulgare per oras,
Tempus adest suprema sequi mandata Parentis.
Herodes ira insanus, jamque alter ab illo
Qui primum rubros puerili sanguine rivos

Infecit, Christum ferro flammaque repellit.
Innocuus cecidit Jacob; circumdedit ipsum
Me fera barbaries, atque ad peiora reservat.
Praesentem nobis intentant omnia mortem.
Quandoquidem immitis Princeps, Judaeaque proles
Juravit totum Christi pessumdare semen,
Eja, viri, migrandum alio: monet ipse Redemptor
Visere tot populos diuturna in nocte sedentes.
Ante tamen quam diversi data regna sequamur,
Doctrinam juvat indiciis comprehendere certis.
Tessera Christiadum statuenda: ut nocte propinqua
Tessera vicinum socio discriminat hostem,
Firmemus signo, quae Christi Ecclesia verax [26].
Assensere omnes. Caelo tu, Spiritus alme,
Mitis ades, certoque inspiras lumine mentes.
Quisque opere in tanto partem sibi vindicat: inde
Symbolon appellant [27]. Quae tum suffragia librans
Supremus Pastor, cathedraque insignis ab alta,
Fratribus intentis, suprema oracula dicto.
Omnibus una fides, veluti Deus omnibus unus.
Nempe Deus Pater omnipotens caelique creator
Terrarumque: Patris Jesus aequaeva propago
Unica, quem sancto conceptum Flamine Virgo
Parturiit mater: qui humanae incommoda vitae
Immitemque tulit mortem, tumuloque resurgens,
Effractis foribus, caelestia templa petivit,
Qua solio in magno Omnipotens sedet Omnipotentis
Ad dextram Patris, unde extremo in tempore rerum
Terrigenas ad judicium solemne vocabit.
Nec minus et Patris et Nati Spirabile Numen,
Credimus esse Deum, atque Deum ter dicimus unum.

Humana maiora fide quaecumque docebit
Digna triumphalis regnare Ecclesia terris,
Gentes excipient fidae, docilesque tenebunt.
Caelicolas terris communia foedera jungunt.
Terrigenas patriae siquos caelestis amore
Avertent noxae, Christi per vulnera sontes
Poeniteat, caeloque Deus peccata remittet.
Adveniet tandem, lustris labentibus, aetas,
Cum tumulo ex omni redivivo corpore cuncta
Exurget caro; tunc periturum finiet aevum,
Aeternae incipiet series decurrere vitae.

Talia fatus eram; carmen venerabile toto
Pectore combiberant comites, Vigor actus ab alto
Irradiat, variasque plagas habitabilis orbis
Sortimur, Christi posituri ingentia regna.
Ilicet eductae concordi foedere sortes,
Aequatusque labor cunctis. Pulcherrima tellus
Italiae, tellus caelo acceptissima nobis
Obtigit, Andreas Syriam perlustrat opimam,
Joannes Asiae laetissima regna pererrat,
At te regna manent Asiae editiora, Philippe.
Bellaces Parthos et fuscos permeat Indos
Thomas; Armeniae campis versatur in amplis
Bartholus; Aethiopas visit Matthaeus adustos,
Et molles Arabas Judas et cognita caelo
Flumina quae dirimunt sata pinguia. Persidos oram
Lustrat achaemeniam Simon, aegyptia regna
Matthias. Cuncti accipiunt data fata, Deoque
Sacramenta novant, coeptisque ingentibus instant.

At quisnam justos potuit compescere fletus,
Cum tibi supremum moesto vale diximus ore,

Diva Parens? Libani ceu vertice surgit odora
Cedrus, sive Sion juga per formosa cupressus
Ardua, sive Cades lectis vaga palma viretis,
Hebraeas omnes divino nomine matres
Exuperas. Rosa quae laetis Hierichuntos in hortis,
Quae speciosa jugo frondescit oliva virenti,
Quae platanus surgit sata flumen propter amoenum,
Cedunt ultro tibi. Tu suavia cinnama vincis,
Tu myrrham ambrosio stillantem rore sabaeam,
Totaque procedis tanto circumflua odore,
Ut caeli regem et terrae radiantibus astris
Illectum virtute tua, natumque beato
Ubere nutrieris. Pacis mediamque salutis
Suspicimus, caraeque loco genitricis habemus.
At tu Joannem cui Natus credidit ipse,
Exhilarans, Asiae magnas comitaris in oras,
Unde regis duodena virûm vestigia, Christi
Praesens effigies, et vivida solis imago.
Mox ubi fidentes animis jussisque paratos
Prospexi comites, renovo excedentibus omen;
Qualis caelesti Christus virtute creatum
Misit in imperium, et terras concredidit omnes,
Diae commemoro monumenta insignia vocis:
Ibimus, o fratres, misit Deus, ibimus omnes.
Quo tamen ingenti maneat concordia regno,
Vos memorate patrem, cui Christus sceptra vicesque
Tradidit in terris. Ego vos maria omnia circum
Dux sequor atque comes, regio quaecumque tenebit.
Si spes nulla manet, si nosmet visere terris
Non dabitur, summo promisit gaudia caelo
Christus, ubi socio copulabimur agmine Christo,

Caelestumque jubar Christumque Deumque fruemur.
Nec plura effatus: libataque basia pacis [29],
Colloquium extremum, et mixto inter gaudia fletu,
Quisque viam carpit, quo sancta oracula ducunt.
  Magnanimi heroes concredita regna peragrant,
Arcana excelsi monstrantes lumina veri.
Ipse viam auxiliumque paro, sociosque recensens
Quamplures mecum Italiam lustrare paratos,
Omina quandoquidem firmant caelestia mentem,
Haec mecum recolo: Pastorum primus [30] ad arcem
Romani imperii mittor, quo vertice summo
Vis nova progrediens cunctos se fundat in artus.
Hic delenda manent Sophiae documenta vetustae,
Hic sancto effraenis reprimenda licentia more,
Sacrilegae hic artes incantamentaque pravi
Solvenda ingenii, quo cuncta pudenda coëgit
Foeda superstitio. Quis Romae nesciat urbem?
Romanis quaenam regio se subtrahit armis?
Anne ullam in terris gentem ignorare licebit,
Quae Roma edidicit, quaeque in sua jura recepit?
  Protenus imperiis caelestibus obsequor: ora
Solvens eoa, dextra laevaque jacentes
Inviso terras, verbi mysteria spargens.
Trinacriae propiora legens latera, agmine nostro
Tres carpo agricolas campum exercere virentem.
Parthenope errantem hospitio senioris amici
Obsequiosa diu tenuit, lumenque recepit.
Inde peto Romam, quae meta extrema viarum.
  Qua flavus thusco confunditur aequore Tybris,
Navigium appulimus, gressumque ad moenia duco
Romulidum, comitante choro. Jamque alta tuenti

Culmina successus subiit spes alta futuri:
Procubui, fudique preces has pectore ab imo:
Christe, graves hominum semper miserate labores,
Qui veterem aggrederis nutanti pondere mundum
Instaurare, pias renovato semine gentes
Fingens, quam arcano monuisti numine, magnam
Prendimus Italiam, signataque tangimus arva.
Hi septem colles, et collibus addita Roma,
Hic magnus Tybris, hesperidum regnator aquarum.
Per te, nequicquam Hebraeis certantibus, ingens
Christiadum signum antiochena desuper urbe
Erectum, unde potens Syriam regina per omnem
Relligio, populis indicit jura vocatis.
Haec promissa mihi tellus, quae maxima Roma est.
Hic ego, quae Solymis nostrae monimenta salutis
Armaque clavosque et spinas sanctumque cruorem
Classe veho mecum, statuendi pignora sacra [31]
Imperii, qua sede locem, tu consule caelo.
Hoc caput orbis, et hic corruptissimus omnis
Nequitiae gurges: lethaeum huc arbiter antrum
Transtulit, et capitolina spatiatur in aula
Rex rerum Satanas. Solio regnabis in uno
Tuque hostisque tuus? Caelo demitte nitenti
Aethereas acies, purumque per äera lapsae
Moenibus impuris palantia monstra malorum
Agmina spirituum excutiant, vigilique corona
Defendant sanctam, insomnis custodia, Romam.
Nec mora; per sudum summa descendere ab aethra
Pennipotens genus intueor: gratatur eunti
Aura levis circum resonans, stellaeque coruscant
Innumerae. It Michäel ardens caelestibus armis [32]

Ductor, et antevolans Tyberis subsedit ad undam.
Atque ubi me attonitum magna cinxere corona,
Progreditur Michäel, placidaque haec voce profatur:
Hactenus hesperiae miserati damna ruinae
Flevimus indigna septam caligine Romam.
Praevalidae stirpi, nec jam virtutis egenti
Praemia persolvit Deus, ingentique potentem
Imperio, et clara dedit illucescere laude.
At nunc majori Omnipotens dignatur honore.
Nempe alii peragrant alio: tibi, maxime Pastor,
Romani rerum domini gentesque togatae
Quaeque urbs una sibi septem circumdedit arces,
Obvenere: potens Capitolium, et inclyta sedes,
Unde ferox Caesar saevis dominatur habenis,
Subjectos populos cedent tibi: maxima Roma
Mox oblita feri martis spectacula, fiet
Pontificum veneranda domus: quas possidet armis
Innumeras gentes, sparsas quacumque, tenebis
Relligione una et concordi foedere amoris [33].
Sic ait, atque oculis totum se proripit agmen.
  Invia silvarum densis horrentia dumis [34]
Ingredior maiore animo, quam summa paterni
Aequoris insilui, Christo exhortante, vocatus.
Memet mutatum video: qui limine primo
Expavi ancillam, confidentissimus Urbem
Ingredior mundi dominis, saevoque tyranno
Regnatam. Qualis, bello superante Philistim,
Per mediam Azotum divini foederis arca
Processit, Dagon [35] foedum subitura cubile
(Horrida semihominis species et cetera piscis
Dagon numen erat populis), praesentia magni

Numinis excusso tremefecit cardine foedam
Effigiem, Mystae immoto ter marmore sistunt,
Terque, die veniente, fera sublapsa ruina
Aerea signa jacent, per terram sparsa feruntur
Fragmina; non aliter Romae decrescere visa
Caeca superstitio [36], simulacra antiqua labascunt,
Adventante Deo. Pollutam sacra per urbem
Plurima (quis foedas species, numerumque Deorum
Enarret?) sacrosque dies romana potestas
Contrahit; eversae effigies ritusque minuti.
Postquam romanis cessit provincia virgis
Pompeja devicta manu Judaea, triumphi
In speciem Hebraeos captivaque corpora Romam
Transtulerat victor. Jus libertatis adeptos
Trans Tiberim Augustus tuta regione locavit,
Concessitque etiam tota mercarier urbe.
Compita Romulidum tentans incognita, primum
Trans Tiberim sisto, et Judaea per agmina versor
Nuncia laeta ferens. Deus omina prima secundat:
Judaeûm magnus coepit crebrescere coetus
Credentum Christo. Praeda ditatus opima
Romulidas posco: vix alter coeperat annus.
Nulla dies nostro delebit pectore, nunquam
Delebit sanctis romana Ecclesia fastis,
Quando ignotus, egens, nulla confisus opum vi
Pro Christo orabam, magna stipante corona:
Ipse Pudens aderas: stimulante cupidine veri
Tangeris eloquio, et Christi memorabile nomen
Accipiens Christo laqueata palatia pandis.
Haec primum visa est statio fidissima sacris,
Hic aram posui primam sanctique locavi

Arcana imperii, unde sacrae res publica Romae
Incoepit, totique potens dominabitur orbi.
Antiochia, mihi certo quam foedere sponsam
Annos septenos [37] fovi, in Christoque creatam
Dilexi magis his oculis (quo candida cultu
Lux Syriae luces, quanto virtutis honore!),
Ah! ego te linquo: sed tecum nostra moratur
Relligio. Quamvis longo distantia cursu
Aequora nos dirimunt, Romam populosaque lustrans
Compita, sollicito quaeram te pastor amore.
Me nunc Pontificem mavortia Roma tenebit,
Ast alter pastor nostris operabitur aris.
Ex illo posita coepit consurgere sede
Pontificalis honor solii, solioque sedemus
Mentis divinae interpres, morumque magister
Petrus ego, et Petri divinum in nomen ituri
Pontifices. Nostro Evodius praefectus ovili
Antiochiae, Urbis romanus episcopus ipse
(Sic placitum Superis) dicor, quem deinde secula
Pontificum series non defectura perennet [38].

Ergo datum molimur opus divinaque crescit
Gloria. Verborum nova lux adaperta penetrat
Pectora: discurrunt diae praenuntia vocis
Numinis adventum magni testantia: turbae
Deproperant dociles, nostroque docentis ab ore
Pendent attonitae, et sanctae praecepta salutis
Accipiunt. Miseris congesta mapalia culmis
Marmoreaeque domus, Christo praeeunte, patescunt.
Mox graviora petens augustam Caesaris aulam
Accedo, atque choro in magno praetoria circum [39]
Caesareos equites doceo caelestia; magna

Nuncia non aegri et vocem audivere loquentis,
Multaque de Christo agnoscunt et multa requirunt.
Omnia dum Romae caelo constare sereno
Adspicio, occiduum sanctis splendoribus orbem
Illustrare paro. Extremo ex Oriente profecti
Magnanimi Proceres (namquis sermonibus aequet
Ingentem numerum [40]?) submota invisere regna,
Atque novae gaudent caeleste effundere semen
Doctrinae, et terras pace exhilarare reperta.
Italia, Italia, o regni pars maxima nostri,
Nimbifero alpinae quam cingunt vertice cautes
Magnaque trigemino claudit Trinacria monte,
Te primum enati lustravi lumine solis.
Centum urbes magnas, positas regione beata
Pastorum ingenti vidi lustrare corona.
Tu prior Asprenas [41], quae primo in limine magnae
Considet Italiae, atque fuit prima hospita tellus,
Parthenopen luxu oppletam choreisque vacantem
Excutis, et syrenaeos das spernere cantus.
Clara dicarchaeo surgentia moenia portu
Baianosque sinus lustrat juvenilibus annis
Celsus [42], perfectae virtutis robora servans.
Et tu campanis passim florentia in arvis
Oppida tot populis praeclara et fortibus armis,
Prisce [43], colis: Capuae gens dura atque aspera cultu
Debellanda tibi, Vulturnique accola caelo
Lumina sustollat foedo depressa veterno.
Impositum saxis, Epaphra [44], candentibus Anxur
Ingrederis: duce te, foedatis Jupiter arvis
Anxurus, et tristi excedat Feronia luco.
Ut propius cernit romana patescere rura

Mascula progenies pomptina effusa palude
Romulei patris sanctas assuescat ad aras.
Nec vos, Aequicolae, montosa cacumina laetos
Venatu assiduo et denso circumdare ferro
Contemnit Marcus [45], romana natus in urbe
Marcus. Qua brevior graecas appulsus ad oras,
Quaque magistratus Romaeque exercitus omnis
Ultro citroque adveniunt statione quieta
Brundusii, erexit Christi venerabile signum
Lucius [46]. O quantum patriae virtutis in illo!
Parte alia superis Italûm regionibus errant
Delecti proceres, Romaeque oracla propagant.
Non ego, quae adriacas specularis desuper undas
Finibus Italiae extremis, Aquilëia, noctis
Tartareae aeterna liqui torpescere in umbra.
Nunciat eous Marcus lucem: inde secutus
Hermagoras [47] solis radiantem lampada praefert.
Hinc Ligurum fines subjectasque Alpibus urbes
Taurinûm ingentes, genus insuperabile bello,
Nazzarius Celsusque [48] pares tenuere coloni.
Quid Mediolani memorarim pinguia regna?
Barnabbas [49] Christo statuit venerabile templum,
Innumeras qua ducit oves ad pabula laeta.
Et quae Ticini sinuosa interluit unda,
Aequora camporum Syrus [50] exercebit, opimans
Triticeas messes et inexpugnabile gramen.
Et quae murali dominatur septa corona
Urbs monti subjecta suo, subterque fluentem
Pontibus impositis Athesin regina cöercet,
Veronam Euprepius [51] pascit, cui proxima certat
Urbs Patavî sacris Latium ornatura coronis,

Auspice Prosdocymo [52]. Ponto exporrecta Ravenna,
Romanae classis statio, fluctuque profundi
Pulsata adriaci, pastorem excepit amatum,
Qui sanctum falso sibi fecit Apolline [53] nomen.
Pollens ingeniis ludisque Hetruria pollens
Obscoenis, tandem meliores indue cultus.
Paulinum [54] Luca, ingentem Florentia jactat
Frontinum [55]. Saxo residet fundata vetusto
Fesula, quam latio descendens sanguine doctus
Romulus [56] illustrat: dextra laevaque jacentes
Urbes Roma regit, cunctasque amplectitur uno
Foedere doctrinae atque uno Pastoris amore.
O macti virtute nova, tria lumina Romae,
Romano Clemens, latio sate sanguine Clete,
Tuque, Line, ad Tiberim florens quem miserat Arnus,
Accipite, o meriti, justae praeconia laudis.
Vos estis comites opera ad caelestia, per vos
Fervet opus, magnoque potens adolescit honore
Relligio, passimque novas exuscitat aras.
Ac velut arenti cum sidere perfurit aestas
Pulverulenta diu, plenis si nubibus imber
Plurimus exhilarat morientia jugera, cultor
Semina laetatae praegestit credere terrae;
Ecce solo e pingui, et viridanti germinat herba
Expectata seges, placidi clementia caeli
Educat adridens, tepidaque Favonius aura;
Sic tellus nostris respondet romula votis.
Hic aliud majus cecidit, quo gloria Christi
Ingenti strepitu Judaeam effusa per omnem,
Internique maris ripas emensa propinquas
Lumine romanas inopino perculit aulas.

Mores accepisse novos Paulum, omnia tela
Voce palam contra ritus vibrare paternos
Et super externis praelatum effulgere castris,
Qui vindex fuerat quondam assertorque labanti
Concilio, Judaea animo indignata videbat.
Saepius extremas olli molita ruinas:
Sed rabidas rixas, et amaro perlita felle
Murmura caecasque insidias adapertaque bella
Vicit, Christe parens, duce te, qui rebus in arctis
Praesidium et custos aderas, ut gloria major
Majorem in belli segetem sequeretur euntem.
Aemathiae campum et grajis regionibus urbes
Egregias, et troiano collisa duello
Littora lustrârat spoliisque indutus opimis
Laetos complexus fratrum Solymamque petebat:
Conjuratores furtim erupere frementes,
Et medium amplexi: Saevas densate catervas,
O socii; via nulla: virum comprendere tempus,
Otia qui rumpit patriae, quem vidimus ipsi
Adversus legem et Moysen permulta canentem.
Nec mora, collatis totum ruit agmen in unum
Viribus, injiciuntque manus. Turbante tumultu
Continuo irrumpit legio romana, minaci
Terrificans vulgus gladio. Silet excita turba:
Sed celsi Paulus podii fastigia scandens,
Judaeae gentes, inquit, celebrate faventes
Quod venit numen speratum in saecula: venit,
Venit, io, dominus: laetae capite omina sortis.
Ut vero magis atque magis sonuere tumultu
Atria, romano violentior ira tribuno
Exarsit, bellique caput caussamque furoris,

Athletam Christi impavidum super aggere valli
Constituit, saevisque jubet laniare flagellis.
Circumdant omnes certantque illudere capto
Et loris religare manus. Sed morte propinqua
Non tamen ipse sui oblitus: Quo nectitis, inquit,
Vincula? Romanus civis sum: caedere virgis
Civem indemnatum fas nulli aut tradere morti.
Provoco caesareum ad solium [57]. Miranda videtur
Ductori primisque ducum fiducia tanta,
Et laxare jubent manicas et vincla levari.
At non caesareum potuit vitare tribunal.

Qua mare per magnum felix tanto hospite navis
Errat, virtutis vestigia nota relinquit.
Suspiciunt nautae caeli astrorumque peritum
Et tempestati dictantem jura furenti.
Quacumque egreditur, laeto clamore salutant
Fratres, et Sidon Meliteque et magna Dicarchus [58]
Obsequii pignus venienti solvere certant.
Inde salutatum tota procedere Roma
Lecti gestierant fratres, Tribus atque Tabernis [59]
Prima fuit mora. Quo procerum stipatur honore!
Vix saevos casus praenuncia fama Philippos
Attulit, Aemathiae sparsi tellure frequentes
Christiadae, cari sorte indoluere magistri,
Auxiliumque ferunt. Venit legatus Epaphras [60],
Ingens Aemathiae pastor delectus Epaphras,
Pignora certa ferens longum testantia amorem,
Ne quid deficeret patri, quorum indiget usus.
Venit ab Iconio indignum lenire dolorem
Gratus Onesiphorus [61]; duras non ille catenas
Erubuit capti, noctemque diemque revisit.

At vero Paulus vix magnam venit ad Urbem,
Hoc unum cupiens late protendere Christi
Nomen, Judaeûm proceres ad nota vocabat
Concilia aetherei pandens mysteria regni.
Quos simul oblatam vidit contemnere lucem;
At bene regalem Spirabilis Aura prophetam
Affatur, vestrosque jubet damnare parentes:
Auribus adstabunt nequicquam, oculisque videbunt [62],
At non obtusa poterunt comprehendere mente:
Ollis pectus hebet foeda pinguedine septum.
At divina salus vos aversata reposcet
Caecigenas gentes: has vestra in jura vocabo.
Dixit: vix falsa sub proditione prehensum
Novit, et insontem proclamat Curia captum,
Egreditur: fantem, collegia magna, Quiritum
Pontifices stupuere: stupet tota aula Senatus
Infremuitque Leo [63], trepidis sed inhorruit armis
Incassum. Virtus tota tarsensis in Urbe
Insonuit, magnaeque aderat novitatis amore
Annaeus Seneca [64], assuetus latebrosa reperta
Argolici ingenii, et naturae quaerere causas.
Non secus ac puro micat aethere fulgur, in auras
Continuo subita exardescere lumina cernunt
Attoniti, sed iners mortalia corda retardat
Segnities; trepidans majestas romula pallet
Ipsius aspectu orantis, jaculataque linguae
Fulmina perstrinxere inopina luce tuentes.
At quae divino crevit fiducia regno?
Qui nuper Christum agnôrant, mysteria rerum
Cernentes fantem audacter, posuere timorem,
Liberiusque Dei verbum didicere fateri.

Qui caecam invidiam propter graviora putabant
Damna inferre olli, Christi inclarescere nomen
Invitis videre oculis. Dum densa malorum
Circum turba stetit, vincto succurrere certant
Christigenae, oblatoque dies concrevit in omnes
Nutrimento amor et sacri concordia coetus.
It Christum Paulus populosa per oppida spargens,
Et nova complevit totam sapientia Romam.
At phlegetontaeis Erebi damnata cavernis
Pestis, Christiadum laetum consurgere regnum
Segniter atque suas poterat spectare ruinas?
Cum strepitu agglomerans graviora incendia surgit,
Surgit inexhausto Solyme implacata furore.
Nulla fuit regio, quo non pervaserat ingens
Progenies Judae. Jampridem septa praealtis
Montibus et circumpositas contingere gentes
Non audens, gelido Bethles vix vagiit antro
Editus Omnipotens Puer, ilicet omnis ab oris
Egreditur patriis, odiique oblita vetusti
Semina longinquum sese diffudit in orbem.
Quas non insedit judaea colonia terras?
Plurima per magnam Europen Lybiamque Asiamque
Tutam constituit sedem, commercia pacis
Exercens cumulansque auri argentique metalla.
Non tamen immemores sese confundere mixtis
Gentibus: antiquae tutantes munera sortis
Legiferi servant Moysis mandata, sacrosque
Conventus cogunt, Solymaque a principe pendent,
Qua majus templum genti caput extulit uni:
Et quae Concilio in magno veneranda Senatus
Curia dictaret, dociles praecepta facessunt.

Jamque adeo nobis nonus processerat annus,
Ex quo pacati imperii tractabat habenas
Claudius: ipse animo recolens benefacta sagacis
Agrippae, Hebraeos magno est amplexus amore.
Ut vero Hebraei (veteres neque mente dolores
Exciderant) Christi sanctum increbrescere semen
Aegris spectabant oculis, Solymae insuper ingens
Concilium missis exploratoribus audet
Extremum Christo, si fas, indicere bellum;
Quae tenus hac rabies Solymis exarserat unis,
Acrius exoriens toto bacchatur in orbe.
Christiadas contra truculenta assurgit ubique
Seditio: Hebraei cognata per agmina murmur
Spargunt et sese foeda exhortantur ad arma,
Terrificantque animos facta atque infecta canentes.
Claudius edicto tota procul ejicit Urbe
Hebraeos, quique Hebraeis confundimur ipsis,
Innocui quamvis, Roma migrare jubemur [65].
Quale iter incoeptum secura mente viator
Accelerat, secumque animo memor antemalorum
Laetatur, finemquae viae finemque laborum
Praecipiens, subito si inopina pericula motu
Mortis in extremos deturbavere dolores,
Turbatur cursu laetissima mentis imago;
Haud aliter mihi volventi laeta omnia tristis
Nuncius incubuit mutataque gaudia luctu.

Egredior Roma, paucis comitantibus: at non
Exul, et externas abeo peregrinus in oras.
Credidit omnipotens Nato regna omnia mundi:
Ipse mihi Natus vigili quaerenda labore
Credidit. Hesperii graviora negotia mundi

Tutatus praesens eoum vertor ad orbem,
Deserti partem consolaturus ovilis.
Nec credo hoc ipsum magno sine numine factum
Coelicolûm. Judaeam omnem Syriamque Asiamque
Traxerat in geminas ingens discordia partes [66].
Namque tenax veterum morum Judaea propago,
Aspectans gentes in Christi castra receptas,
Communes aras, consortia sacra vetabat,
Atque sibi soli credens allata salutis
Munera quaerebat solemnia prisca tueri,
Atque recisuros adhibere in corpore cultros,
Siqui Christiadum excuperent dare nomina septis:
Dixisse Isacidis Mosen legem omnibus unam.
Maxima res peragenda, viri: mecum ipse voluto
Legifer audivit quae Moses aethere quondam:
Ipse tibi [67] *mandata dabo, regnoque regendo*
Immotam legem, et ritus solemnis honorem.
Porro Naturae arcana, atque potentia jura
Quae Deus humanis animis primo indidit ortu,
Nulla potest delere dies. Solemnia ritus
Singula spectabant, perfecto tempore, Jesum
Venturum, adventuque Dei cessere latentes
Ambages rerum, priscae cessere figurae.
Haec ego: confestim Jesu monimenta recurrunt,
Si quando in sanctum nomen veniamus in unum,
Affore polliciti [68]: bissenos cogere fratres
Constitui, cunctis firmum immotumque tenendum,
Quidquid dictaret caelo Spirabilis Aura.
Tempus erat populis morem dictare recentem
Qui coeptus Solymis toto constaret in orbe.
O Chanaam, Chanaam, populo quae abrepta profano

Sacrificis suberas regnanda parentibus, (Ipse
Concessit Deus et certa statione locavit
Errantes ducens deserto errore viarum)
Auspicio tantorum operum dignata superbo
Exulta, et tantos laetae cape sortis honores.
Qua Salomon templum superas eduxit ad auras
Augustum, templum felix! nî perfida proles
Sponte sua enatae clausisset lumina luci;
En novus ingreditur Christi nova templa sacerdos,
Gloria quae major toto illustrabit in orbe.
  Convenere quibus caelo concessa potestas
Pascere Christigenas, varia regione vocati,
Agmen apostolicum: nobis socia agmina jungunt
Presbyteri: excepit Solymaea Ecclesia coetum,
Primum concilium Patrum, ingentemque Senatum.
At nos, quandoquidem magnis de rebus agendum,
In Christi unanimes collecti nomine primum
Suppliciter laeti sanctam celebramus ad aram
Patremque et Natum et te, Spiritus alme, novumque
Poscimus auxilium et dubiis oracula rebus.
Mox in Concilium missos subsellia in orbem
Accipiunt; vigili quaesitum indagine verum,
Atque ubi per varias ibat sententia voces,
Talibus exhortor nutantia pectora dictis:
Magnanimi Proceres, et vos quoscumque supernus
Spiritus electo voluit praeponere ovili
Custodes fidei; signum admirabile caeli
Commeminisse reor, quod magna Caesaris urbe
Monstravit Deus: ipse Deus rerum obtulit ingens
Principium, posuitque novi fundamina mundi.
Quid? si qui penitus corda interiora penetrat,

Consilii decreta sui testatur apertis
Prodigiis? doctos mysteria sancta, salubri
Lustratos unda dignatur Flaminis aura?
Hebraei Gentesque [69] ergo discrimine nullo
Distamus, simul ac caelesti luminis igne
Emicuit divina fides animasque novavit.
Quid veteres ergo sine re, sine nomine ritus
Commemorare juvat? sociis imponere pondus
Excupimus, quod nostri humeri jam ferre recusant,
Vix nostri tulerunt patres [70]? Sed gratia Christi
Sufficit: humanum Christus genus omne redemit,
Atque unum fecit populum, communibus aris
Participem terris, caelique ad regna vocatum.
Talia fatus eram: subsellia cuncta movebat
Veridicum monitum, et caelestia signa canentes
Gaudebant comites meritas persolvere laudes
Supremo auctori rerum. Tum laetus Iacob,
Jacob qui primus solymaei pastor ovilis,
Meque audite, inquit: neque ego non vera fatebor,
Quae docuit Petrus: divina voce vocavit
Gentes ipse Deus: populum sibi finxit, et olli
Nomen et imperium terras concessit in omnes.
Haec eadem quondam vates miranda canebat
Fatidicus: *Vestras* [71] *post ipse revertar ad oras,*
Atque tabernaclum Davidis, quod decidit, omne
Restituam. Spatia ampla domus, superante ruina,
Aedificabo volens, quam toto ex orbe requirent
Terrigenae dociles, qui nostrum nomen habebunt.
Quod Deus aeterno foedus concepit ab aevo,
Nunc opere explevit. Mea stat sententia, gentes
Si dociles dominum mutata mente reposcunt,

Si caveant se concubitu incestare profano,
Et simulacra Deûm fugiant, et sanguine foeda
Viscera taurorum, quae vis elisit iniqua,
Amoveant mensis, satis est. Nec plura locutus
Antistes Solymae; nutuque et murmure laeto
Assensere omnes. Toto plaudente senatu,
Perscriptum decretum ingens, Syriamque per omnem
Perque urbem Antiochi et cunctas dispergitur oras.
Ex illo genus humanum, qua utrumque recurrens
Adspicit oceanum Titan, communia jura
Accipit: Hebraeus Graecusque et Barbarus [72], ingens
Quos murus tenus hac toto secrevit in orbe,
Aequantur: qui animae donum immortale creavit,
Ipse Deus prima maculatam labe redemit,
Mutatum instaurans concordi foedere mundum:
Nomine Christiadum populus nec tempora noscens,
Nec metas rerum totum amplexabitur orbem.

Non ego vestra sequi valeam vestigia, sancti
Christiadum Proceres, qui sancti jussa sequentes
Concilii cunctas vexilla undantia ad auras
Panditis, et populis Christi bona nuncia fertis.
Quis vestros valeat cursus aequare? nec aestus
Solis flammivomi remorantur et horrida cano
Bruma gelu: laetis animis per tela, per ignes
Vaditis immemores vitae. Vos tanta fatigat
Cura novo in melius populos educere cultu!
Mira dei! Macedo [73] duplicis confinia mundi
Europam atque Asiam per mutua foedera junxit,
Constituitque urbes longis compendia terris.
Quae patuere diu saevi commercia belli,
Christus apostolicis facit ostia magna triumphis.

Quae silice et saxo statuit monumenta viarum
Roma potens, per quas subitam latura ruinam
Agmina cursarent, mutata sorte, remittent
Nuncia coelestis vitae. Qui splendor euntes [74],
Qui comitatur honos! quae magnae munera pacis
Exportant populis! Demissam attollite frontem,
Terrigenae, atque animo vestras praevertite sortes.
At mihi dulce fuat prolem enumerare meorum,
Eoas lustrare acies, gentesque ducesque
Lustrare hesperios, gemino qui crescit in orbe
Christiadum nascens communi foedere mundus,
Et nova Pontificis romana edicere regna.
Quamvis prima Deo Solyme certamina movit,
Nostrae prima dedit genti incunabula: quando
Sacra specus Bethlem, funestaque Golgotha honestant
(Altera principium, perituríque altera Christi
Testamentum ingens), magnam moderaberis urbem,
Jacob, atque urbi tantos memorabis honores.
Nec quae Stratonis mutavit nomina Turris [75]
Caesareos referens titulos et grandia facta,
Urbs populosa virum sacris desiderat aris
Praelatum. Quoniam volitantia lintea caelo
Hic primum visa, hic caeca caligine mersis
Janua caelestis patuit, castra horrida linquens
Cornelius lento exiluit convertere pilo
Pastorale pedum, reserataque pascua monstrat.
Per juga Carmeli äeria beneolentia cedro,
Eliae quae nomen adhuc strepitusque rotarum
Igniferos repetunt, loca sancta nepotibus olim,
Pascentes deducit oves qui nomina factis
Exaequat *Fidus*. Judaeae proxima Gaza

Horrida trigemini refugit spectacula Marnae [76].
Tuque etiam, Syria, innumeros mirata triumphos
Christiadum, salve. Meminit turrita Damascus
Quadrupede ex alto trifidi ceu fulminis ictu
Prolapsum Paulum ingentem, Christumque fatentem.
Pastor *Ananias*, cui maxima gloria caelo
Contigit augustas fidei praepandere portas
Magnanimo heroi, tota fundavit in ora
Cultus fundamenta novi: renovata Damascus
Mendaces Soli renuit persolvere honores
Et Venerem Alphacidem cultu incestare profano [77].
Cautibus äeriis fluctus speculata marinos
Stat regina Thyros, neque Sidon aemula cedít
Imperio maris aut mercatoribus orbe
Submoto appulsis. Fervent navalia classe
Innumera, rubro saturatur murice et auro
Purpura contexto peregrina aulaea domosque
Ornatura. Tamen vastas se immiscet in aedes
Insinuans pietas. Peragrata per oppida Paulus
Uni indulgentem lucro rebusque caducis
Edocuit gentem, caeloque adaperta vocavit
Lumina, sidereos melior quo meta per orbes
Non peritura sedet Deus unus maxima merces.
Praecelsas Berythi turres, Ptolemaida ponti
Spernentem furias et Biblon nobile *Quartus*
Instituit: totaque potens inclaruit ora
Paneade posita irrigui Jordanis ad undas.
Extat adhuc signum solido de marmore, Christe,
Quod tibi rorantes mulier perpessa cruores [78]
Imposuit, longos monumentum insigne per annos.
Illustres meritis omnes, virtutibus omnes

Antiochia urbes vincit, palmisque decoris
Ditior eois praefecit adorea regnis.
Hic primum doctrina, uno quae patre creatos
Terrigenas docet, et cunctas in vincula gentes
Dulcia conjungit, magnis pulcherrima factis
Emicuit sancti ostendens miracula amoris.
Dum fureret malesuada fames et tristis egestas,
Quam cecinit vates praesago carmine Agabus [79],
Aruerant herbae, victum seges aegra negabat;
In capita hic primum collata pecunia [80] fratrum;
Inde manus properans Syriam festina per omnem
Succurrit cunctis, nullo discrimine, egenis.
Aspera cuncta minans judaea per oppida vortex
Ingruerat: dubio fugientes tempore rerum
Christicolae errabant, neque erat vestisque cibique
Copia: maluerant sub aperto vivere caelo
Atque extrema pati, quam Christo fallere dextram.
Excipit antiochena volens Ecclesia, dumque
Insequitur gladio feritas armata minaci
In Christo genitos et sancta in signa receptos,
Adjuvat hospitio consolaturque dolentes.
O, salve mihi cumque meo firmata labore
O Domus, et nostris statio benefida colonis.
Quanta laetitia exultas occurrere Patri?
Quo studio orantem comitas sequerisque monentem?
Qua tamen humanum maiori efferbuit aestu
Ingenium, et veris certatim falsa remiscens
Graecia deflexit variarum ambage viarum,
Cura fuit major lucem monstrare coortam.
Praecipue duo nequitiae incunabula campos
Helladis, et clarae campos tentamus Achaïae.

En magnam ingreditur mentitae Pallados urbem
Tarsensis, lustransque virûm subsellia, mille
Inter divorum effigies, altaria cernit
Sacra *Deo ignoto.* Micuerunt lumina flammis
Magnanimo heroi: caelesti saucius igne
Constitit in medio, dextraque silentia poscens:
Salvete, o Proceres, inquit, lectissima Grajûm
Pectora. Per terras quis vestram nesciat urbem?
Sed si fama canit vestrae decora inclyta gentis,
Ipsa superstitio doctis it maior Athenis [81].
Namque diu peragrans thermas, fora, compita, centum
Conspicio effigies, et ahenea signa Deorum.
Ast me per vestram deerrantem protinus aulam
Non tam majestas magni veneranda senatus
Perculit: in primis visa hic me perculit ara,
Ignoto ara Deo [82], votis quae maxima vestris.
Eja agite huc paulum attentas convertite mentes,
Quodque ignorantes colitis, cognoscite Numen.
Qui mundum effecit Deus et quaecumque per orbem
Cernitis, Omnipotens templis non indiget: ille
Spiritus arcano complectitur omnia flatu.
Gentibus humanis, quot quot plaga lucida caeli
Irradiat, variae sortitis munera vitae
Omnibus una eademque fuit communis origo.
Ipse potens hominem viridanti condidit horto
Terrigenam: ipse dedit vario succrescere foetu,
Diversisque locis varias consurgere gentes,
Tempora constituens, terraeque habitabilis oras.
Quid procul externos certatis quaerere divos?
Stat prope cuique Deus noster, latet intus, in uno
Vivimus atque sumus, cunctique movemur in ipso.

Inde homini genus est: vestra de gente pöeta [83]
Sic olim. Lapide aut auro argentique metallo,
Terrenisque Deum fas est componere formis?
Degeneres curae, vacuae deliria mentis
Vim fecere Deo: per turpia cuncta ruentem
Evocat ipse hominem vitae melioris amore.
Ah! vos paeniteat maculis scelerasse pudendis
Sidereas animas: terraeque affigere sanctam
Aurae particulam divinae, et semina caelo
Indita poeniteat turpi deperdere limo.
Talia Tarsensis: mirum, si fulmine vocis
Flexanimae steterunt stupefacta sedilia Patrum?
Nonne *Dionysium* sacro descendere monte
Mutatum adspicitis? Paulum caelestia fantem
Audivit, sequiturque pius: nunc inclytus aris
Praesidet Antistes doctas moderatus Athenas [84].

Et quae consurgit bimari vallata Corinthus
Aequore, clara opibus quondam, sed clade cruenta
Clarior, et foedo vitiorum perdita coeno,
Exiluit puros pietatis noscere fontes;
Dum Cotys, impurus daemon, tremefactus ad urbem
Adventare videt Sanctos, doluitque tuendo
Damnosae veneris fano migrare puellas,
Velatisque comis Christi se dicere sponsas.
Cresce corinthiacis, Ecclesia, moenibus [85]: aude,
Et animus fortis, lato juvenescere campo.
Nota domus *Titi* quantos pietatis odores
Expirat! Princeps judaea *Crispus* in aula
Sacrificis vatum labiis praedicta tuetur,
Et Christum sequitur, neque *Sosthenis* igneus ardor
Cedit verberibus. Quis nomina vestra silebit,

O *Fortunate* et *Caï?* nec *Achaïce*, flamma
Te minor accendit; vitali spargitur amne
Tota domus *Stephanae*; tecta interiora recludit
Alma *Chlöe* Christo, magnosque indicit honores.
Tu quoque, Creta [86] potens, atque urbibus inclyta centum
Insula, delectos spectas adolescere coetus.
Heu nimium miseram tenuerunt somnia gentem!
Titus adest Pastor, *Titus* Tarsense magistro
Missus presbyteros totam sacrare per oram.
Cretaeus mendax [87] vulgo segnisque vocatus
Ingluvieque vorax, mutata mente, recentes
Exequitur leges, moremque inducit honestum.
Artemas testis, qui insueta luce coruscat
Virtutis: testis *Zenas* consultus in omni
Doctrina juris, Christi pius assecla factus.
Ecce autem auricomi solis sub lumina Paulus,
Dum dubius sopor irriguos complectitur artus,
Extemplo insolitam vidit splendescere rerum
Effigiem. Macedo contra stetit [88], ultro precatus:
Quid non Acmathiam venias, nostrosque labores
Juveris? eja Deum miserae da noscere genti.
Paullum deseruit somnus, rectaque nivalis
Tendit in Aemoniae campos [89], quo magna vocabant
Omina divinum Christi diffundere semen.
Quid vero illa furens rabido fremit ore puella?
Pithius exagitat furor illam: compita lustrat
Vaticinans, pretioque aevi responsa futuri
Venundat populo. Casu concussus acerbo
Tarsensis manet; illa viros stupefacta tuetur
Concursu in magno, et nutu obsequiosa salutat.
Tum miseret Paulum, jussitque abscedere membris

Tartaream pestem. Servata Virgine, custos
Infremuit dominus. Subito turbante tumultu,
Pacis latores lapidosa grandine tundunt,
Discerptosque flagris tenebroso in carcere claudunt.
Sed divina viros servat custodia: magnae
Contremuere specus, portisque patentibus ingens
Captivûm numerus superas evadit ad auras.
Christiadum manet una cohors. Tremefactus abibat
Janitor ante pedes Pauli, Christumque professus
Ipse domusque sua irriguo lustrantur in amne.
Proh mirum! expulsos turbata protinus urbe
Sanctos pauperior textrix et carceris atri
Custos suscipiunt atque auxiliantur egenis [90].
At Silam Paulumque rapit divinior aura.
Amphipolim introëunt, cultoque ab Apolline dicta
Oppida, thermaïcique sinus submota recessu
Moenia contendunt, qua quondam natus Amynta
Thessalicas magna perfregit clade cohortes.
O *Jason*, Jason, extento notus in aevo
Vives, qui sanctos tecto interiore recondis.
Orantes magnus numerus matrumque virumque
Audierunt: terrarum inter stygiosque furores
Aemoniis surgit victrix Ecclesia campis,
Thessalonicenses aequans virtute Philippis [91].
Illis dux *Epaphras,* istis bona pabula praebet
Pastor *Aristarchus:* movet igneus ardor utrosque.
At rigidi silices praeduraque robora cedunt
Ultro tibi, pietas: tu saxea pectore corda
Abripis, inque vicem tenera mage mollia carne
Sufficis alloquio. Quamvis silvestria corda
Thracia progeneret, torvoque horrentia Marti

Sanguinis humani gaudet spectacula ferre,
Complexa est nostros ritus: Heraclaea [92] potentem
Nectarei rore eloquii suscepit *Apellem*:
Jesum Haemus repetit, repetit Rhodope ardua Jesum.
Quanta Lycaoniam narrantur signa per oram,
Gentesque excutiunt omnes? Conterrita Derbe,
Et Lystre ingressos sanctos mirantur, et ipsos
Caelicolas vultu humano apparere, Jovemque
Mercuriumque ratae humanis errare figuris
Ingentem properant ollis mactare juvencum.
Et facerent: sed culta vetat facundia Pauli,
Debita sacra Deo monstrans, qui condidit unus
Et caelum et terram. Veri facundia praesens
Raptat *Timotheum* juvenem, partoque triumpho
Ingens bellator stetit auxiliaribus armis
Sub Christi vexilla, ducis vestigia sectans.
At tu jam felix in caeli templa recepta,
Grandaeva o *Lodoys*, tuque o sanctissima mater
Eunice [93], caro quondam advigilare puello
Gavisae, mentemque fide formare tenellam,
Quae modo caelesti capitis nova gaudia mente,
Cum pastorali praecinctum tempora vitta
Cernitis, atque Ephesi positis operarier aris?
Non ego te asiacas celebris Regina per urbes
Transierim, o Ephese: ipsa forum venale propinquis
Una pates populis, totaque inclaruit orbe
Foeda superstitio. Sed quaestus divitis artis
Deficiet sensim, et turpis simulacra Dianae
Conflata argento atque auro dispersa feruntur,
Adventante Deo, rapidis ludibria ventis.
At non his titulis regio illaudata manebis

Quam Solyma excedens sedem delegit amicam
Judaeas inter Virgo sanctissima matres [94],
Quae superûm ab puro concepit Flamine Regem.
Vix vulgum innumerum sacra renovavimus unda,
Impositaeque manus, supero vis ignea caelo
Advenit, arcano velut icti numine solvunt
Insuetis laeta ora sonis, panduntque futura.
At tibi duritiem antiquam, Judaea propago,
Nil mollire valet: Christum tu rejicis: ipse
Hospitium modicum, benefidi tecta *Tyranni* [95]
Ingreditur, docilemque docet mysteria plebem.
Et pugnabis adhuc? Dictu mirabile! febres
Diffugiunt jussae, possessaque membra relinquit
Ira stygis violens in Jesu nomine. Jesum
Septeni *Scaevae* [96] nati per compita nostrum
Auxilium appellant, dirasque in Tartara trudunt.
Non ego te Ponto mihi nata Ecclesia linquo.
Ipse pererratas utroque in littore gentes
Inviso gaudens; quoquo vestigia firmo,
Assurgit lectus sacras Antistes ad aras.
Salvete, o Galatae [97]: occiduis exercitus oris
Gallorum impavido quondam ductore remotae
Per campos Asiae Phrygia insedistis aperta
Immixti Hebraeis: at nunc ingentia claustra
Quae geminam tenuere diu in contraria gentem,
Procubuere. Quid o ritus jactatis avitos?
Percussum foedus bipatentis vertice Sinae
Servitio genuit, nunc, Christi pace sequestra,
Altera Jerusalem [98], caelestis, libera natos
Parturit innumeros, et libera jura recludit.
Unica justitia est cunctis, legem edidit unam,

Quae cunctos mundi populos moderatur, amorem.
Tuque mihi semper salve beneculta Colosse 99,
Cui pastor sapiens *Epaphroditus* opima
Pascua suppeditat: vosque olli, *Archippe* minister,
Nymphaque non humilis mulier lenire labores
Quaeritis, atque domo rebusque juvatis egenum.
Claudia tempestas latia subsederat Urbe.
Ast ego tot terras laetus lustrasse beatas
Romam expectantem redeo, caeloque favente,
Christiadum reperi numerum affluxisse novorum,
Innumerasque horto in magno reviréscere plantas,
Quas, Petro absente, irriguis divinitus undis
Nutrierat Deus ipse, aura eductasque salubri,
Maturo dederat passim ditescere fructu.
Quae, Line, quaeve tibi, Clete et tibi, candide Clemens,
Par tantis meritis referetur gratia? magna
Italia natos neque enim migrare coëgit
Seditio Roma, meque excedente secuti
Pascere romanum per pinguia pabula ovile.
Dum nos per cunctas opus admirabile terras
Ordimur, dispersa sacri vos ordia regni
Prima per Italiam, et tenui pendentia filo
Munistis, lectosque duces a principe Roma
Et Romam certo junxistis foedere primo
Pontifici coam peragranti sideris oram.
Vobis certa Deus persolvet praemia caelo;
Nec tamen immemori romana Ecclesia corde
Posthabitos spernet; quaecumque haec nostra verendi
Majestas solii, seu formidabile pondus,
Angelici quod porro humeri perferre recusent,
(Neu fugite officium) vos grata Ecclesia Romae

Rerum usu doctos ad munera magna vocabit [100].
Ut Romam veni, ut laetis procedere cuncta
Auspiciis reperi, caelo monet ipse Redemptor
Accelerare gradum: sanctis splendoribus orno,
Ut coepi, Europen, et Christi regna propago.
Gallia jampridem luce exhilarata nitenti.
Laude pudicitiae caelo capita alta ferentes,
Magdala [101], quaeque pari in Christum flagrârat amore
Marta soror (*Marcella* suas ancilla secuta
Est dominas), simul ac Solymis truculenta coorta est
Seditio, lethoque truci videre peremptos
Discipulos, leve navigium quod forte paratum,
Conscendunt, alio quaerentes orbe salutem.
Lazarus e tumulo revocatus voce magistri
It comes, externas obtestaturus in oras
Ingens prodigium. Fertur sine remige navis
Vim pelagi superansque minas: delectaque pubes,
Massiliae, ductante Deo, tetigere beata
Littora, et optata laeti exponuntur in ora.
At nunc abstrusas, gentes, praepandite portas.
Quos mittit mea Roma viros, optata reportant
Nuncia solamenque malis, juga barbara collo
Dejicient, laetamque docent traducere vitam.
Ceu, sole exorto, longe lateque micantes
Erumpunt radii, romana e sede profecta
Illustris legio per cunctas diditur oras.
Bellacem sobolem [102] meliora ad fata vocatam
Ingreditur ductor *Martis* cognomine dictus
Burdigalin, Lemovicen, doctamque Tolosam
Sacris erudiens: portus Arelatis amicos
Succedit *Trophimus:* natae hinc ad praelia gentes

Cenomanes *Julum* accipient Senonesque *Sabinum*,
Ursinum Biturix: Rhaemi custodia *Sixti*.
Et te quam medio, seclusa Britannia [103], ponto
Omniparens natura foris veniente fragore
Fixit inaccessam, magnorum dignus avorum
Arimathaeus felici allabitur auso,
Qui Christum exanimum summo dignatus honore
Composuit: Crucis attollit venerabile signum,
Londinique arces validas, notamque Quirino
Camalodunum docuit praecepta salutis.
Nec te, quae umbrosis gaudes, Germania [104], silvis
Ignotasque ferens stirpes, ignota locorum
Nomina Romanis, ita libertatis avita
Pignora tutaris, nullo superabilis astu,
Praetereo. Arduenno, Tungri, procedite saltu,
Tuque Agrippinae celebrata Colonia, vosque
Bellaces Treveri, vix legi assueta latinae
Oppida, *Materni* et *Valeri* sanctissima jussa
Perficite: ipsa etiam praeclara Moguntia, gaude
Sorte tua: *Memmi, Catalaunique* piique
Crescentis sub terna voca vexilla colonos,
Quos Rhenus fluitans sinuoso vortice lambit.
Nec te praetereo, pugnax Hispania [105]: celsae
Pyrenes gelidas gaudent transcendere cautes
Septeni proceres: praeclarum nomen avorum
Auget *Torquatus; Ctesiphon* contemnit Achaeae,
Caecilius Sophiae spernit figmenta latinae,
Hesychiusque potens lingua, *Euphratiusque, Secundusque*
Atque *Indelicius*. Quae nomina, quantaque virtus!
Salve, sancta acies, quae nullo milite, nullis
Auxiliis rerum, nullis spectabilis armis

Egrederis Roma, insuetas committere pugnas.
Vincere vos animos, non corpora quaeritis, et quos
Martia Roma armis nequiit componere, Roma
Christiadum innumeris gestit superare triumphis,
Qui nullas victis lacrymas, suspiria forsan
Victori permulta ferent, et funerá amara.
Tum vero Marcum [106] his compello vocibus ultro.
Marce, comes mihi jamdudum fidissime, Romae
Omnia felici video procedere cursu.
Munia te graviora manent: interpres in urbe
Sufficiet Glaucas; alius te flagitat orbis.
Quanta Aegyptiacis horrens nox incubat oris?
Stat septingemini foecunda sub ostia Nili
Dives Alexandria, potens, Carthaginis altae
Postquam arces cecidere solo, magnae aemula Romae:
Quas alit Aegyptus, quas Africa terra potentes
Urbes exuperat, statio benefida carinis,
Qua mercatores Asiae Europaeque recurrunt
Spe lucri certa venalem exponere gazam.
Gentibus e variis ter magna Ecclesia surgat,
Quae post romanam primo succedat honori [107].
I felix, quo te caelo Deus evocat alto.
O Christi genus, o sancto fundata cruore
Agmina, quae totum passim dispersa per orbem
Omnia dius amor jungit, spes omnibus una,
Una fides, Christi sanctum concrescite ovile.
At sperare licet: terrarum maximus orbis [108],
Haerebit Romae junctus compagibus arctis.
Antiochia parens Asiae imperat, Africa tellus
Paret Alexandriae, urbes supereminet ambas
Magna gubernatrix rerum, pulcherrima Roma.

Tres dius magnas selegit Spiritus urbes,
Quas rerum caput et sancti primordia regni
Esse dedit: triplici prognatae e fonte loquaces
Dissiliunt lymphae: morientia sidere rura
Aestifero irriguus solatur roscidus humor,
Prataque jucundo rident depicta virore.
Quatuor interea undanti flammantia luce
Candelabra [109] nitent, totumque allata per orbem
Nigrantes phlegethontaeae caliginis umbras
Propellunt. Jesus *coepit facere, atque docere,*
Factaque doctrinamque Dei vulgare remotis
Incumbunt populis divino numine ducti
Quatuor heroes. Galilaea e gente coactor
Matthaeus linquens turpe exitiale tribunal
Explicuit doctum hebraeo sermone volumen,
Concessas olli pergens invisere gentes.
At mecum Marcus submoto oriente profectus,
Ut primum Romae patresque equitesque tuetur
Quaerere doctrinam, flammis caelestibus actus,
Plurima quae audierat nostro narrantis ab ore,
Viventis Christi immortalia facta salegit
Doctiloquis latia lingua committere chartis,
Atque Deum atque hominem stupefactae ostendere Romae.
Te quoque, fide comes Pauli dulcissime rerum
Luca, qui longa ingenium assuetudine doctum
Sacris vovisti studiis, quae dia voluptas
Mendacis Sophiae nebulis ad maxima vera
Christiadum elicuit? totam turbabat Achaiam
Boeotasque urbes fuco medicata docentum
Calliditas: sacris ne qua fallacia factis
Reperet, ad Grajos graio sermone locutus

Luce locas verum, fabellas pellis aniles.
Te major terris rapuit divinior Aura,
Candide Joannes: dio requiescere corde
Sortitus quondam, divino e pectore rores
Potans largifluos, caelique abstrusa recludens
Principio omnipotens et inenarrabile Verbum
Explanas, verbumque Deum: qui cuncta per ipsum
Fecit, nec quiddam non ipso auctore creatum.
Talia per cunctas divina volumina terras
Lucida inextinctae jaculantur tela diei.

At si me Romae immotum remoratur ovile
Succrescens, humeris totus superincubat orbis.
Europamque Asiamque oculis vigilantibus erro
Hortaturus oves omnes oviumque magistros.
Quam multi Jesum judaea per oppida nôrant,
Seu cum immortali divinae frontis honore
Alliceret, dioque animos sermone teneret,
Sive resurgentem reserati e mole sepulchri
Mirati, et domito extollentem Acheronte trophaea;
Quam multi Isacidae signum Spirabilis aurae
Obstupuere; Viros dextra Deus omnipotenti
Bissenos arcana loqui et caelestibus egit
Prodigiis naturam ipsam parére loquelis
Altisonis, cursuque suas suspendere leges;
Quam multi innocuae stipendia prima merentes
Militiae, Christi noti virtutibus omnes,
Hostili superante odio, migrare coacti
Per Ponti ripam et latam Bithinida, perque
Cappadocum Galatumque Asiaeque uberrima regna;
Dispersos sequor, et patrio complector amore:
Longinquae quamvis exul Babylonis [110] in ora,

Alloquor in Christo et sanctae dono oscula pacis.
At tibi quae virtus et inexuperabilis ardor,
O verbi manifesta fides? te nulla potestas
Occulere evaleat, simul ac terrena revisis
Concilia, et primae ostendis mysteria lucis
Caecigenis populis. Ut, sole oriente, tenebrae
Effugiunt, lumenque novum de lumine manat;
Matutina prius montana cacumina lampas
Irradiat; mox auricomo fulgore coruscant
Aequora camporum et nemora in convallibus imis;
Non aliter tibi contingit, mirabile Verbum.
Te verique tua sparsas de lampade flammas
Ut semel accepere animi, docilesque tenebunt,
Inque vices aliis fraterno munere reddent
Sponte sua, Tuque abrumpens obstantia cuncta
Omnigenum peragras radiis caelestibus orbem.
Scilicet humanis animis natura creatrix
Indidit arcanas rerum perquirere causas,
Tuque viam monstras: duce te, mortalibus aegris,
Ne labyrinthaei rapiant vaga devia flexus,
Aërias superare plagas, et linquere nubes
Sub pedibus datur atque ipsum prope cernere solem.
Nonne putem veri ad normam divinitus actas
Formatasque hominum mentes [111]? cognata ministrat
Lumina Relligio Christi, offusamque resolvens
Caecis noctem oculis veteres integrat honores,
Natura stimulante ipsa, caeloque juvante.
Agmen apostolicum per totum vadimus orbem.
Non [112] gravidae telis humero sonuere pharetrae,
Non lateri incedunt densis horrentia pilis
Agmina, non acies ferri mucrone corusca,

Copia non auri quocumque potentior ictu
Fulmineo, magicae non incantamina linguae.
Exuti saecli pompis illustribus una
Induimur virtute Dei: rerum omnium egenis
Omnia suppeditat caelestis gratia, cunctis
Pectora thesauris integra opulentior ornans,
Et terrae statuit dominos caelique potentes.
Sic duodena cohors terrae deserta maligno
Horrida dumeto ingredimur; malefirma vigori
Reddimus integro, per stagna jacentia puros
Excutimus rivos, foedos opplemus hiatus,
Agricolae fortes terram molimur inertem
Et jacimus semen: segetem juvat aethere Christus,
Frugiferamque parat caelestia in horrea messem.

O Roma, o Petri Roma, o pulcherrima rerum,
Eja, triumphatum secura incede per orbem.
Hem qualis quantusque decor! quae gratia in ore!
Qui gravis incessus! roseo quae lumine flamma!
Quanta sedens capiti fluitat per candida colla
Caesaries! qualis vestis circumdatur artus,
Ostro auroque rigens, variisque notata figuris!
Hinc atque hinc lateri sacro glomerantur in orbem
Obsequiosa cohors, pendentque loquentis ab ore.
Eloquere, o Regina potens: tua jussa minores
Accipiunt populi, memorique in pectoro condunt.
An quidquam simile in terris? tu maxima nempe
Filia, quot rerum genitor primo impete amoris
Condidit insueto donans splendescere risu,
Nata omnes populos patria ditione tenere,
Auricomam veri sustentans lampada solis,
Nata sacris lustrare omnem splendoribus orbem.

Hoc tibi munus erit. Quondam insuperabilis ausu
Impavidos fremere arma duces, fremere arma phalanges
Adspexti; hostili rorantes sanguine turmas
Belligerasque aquilas procurrere subditus orbis
Vidit et obstupuit, gelida formidine tactus:
At vetere e Roma formosior altera surgis,
Quae cunctas gentes in dulcia vincula amoris
Compones, legesque dabis: qua sede sedebit
Sincerae interpres fidei morumque magister,
Eloquium dictante Deo; qua fonte perenni
Prosiliet pura rivus placidissimus unda;
Qua cupidae venient gentes haurire salutis
Vivificos latices aeternaque gaudia caeli.
Hic finis fandi: venientis imagine saecli
Obstupefacta manet pubes: miracula rerum,
Romanum assiduis peragratum cursibus orbem,
Mutatumque senes cernunt, caeloque morantur
Attoniti, unde fluit decus omne novaeque resurgens
Auspicium Romae atque aevi spes certa futuri.

NOTÆ

[1] *Lucina potens.* — In Martyr. Romano die 30 Julii sanctissima haec mulier sic celebratur: Haec in facultatibus suis sanctorum necessitatibus comunicans, Christianos in carcere detentos visitabat, et martyrum sepulturae inserviebat; juxta quos et ipsa in crypta a se constructa sepulta est.

[2] *Qui flentibus adsunt.* — Matth. XIX, 21. Si vis perfectus esse, vade, vende quae habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in caelo. Et 29. Omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, et vitam aeternam possidebit.

[3] *Bonum semen.* — De grano sinapis Christi parabola, quam Matth. XIII, 31. Simile est regnum caelorum grano sinapis . . . Quod minimum quidem est omnibus seminibus; cum autem creverit, majus est omnibus oleribus, et fit arbor, ita ut volucres caeli veniant, et habitent in ramis ejus.

[4] *Agrippam.* — Circumcisionis tempore solebant Judaei indere nomen. Observant tamen eruditi, etiam incoepto Romanorum imperio, neminem Judaeorum hebraeum nomen cum nomine romano jungere consuevisse. Hujusmodi exemplum primum dedit Herodis filius Aristobulus, qui filium avi nomine dixit Herodem, et nomine romano Agrippam.

[5] *Foedere.* — Josephus Antiq. lib. XIX, 4. paucis complectitur omnia: Claudius edictum proposuit, quo Agrippam in regno per Cajum ante concesso confirmabat, collaudans simul ejus operam et industriam, addita insuper Judaea, et Samaria, quod olim ad ejus avi Herodis regnum pertinuissent: has igitur veluti familiae debitas restituit; Abilam autem, et finitimam ejus ditionem in Libano, quae Lysaniae fuerat, adjunxit de suo. Foedus deinde regis cum Romano populo in aes incisum est, in Urbis foro medio.

[6] *Catenam.* — Josephus ib. 5. Quamprimum venit Hierosolymam, votiva sacrificia persolvit, nihil omittens eorum, quae lege praescripta sunt . . . Et catenam auream a Cajo donatam, pondere parem illi ferreae, quae regias manus vinxerat, monumentum adversae fortunae mutatae in prosperam suspendit in sacrario super gazophylacium, quae doceret spectatores et sublimia posse corruere, et Deum valere omnia erigere denuo.

[7] *Laudibus aucturum.* — Quod Agrippa Rex judaicae legis erat observantissimus, perfacile fuit Judaeis Christianae fidei hostibus ipsum adversus Ecclesiam concitare. Luculentissime id patet ex Act. XII, 3. Videns autem Herodes (sic appellat Lucas Agrippam nomine avi) quod placeret Judaeis, apposuit, ut apprehenderet et Petrum.

[8] *Insequitur proceres.* — Luc. Act. XII. Eodem tempore misit Herodes rex manus, ut affligeret quosdam de Ecclesia: occidit autem fratrem Joannis gladio. Revera omnes Christiani expulsi fugerunt Hierosolymis, Apostoli manserunt, quorum causa tot turbae a Judaeis fuerant concitatae. Nonnulli studio

atque operae Gamalielis tribuunt, alii timori Judaeorum; Apollonius antiquus Theologus se accepisse testatur Salvatorem Apostolis mandasse, ne ad duodecim usque annos Hierosolymis discederent. Lucas aperte praedicat: Omnes dispersi sunt per regiones Judaeae et Samariae praeter Apostolos.

[9] *Tunc gemini a tonitru.* — Marc. III, 17. Et Jacobum Zebedaei, et Joannem fratrem Jacobi, et imposuit eis nomina Boanerges, quod est Filii tonitrui.

[10] *Ostentaret Iberis.* — Constans apud veteres est hujusmodi opinio, hodieque gloriantur Hispani ab Apostolo Jacobo Evangelium accepisse. Baronius in suo martyr. ad diem 25 Julii, qui Jacobo sacer est, varia rationum momenta expendit, et de eo in utramque partem disputat. Graeci Hispaniam ab initio vocaverunt *Iberiam* a flumine ejus celebratissimo *Ibero*.

[11] *Delator.* — Id Eusebius refert, hist. lib. II, 8. Nimirum eum ipsum qui Jacobum in judicium adduxisset, cum testimonium Christo illum tam libere perhibentem cerneret, ea re commotum, se esse Christianum ingenue confessum esse. Igitur ambobus una ad supplicium ductis, hunc inter eundum a Jacobo postulasse veniam sibi concedi. Jacobum autem paululum rem animo complexum dixisse: Pax tibi: illumque osculatum esse; et sic tandem utrumque securi percussum vitam deseruisse.

[12] *Altaria donis.* — Compostellae ferunt, hodieque creditur Jacobum sepultum esse. Templum fuit celebratissimam peregrinationibus per aliquot saecula factis, quaeque hodiedum fiunt. Quamvis vero haec omnia pro fabulis nonnulli habeant, liceat mihi vatum optimorum vestigiis insistere, qui a poetica facultate non dissentire arbitrati sunt, pulcherrimas vetustatis memorias, licet infirma auctoritate innitерentur, in suis carminibus inserere. Gallaeci populi sunt Gallaeciae hodie *Gallicia* in Hispania Tarraconensi extrema; *Compostella*, Gallaeciae caput, et *S. Jago* ab ipsis D. Jacobi ossibus dicitur.

[13] *Fundamenta forent.* — Sic Aug. de sanct. Ser. XXIX, de Petro: Dignius certe, qui aedificandis in domo Dei populis lapis esset ad fundamentum, columna ad sustentaculum, clavis ad regnum.

[14] *Festum urbi solemne.* — In Exodo, et in libro Numeri habemus Azymorum et Paschatis institutionem duplici ex beneficio a Deo accepto: primum quia Angelus Domini transiliens domos filiorum Israel, Aegypti primogenita interfecit; secundum, quod populus Israel ex Aegypto liber egreditur. Ex. XXIII. *Septem diebus Azyma comedetis*: Et Deut. XVI, Immolabisque Phase Domino Deo tuo de ovibus, et de bobus: ubi *phase* idem est ac *Pascha*. Expletis vero diebus Azymorum, erat Pascha, de quo Ex. XII. Dies prima erit sancta atque solemnis; et dies septima eadem festivitate venerabilis.

[15] *Et quoniam ferro.* — Religionem ceteris Judaeis majorem praesetulit Agrippa, qui ob dies festos Azymorum a nece Petri abstinendum puta-

vit. Atqui illi Christum Jesum ipso Paschatis die in crucem agendum curarunt.

[16] *Subito turbata dolore*. — Act. XII, 6. Petrus quidem servabatur in carcere. Oratio autem fiebat sine intermissione ab Ecclesia ad Deum pro eo.

[17] *Tu Deus omnipotens*. — Psalmus IX, *Confitebor:* eligimus illum prae ceteris, quod in eo David gratias agit Deo pro relata ab ipso, et a toto Israele victoria, Christique et Ecclesiae triumphos vaticinatur. Laetabor et exultabo in te: psallam nomini tuo, Altissime. In convertendo inimicum meum retrorsum: infirmabuntur et peribunt a facie tua. Quoniam fecisti judicium meum, et causam meam: sedisti super thronum qui judicas justitiam. Increpasti gentes et periit impius: nomen eorum delesti in aeternum et in saeculum saeculi. Inimici defecerunt frameae in finem: et civitatem eorum destruxisti. Periit memoria eorum cum sonitu, et Dominus in aeternum permanet.

[18] *Surge*. — Ps. IX, 19. Quoniam non in finem oblivio erit pauperis: patientia pauperum non peribit in finem. Exurge, Domine; non confortetur homo: judicentur Gentes in conspectu tuo. Constitue, Domine, legislatorem super eos: ut sciant Gentes, quoniam homines sunt.

[19] *Carceris umbram*. — Tempore Agrippae regis, Hierosolyma duplici muro circumdabatur. Cum Petrus ab Angelo liberatus per portam ferream ingressus fuerit civitatem, dicendum est carcerem hunc Herodianum inter primum et secundum murum extitisse, eo magis, quod Josephus testatur de bell. Jud. VI, 6. in secundo muro munitissimas turres fuisse aedificatas, in quarum aliqua Petrus conjectus a militibus erat custoditus. Petri vincula veluti nobilissima gloriosae victoriae trophaea, omnium Sanctorum Patrum celebrata praeconiis, perpetua memoria fuerunt consecrata. Hinc Romana Ecclesia *S. Petri in vinculis*.

[20] *Confestim nova lux*. — Act. XII, 7. Ecce Angelus Domini astitit, et lumen refulsit in habitaculo, percussoque latere Petri, excitavit eum dicens: Surge velociter.

[21] *Dilectae Mariae*. — Eadem domus est, quam saepe memoravimus, quaeque in Ecclesiam conversa prima sedes episcopalis fuit Jacobo tradita. Act. XIII, 12. Venit ad domum Mariae matris ubi erant multi congregati et orantes.

[22] *Rex fremit indignans*. — De Herode eluso sic Act. XII, 18. Facta autem die, erat non parva turbatio inter milites, quidnam factum esset de Petro. Herodes autem cum requisisset eum, et non invenisset, inquisitione facta de custodibus jussit eos duci. Post Pauli fugam, Agrippa animadvertit in custodes, cumque dicat Lucas, *quod erat iratus Tyriis et Sidoniis*, credendum est Petrum liberum ea Syriae loca peragrasse usque ad Antiochiam; qua de causa Caesaream se contulit Agrippa, et in Tyrios et Sidonios tranfugae custodes ira excanduit. Mortem Agrippae, quam hic nos collocavimus, anno

quarto Claudii reliqui ponunt scriptores. Sed nos secuti sumus Lucam, qui post necem Jacobi et carcerem Petri ejus miserandum finem recensuit in ultionem admissorum facinorum.

[23] *Audiat hoc caelum.* — Isaias, I, 2. Audite, caeli, et auribus percipe, terra, quoniam Dominus locutus est. Filios enutrivi, et exaltavi; ipsi autem spreverunt me. Cognovit bos possessorem suum, et asinus praesepe Domini sui: Israel autem me non cognovit, et populus meus non intellexit . . . Terra vestra deserta, civitates vestrae succensae igni, regionem vestram coram vobis alieni devorant, et desolabitur, sicut in vastitate hostili. Et relinquetur filia Sion, ut umbraculum in vinea, et sicut tugurium in cucumerario, et sicut civitas, quae vastatur.

[24] *Cursor.*—Inter ecclesiasticos ministros habitus est *Cursor*, qui nempe ad Ecclesias Episcoporum perferret litteras. Quantam solertiam in eo deligendo adhibuerint prioribus Ecclesiae saeculis, intellige ex Ignatio, qui epist. II, sic ad Polycarpum scribit: Decet te, Beatissime Polycarpe, Concilium cogere sacrosanctum, et eligere, si quem vehementer dilectum habetis et impigrum, ut possit divinus appellari Cursor, et hujusmodi creare, ut in Syriam profectus laudibus celebret impigram caritatem vestram.

[25] *Nos habet Antiochia.* — Quod fuerit Petri iter de carcere in libertatem vindicato, Metaphrastes die 29. Junii ex antiquioribus chartis excripsisse testatur, illud denique adjungens: *Venit Antiochiam Syriae civitatem.*

[26] *Ecclesia verax.* — Ab ipsis Christianae Religionis incunabulis, innumeri hostes in humana divinaque omnia debacchati, omni machinarum genere Ecclesiae auctoritatem oppugnarunt. Sed divina ope fundata Ecclesia oppugnari quidem haereticis potest, expugnari nequaquam; quin ipsa e pugna fortior evadit. Ut malignantibus atque perduellibus os primo ipso initio praecluderetur, de vera Christi Ecclesia certissima signa constituerunt Apostoli, quibus ceu testibus locupletissimis Ecclesia catholica ab Satanae Synagogis, atque Ecclesiis malignantium, veluti sponsa a pellice secerneretur.

[27] *Symbolon.* — Ante hanc dispersionem, seu potius divisionem, Apostoli, Catholicae fidei consulturi, quosdam fidei canones qui universam Christianam rem perstringerent, inter se constabilierunt, quos proprio nomine Ecclesia symbolum Apostolorum nominare consuevit, quod eo Christiani symbolo, veluti tessera militari data possent dignosci. Sic Ruffinus in praef. expos. symb. Apost. Symbola discreta unusquisque dux suis militibus tradit, quae latine signa vel indicia nominantur, ut si forte occurrerit quis de quo dubitetur, interrogatus symbolum prodat, si sit hostis an socius.

[28] *Surgit odora.* — Quae de Sapientia Ecclesiasticus, XXIV, 17. praedicat, ea communiter Ecclesia Virgini BB. attribuit, nosque hic in Deiparae laudem libentissime referimus: Quasi cedrus exaltata sum in Libano, et quasi cypressus in Monte Sion; quasi palma exaltata sum in Cades, et quasi plan-

tatio rosae in Jericho. Quasi oliva speciosa in campis, et quasi platanus plantata sum juxta aquam in plateis. Sicut cinnamomum , et balsamum aromatizans odorem dedi: quasi myrrha electa dedi suavitatem odoris.

[29] *Basia pacis.* — Non modo Petrus, sed et Paulus primis Ecclesiae fidelibus praecepit: *Salutate vos invicem in osculo sancto,* quod Petrus vocat *osculum dilectionis.* Antiqua ergo fuit et ab Apostolis instituta christiana salutatio in osculo sancto impartienda: eaque oscula erant veluti pacis et amoris symbola.

[30] *Pastorum primus.* — S. Leo Serm. I , in Nat. Apost. sic emphatice: Cum duodecim Apostoli , accepta per Spiritum Sanctum omnium locutione linguarum, imbuendum Evangelio mundum distributis sibi terrarum partibus suscepissent, beatissimus Petrus Princeps Apostolici ordinis ad arcem romani destinatur imperii , ut lux veritatis quae in omnium gentium revelabatur salutem, efficacius se ab ipso capite per totum mundi corpus effunderet. Cujus autem nationis homines in hac urbe non essent , aut quae unquam gentes ignorarent , quod Roma didicisset ? Hic conculcandae Philosophiae opiniones ; hic dissolvendae erant terrenae sapientiae vanitates ; hic confutandi daemonum cultus; hic omnium sacrilegiorum impietas destruenda.

[31] *Pignora sacra.* — Supremo Trojae excidio Hector Aeneam alloquitur, Aen. II, 293.

Sacra suosque tibi commendat Troja penates:
Hos cape fatorum comites: his moenia quaere,
Magna pererrato statues quae denique ponto.

Et Aeneas, ut idem cecinit vates:

Cum sociis natoque, penatibus, et magnis dìs

tendit in Italiam. SS. passionis Christi instrumenta , veluti quaedam trophaea victoriae et magna fuerunt diligentia asservata, et divina quadam virtute facta toti orbi conspicua communi adhuc veneratione decorantur. Quid mirum, si vates tempora praecipiens ipsum Petrum ea sui veluti imperii arcana sacra Romam induxerit ferentem ?

[32] *Caelestibus armis.* — Quicumque Romam invisit, Hadrianam molem, quae pro sepulchro illius Imperatoris aedificata fuit , conversam nunc in arcem munitam ad Tiberim reperit, supraque eminentem Michaëlem Archangelum , districto ense , quasi Romanae Ecclesiae hostes terrefacientem , inque sanctae urbis custodiam excubantem.

[33] *Foedere amoris.* — Sic S. Prosper in Carm. de ingratis:

Sed Roma Petri, quae pastoralis honoris
Facta caput mundi, quidquid non possidet armis,
Relligione tenet.

[34] *Dumis.* — Idem S. Leo. Silvam istam frementium bestiarum et turbulentissimae profunditatis oceanum constantior , quam cum supra mare gra-

dereris, ingrederis. Nec mundi dominam times Romam, qui in Caïphae domo expaveras sacerdotis ancillam.

[35] *Dagon.*—Apud Philistaeos in templo Dagon vix Arca foederis fuit collocata, idolum suam cadendo imbecillitatem monstravit.

[36] *Superstitio.*—Quod fundatione Romanae Ecclesiae Idololatria Romae decreverit, clarissimum extat testimonium Dionis lib. LX. Post haec Claudius tertium Consul multa sacrificia, multasque ferias abrogavit, nam major anni pars in his absumebatur non sine magno Reipublicae detrimento. Igitur eas et reliqua omnia quae poterat, contraxit. Cum nempe Romae Christiana fides plantata coalescere coepit, ethnica superstitio decidit. Hic notanda arbitror verba Taciti, lib. 11. Retulit (Claudius) deinde ad Senatum super collegio Aruspicum, ne vetustissima Italiae disciplina per desidiam exolesceret. . . Et quia externae superstitiones valescant, et laeta quidem in praesens omnia, sed benignitati Deûm referendam gratiam, ne ritus sacrorum inter ambigua culti, per prospera obliterarentur, factum ex eo senatus consultum, viderent pontifices, quae retinenda firmandaque aruspicum. Quid, quaeso, externae superstitionis nomine intelligitur, nisi Christiana Religio disseminari in urbe coepta?

[37] *Annos septenos.*— Petrum Antiochenae Ecclesiae Episcopatum fundasse, eumque septem circiter annos tenuisse, ex testimonio veterum scriptorum constat, quos confer apud Baronium Annotat. in Martyrologium Romanum die 22 Februarii. Secundo anno Claudii quamvis Romam perrexerit, etiam ipse annum integrum administravit, et anno tertio Claudii, Antiochenae Ecclesiae subrogavit Evodium. Ignat. Epist. 12 ad Antiochenos scribens: Mementote, ait, Evodii beatissimi Patris nostri, qui primus post Apostolos gubernacula Ecclesiae vestrae sortitus est. Si Evodii successor Ignatius talia profiteatur, quid aliis egemus testibus?

[38] *Perennet.*—Communis omnium sententia est Petrum anno secundo Claudii Romam primum venisse, et romanam Ecclesiam instituisse anno sequenti, qui est tertius Claudii Imp. Jesu Christi Ann. 43, Claudio Augusto tertium, et L. Vitellio Coss. Quod vero decimo quinto Kal. Februarii Romana sedes Pontificia erecta fuit, ea dies in tantae rei perennem memoriam anniversaria celebritate consuevit antiquitus celebrari: qui usus in urbe, et in toto christiano orbe in hodiernum usque diem perseverat. Sed hanc opinionem Pagius infirmat in suis adnotationibus, auctoritatis Chronici Alexandrini testimonio, qui scribit Petrum venisse Hierosolymam ob controversiam de Circumcisione, anno sexto Claudii, eoque anno celebratum fuisse Concilium Hierosolymitanum, apostolis nondum invicem disjunctis. Roboratur hujusmodi sententia testimonio Lactantii, qui Nerone imperante Petrum venisse profitetur. Sed Pagii opinio innumeris veterum scriptorum monumentis, et perpetua omnium saeculorum consensione refellitur: duplex, non

unus Petri in urbem adventus. Cl. Mossonius in suis tabulis chronologicis not. 33 Baronii sequitur opinionem, sed Petrum ait venisse Romam sub Claudio, et circa extremum anni 42.

[39] *Praetoria circum.*—Narrat Clemens Alex. in epist. Petri tom. 6. Bibl. Sanctus Marcus Petri sectator, praedicante Petro Evangelium palam Romae coram quibusdam Caesarianis equitibus, et multa Christi testimonia proferente, petitus ab eis, ut possent, quae dicebantur, memoriae commendare, scripsit ex his quae a Petro dicta sunt, Evangelium quod secundum Marcum vocatur.

[40] *Ingentem numerum.* — Quod plures discipuli ex oriente in occidentem secuti fuerint Petrum venientem, non est, cur oratione longiori persequamur, cum ipsorum nomina in occidentalium Ecclesiarum praefecturis satis ipsa per se indicant. Sede romana constabilita, Summus Pontifex, cui cura gregis universi a Domino fuerat commissa, ad ceteras occidui orbis provincias, et primum per Italiam hosce discipulos suos amandavit. In hac sententia nos confirmant gravissima verba Innocentii Papae ad Decentium, ep. 1.: Praesertim, cum sit manifestum in omnem Italiam, Gallias, Hispanias, Africam et Siciliam insulasque interjacentes, nullum hominum instituisse Ecclesias, nisi eos quos venerabilis apostolus Petrus, aut ejus successores constituerunt sacerdotes.

[41] *Asprenas.* — Innumeri prope scriptores rerum nostrarum sunt, qui Neapolim a Sancto Petro institutam christianis doctrinis contendunt. Nos Ecclesiae nostrae metropolitanae memorias et patriae amore, et carminis ipsius progressione compulsi in medium afferemus. *Aspren*, sive *Asprenus*, sive *Asprenas* fuit primus episcopus Neapolitanus.

[42] *Celsus.* — De Fratribus, quos Paulus Puteolis reperit, quique eum cöegerunt omnibus officiis, ut septem dies apud eos moraretur, res est extra dubitationis aleam, cum in Act. Luc. apertissimis verbis commemorat. Nonnulli vero Proculum, alii Celsum primum Puteolanorum Antistitem autumant. In alteram sententiam ibo libentissime, postquam Joann. Scherillius, Can. Puteolanus, cum quo et studiorum et convictus communionem in Seminario Puteolano habui, et dulci sane recordatione commemoro, penitiori uti solet antiquitatis notitia, eam firmavit.

[43] *Prisce colis.* — Priscus fuit unus ex antiquioribus Christi discipulis, qui Petrum secutus est Romam. Sic omnia Martyrologia referunt, et quamvis Prisci nomen Romanum videatur, tamen ipsum genere judaeum fuisse, non ambigit Michäel Monachus in Sanctuario Capuano, quo res Capuae sacras pertractat, et suae auctoritati acquiescimus. *Vulturnus* etiamnum idem nomen retinet; fluvius Campaniae, ipsam a Samnio magna parte disterminans hodie alluit Capuam.

[44] *Epaphras.*—Paulus ad Philipp. II, 25. de Epaphrodito loquitur quem nominat suum fratrem, et cooperatorem, et commilitonem, ipsorum autem A-

postolum, et ministrum necessitatis suae. Unde hunc Epaphraditum fuisse Episcopum Philippensium, extra dubium videtur, et nos ipsi hanc opinionem sequimur. At in Martyrologio Romano de Epaphrodito a Petro Apostolo Tarracinensi Ecclesiae praefecto habetur mentio. Nisi dicere velimus unum eumdemque in diversa loca translatum fuisse, cum et alium Epaphroditum Colossensem praesulem habemus, dicendum est tres esse Epaphroditos. *Anxur* est neutro et masculino genere: Jupiter ab ipsa urbe dictus *Anxur* aut *Anxurus* singulari cultu colebatur. *Anxur* dicebatur olim *Tarracina*, et *Tarracine* hodie *Terracina*. *Feronia* erat Sabinorum et Latinorum Dea. Feroniae lacus cum fonte et templo fuit inter Circaeos, et Tarracinam: nonnulli hoc nomine Junonem salutatam credunt.

[45] *Marcus*. — Duobus aliis hoc nomine distinctis, altero Evangelista, altero Joanne Marco, de quo supra, de Marco hoc mentionem habemus, Aequicolarum Antistite. Romanum dicimus, in tanta rerum antiquitate, ne cum aliis confundatur. *Aequicolae*, sive *Aequi* sive *Aequicola gens*, ut ait Virgilius, fuere ad orientem superioris partis antiqui Latii, a fontibus Anienis usque ad Tibur.

[46] *Lucius*. — Leucius (qui mendose in textu inscribitur Lucius) Brundusinam Ecclesiam erexit. Quod vero a Petro missus fuerit, habes memoriam a Paulo diacono in Chronic. Episcop.: Igitur Petrus cum Romam pervenisset, illico qui summas quasque urbes in occiduo positas Christo Domino per verbum Fidei subjugarent, optimos eruditosque viros ex consortio suo direxit. Tunc denique Apollinarem Ravennam, Leucium Brundusium misit.

[47] *Hermagoras*. — Aquilejenses a S. Marco, ejusque auditore Hermagora fidem accepisse contendunt. Idem Mamachius hanc opinionem refert, siquidem Marcus Evangelista, cum Romam venisset, antequam in Aegyptum contenderet, Aquilejam pervenit, et jactis Ecclesiae fundamentis Hermagoram praefecit, eique mandavit, ut in omni circum regione Evangelium nunciaret, coetusque Christianorum instituere conaretur.

[48] *Nazarius*, *Celsusque*. — Ligures primum a Petro, tum a Nazario et Celso, se doctos quid esset credendum, existimant. Martyrii palaestra fuit Mediolanum, primis Christianae fidei initiis, uti canit Ennodius in Nazariano carmine XVIII, quo triumpho nobili carnis ruinam repulisse Nazarius dicitur.

[49] *Barnabbas*. — Mediolanenses Barnabae Apostoli labore, ac diligentia idolorum superstitionem tolli in urbibus suis proximisque oppidis coepisse defendunt. Sic Mamachius, sed in not. observat sola traditione hanc opinionem niti.

[50] *Syrus*. — Boll. XXIX. Julii sic S. Syri Episcopi in Liguria commemorationem peragunt: Ecclesia quae nunc Sancti Syri de quo agimus Episcopi est, priscis temporibus Sanctorum Apostolorum appellata fuit, nec sancti Syri nomen accepit, nisi ab inventione sacri corporis ejus, diu post tem-

pora S. Gregorii. Fuerit igitur alius olim Genuae S. Syrus Martyr, cujus memoria deinde obliterata.

[51] *Euprepius, sive Euprepus.* — Ghinius in Natalibus Sanctorum canonicorum ex traditione Veronensium sic habet: Veronae Sancti Euprepii Episcopi et confessoris, quem ferunt S. Petri Apostoli discipulum, ibidem primum episcopum eamdem Ecclesiam sancte instituisse ad Christi fidem et pietatem.

[52] *Auspice Prosdocymo.* — Prosdocymum Patavinorum Antistitem facit Baronius.

[53] *Apolline.* — Ravennates S. Apollinaris Petri discipuli opera testantur se Christianam religionem amplexos, ad eamque rem demonstrandam utuntur S. Petri Chrysologi auctoritate, qui sermonem CXXVIII de S. Apollinare scripsit.

[54] *Paulinum.* — Luca, urbs Etruriae antiqua apud Aserem fluvium, et Sarculum caram habet S. Paulini memoriam, quem suscepit tanquam primum Etruriae Apostolum, Martyrum Etruscorum primitias, primum suum Antistitem, patronum et sospitatorem. Sic Boll. XII Julii, ubi passos sub Nerone eum episc., Severinum presbyt., Lucam diaconum, Theobaldum militem, et eorum socios faciunt.

[55] *Frontinum.* — Florentini Frontino usos esse contendunt Evangelii promulgatore. Quamvis nonnulli non esse tanta antiquitate Frontinum censent, ut Petro se tradere in disciplinam potuerit, nos pro Ecclesiae Florentinae traditione stabimus, primumque Florentinorum Episcopum Frontinum habebimus.

[56] *Romulus.* — Die sexta Julii tractant Boll. de sancto Romulo episcopo ejusque sociis, martyribus Fesulis et Volaterris in Etruria. Eum ab Apostolo Petro missum referunt, ut Sutrii, Volaterris, Brixiae, Bergomi fidem nunciaret; tendens Foesulas, Angeli monitu, quamvis primo ejicitur, denuo regressus martyrium cum sociis subiit.

[57] *Provoco.* — Act. XXV, 12. Dixit Paulus: Caesarem appello: tum Festus cum Concilio locutus respondit: Caesarem appellasti? ad Caesarem ibis.

[58] *Dicarchus.* — Hoc iter Pauli a Luca describitur, quaeque singulis locis evenerint, enumerantur, Act. XXVII, 3. Sequenti autem die devenimus Sidonem; humane autem tractans Julius Paulum, permisit ad amicos ire, et curam sui agere. Apud *Melitem* insulam naufragium fecit, de quo plurima inferius dicemus. De *Dicarcho*, quod idem est ac Puteoli: Secunda die venimus Puteolos, ubi inventis fratribus, rogati sumus manere apud eos diebus septem.

[59] *Tribus tabernis.* — Quod Roma exierint plurimi Christiani Paulo occursuri, habes ib. Et sic venimus Romam. Et inde cum audissent fratres, occurrerunt nobis usque ad Appii forum et tres tabernas. Appii forum erat in

agro Latino, in via Appia; tres tabernae vero contra Antium, de quibus Cic. ad Atticum epist. XXIX. lib. 2. Emersimus commode ex Antio in Appiam ad tres Tabernas. De foro Appii nulla sunt vestigia, ob paludes Pomptinas; *Tres tabernae* corrupto vocabulo hodie dicuntur *Cisterna.*

[60] *Epaphras.*—De hac legatione Philippensium, Paulus ad Philip. V, 18. scribit his verbis: Habeo autem omnia et abundo: repletus sum, acceptis ab Epaphrodito quae misistis, odorem suavitatis, hostiam acceptam, placentem Deo.

[61] *Gratus Onesiphorus.— Onesiphorus* cujus velut martyris memoria in Ecclesia tum graeca tum latina celebratur, Ephesi multum Apostolum juvit, et Romae in vinculis consolatus est. Ex Ep. II, 1. Pauli ad Timotheum, Ephesinum episcopum, conjici licet quod Romae fuerit mortuus. 16. Det misericordiam dominus Onesiphori domui quia saepe me refrigeravit, et catenam meam non erubuit. 17. Sed cum Romam venisset, sollicite me quaesivit et invenit. 18. Det illi Dominus invenire misericordiam a Domino in illa die. Et quanta Ephesi ministravit mihi, tu melius nosti.

[62] *Videbunt.*—Vix attigit Romam Paulus, permissum est, ut ait Lucas, manere sibimet cum custodiente se milite. Sed tertio die convocavit primores Judaeorum, *propter spem enim Israel catena hac circumdatus sum.* Quae autem facta sint, ipsemet Lucas enarrat, XXVIII, 24.: Et quidam credebant his quae dicebantur, quidam vero non credebant. Cumque invicem non essent consentientes discedebant, dicente Paulo unum verbum: Quia bene Spiritus Sanctus locutus est per Isaiam Prophetam ad Patres vestros dicens: Vade ad populum istum, et dic ad eos: Aure audietis, et non intelligetis; et videntes videbitis, et non perspicietis. Incrassatum est enim cor populi hujus, et auribus graviter audierunt, et oculos suos compresserunt, ne forte videant oculis, et auribus audiant, et corde intelligant, et convertantur et sanem eos.

[63] *Infremuitque leo.*—Res a Paulo Romae gestas ab ipso saltem ex parte in suis epistolis possumus colligere. Jam enim in maximo vitae discrimine quod Hierosolymis subierat, ipse Dominus cuncta praedixerat, Act. XXIII, 11: Constans esto: sicut enim testificatus es de me in Jerusalem, sic te oportet et Romae testificari. Sed de duro Neronis judicio ipsemet ad Tim. scribit In prima mea defensione nemo mihi adfuit, sed omnes me dereliquerunt. Qui autem illi praecipue adversarentur, Tim. II, I, 15. patefacit: Scis, quod aversi sunt a me omnes qui in Asia sunt, ex quibus est Phigellus, et Hermogenes. Cum tam gravem tumultum causa Pauli Hierosolymis concitasset, credere par est, Judaeos, quod saepe alias fecerunt, insigniores viros qui apud Neronem gratia possent, misisse, quo Paulo damnum facesserent. Sed non reliquit eum Dominus, uti testatur ibi. 17. Dominus autem mihi astitit, et confortavit me, ut per me praedicatio impleatur, et audiant omnes gentes. Et liberatus sum de ore leonis. Sic Neronem nominat.

[64] *Seneca.* — Extant quaedam acta passionis Pauli, Lini nomine consi-

gnata, in quibus haec leguntur de Seneca et Paulo: Institutor Imperatoris adeo est illi amicitia copulatus, videns in eo divinam scientiam, ut se a colloquio illius temperare vix posset. De fide Epistolarum Senecae ad Paulum dubitamus, sed huic sapientissimi illa aetate viri de Pauli sapientia admirationi non aegre adstipulamur, siquidem in omni praetorio causa Pauli cognita fuit. Testatur ipse Paulus ad Phil. I, 2. Scire autem vos volo, fratres, quia quae circa me sunt, magis ad profectum venerunt Evangelii: ita ut vincula mea manifesta fierent, in Christo, in omni praetorio, et in ceteris omnibus; et plures e fratribus in Domino confidentes vinculis meis, abundantius auderent sine timore verbum Dei loqui. Quidam quidem et propter invidiam et contentionem, quidam autem et propter bonam voluntatem Christum praedicant. Quidam ex charitate, scientes, quoniam in defensionem Evangelii positus sum; quidam autem ex contentione Christum annunciant non sincere, existimantes pressuram se suscitare vinculis meis.

[65] *Migrare jubemur.* — Judaeos non in Palestina tantum, sed in Asia, in Africa, et Europa magno numero habitare est exploratissimum. Sufficiat pro omnibus supplex libellus Agrippae ad Caium, ubi de sancta civitate, patria sua haec effatur: Eam, nempe, esse metropolim non unius regionis Judaeae, sed et multarum, propter colonias inde olim deductas, vel propius in finitimam Aegyptum, Phoenicen, Syriam tum citeriorem, tum eam quae Caele cognominatur, vel longius in Pamphiliam, Ciliciam, plerasque Asiae partes usque Bithyniam, et Ponti sinus intimos; pari modo in Europa Thessaliam, Boeotiam, Macedoniam, Aetoliam, Atticam, Argos, Corinthumque Peloponnesi partes praecipuas. Nec tantum continentes Provinciae plenae sunt coloniis judaicis, sed et insularum celeberrimae Euboea, Cyprus, Creta, ne quid dicam de Transeuphratensibus: excepta enim parva parte Babylonis, aliarumque praefecturarum, omnes urbes quae bonum agrum habent, a judaeis incoluntur. Itaque si exorat mea patria tuam clementiam, praeter ipsam alias civitates demereberis plurimas, sitas in diversis Orbis tractibus, Asia, Europa, Africa, insulares, maritimas, mediterraneas. Huc usque Agrippa. Hierosolymitana Synagoga quae ceteris omnibus dominabatur, videre poterat Christianam religionem ubique gentium adolescentem? Facile fuit universas colonias per nuncios sollicitare; idque praecipue Romae factum A. Christi LI, Claudii vero imper. IX. Oros. lib. VII. 6. Josephi testimonio rem confirmat: sed me magis Svetonius movet, qui ait, Clau. XXV: Claudius Judaeos impulsore Chresto (Christo) assidue tumultuantes Judaeos Roma expulit. Hoc edicto Judaeos tantummodo, an etiam Christianos, velut cognatae religionis homines, voluerit expelli, nequicquam discernitur. Sed etiam Christianos, qui ex Judaeis fidem sectati essent, ex urbe jussos abire, firmissimo Lucae testimonio comprobatur. Cum enim agit de Pauli adventu Corinthum, de Aquila Pontico meminit qui Judaeus genere erat, sed fide christianus. Qui nuper venerat, sunt Lucae verba, ab Italia, et Pri-

scillam uxorem ejus (eo quod praecepisset Claudius discedere omnes Judaeos a Roma) accessit ad eos. Petrus qui septem annis Romae morabatur, edicto Claudii, cum ceteris Judaeis Roma fuit expulsus.

[66] *Discordia partes.* — Quaenam harum partium origo, habe ex Act. XV, 1: Quidam descendentes de Judaea docebant fratres: quia nisi circumcidamini secundum morem Moysis, non potestis salvari. Facta ergo seditione non minima, Judaeorum nonnulli de circumcidendis Gentilibus qui Christo credidissent, acerrime depugnabant; nonnulli abolitam Christi adventu circumcisionem arbitrabantur.

[67] *Ipse tibi.* — Jus naturae, sive legum complexio a Deo per rectam rationem humano generi promulgatarum quae facienda, quaeve omittenda forent, nullam mutationem subire potest. De qua lege idem Cic. elegantissime et si unquam aliud egregie de Rep. III, apud Lact. Inst. Div. lib. IV, S ait: Huic legi nec abrogari fas est, neque derogari ex hac aliquid licet, neque tota abrogari potest. Nec vero aut per senatum, aut per populum solvi hac lege possumus. Nec erit alia lex Romae, alia Athenis, alia nunc, alia posthac, sed et omnes gentes et omni tempore una lex et sempiterna et immutabilis continebit. Sed si hoc jus universum genus humanum stringit, estque universale, peculiare et aliud fuit, Judaicae genti proprium, quod praecepit per Moysen Deus, illudque ex vulgata omnium sententia in tres partes dividitur, in praecepta scilicet *Judicialia*, *caeremonialia* et *moralia*. Judicialia civilem Hebraeorum politiam constituebant, quae Θεοκρατιαν potius repraesentabat. *Caeremonialia* divinum cultum, sacrificia sacrosque ritus spectabant, eo tamen pacto, ut omnia Jesum Christum ex ea gente proditurum non obscuris signis significarent. *Moralia* demum sunt ipsa Juris naturae mandata. Porro haec omnia complectebatur Deus his verbis Deut. V, 31. *Loquar tibi omnia mandata mea, et caeremonias atque judicia.* Quis porro non videbat caeremonias Judaeae legis adventu Christi esse inducendas? quae uti Paulus ad Hebr. X, 1. Umbram habebant futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum. Ann. Ch. LI, Pet. VII; C. Imp. IX, celebratum est primum Hierosolymae concilium de abolenda Circumcisione. Cerinthus haeresiarcha qui et ipse contra Paulum et Barnabam Hierosolymam petiit quasi legum avitarum traditionem propugnaturus, antesignanus eorum omnium videtur fuisse, qui de circumcidendis Gentilibus, qui Christo credidissent, altercabatur: quinam Apostoli conventui interfuerint, ignoramus; Lucas tantum de Petro, Jacobo, Paulo et Barnaba meminit.

[68] *Affore polliciti.* — Ecclesiam universam in Concilio coactam falli non posse, ex Christi domini pollicitatione adstruitur, Matth. XVIII, 10. Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.

[69] *Hebraei gentesque.* — Ipse Petrus hac clausula usus in sua oratione apud Concilium: Sed per gratiam Domini Jesu Christi credimus salvari, quemadmodum et illi. Act. XV, 11.

[70] *Nec nostri tulerunt patres.* — Ipsa Petri verba a Luca audi, ib. 10: Nunc ergo quid tentatis Deum imponere jugum super cervices discipulorum, quod nec patres nostri, neque nos portare potuimus?

[71] *Vestras.* — Sua verba firmabat Joannes scripturarum veriloquio, apud Lucam, ib. 15: Et huic concordant verba Prophetarum, sicut scriptum est: Post haec revertar, et reaedificabo tabernaculum David, quod decidit, et diruta ejus reaedificabo, et erigam illud, ut requirant ceteri hominum Dominum, et omnes gentes super quas invocatum est nomen meum, dicit Dominus faciens haec. Notum a saeculo est Domino opus suum.

[72] *Barbarus.* — Paul. ad Corinth. I, 14. Ut aliquem fructum habeam, et in vobis, sicut et in ceteris gentibus Graecis, ac Barbaris; sapientibus, et insipientibus debitor sum: VIII, 6. Nobis autem unus Deus Pater, ex quo omnia et nos in illum; et unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia et nos per ipsum. Ad Rom. X, 12. Non enim est distinctio Judaei et Graeci: nam idem Dominus omnium, dives in omnes qui invocaverint illum. 13. Omnis enim quicumque invocaverit nomen Domini, salvus erit. Et ad Galat. III, 28. Non est servus neque liber, non est masculus neque foemina. Omnes enim vos unum estis in Christo Jesu.

[73] *Mira Dei Macedo.* — Si omnia divina quadam providentia ita digessit Deus, ut quamvis Redintegrator humani generis Christus tam sero ad homines liberandos venerit, tamen paratus mundus in plenitudine temporum divinum Liberatorem exciperet, quid mirum si vias ipsas vel Alexandrinas vel Romanas arcana quadam dispensatione praemunitas arbitramur, ut facilius apostolicis expeditionibus inservirent? Sane Judaeos omnes ante Christi adventum videre licet dispersos per Assyriam, Babyloniam, totamque adeo per Asiam, atque Aegyptum, Graeciam, Italiam, ut ex Sacrarum Scripturarum quas ipsi deferebant, lectione gentes toto orbe diffusae notitiam Messiae haurirent, atque ita ad eum expectandum postulandumque sese disponerent. Eodemque modo Alexander Magnus Alexandrinum orbem conficiebat, totius Asiae populis inter se commercio viisque communicatis, et Romanus orbis, adjecto occidente, amplificabatur, ut humana illa consociatio quam de toto terrarum orbe conficere studebat Christiana Religio, praeparata populorum comunione, facilior evaderet.

[74] *Qui splendor euntes.* — Paul. ad Rom X, 14. Quam speciosi pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona!

[75] *Turris.* — *Caesareensis Ecclesia*, quam sagulo deposito, et pallio indutus *Cornelius* amplificavit, et Episcopus rexit. Joseph antiq. lib. XVI, 9. de Herode narrat, quod civitatem maritimam amplissimam antea Turrem Stratonis vocatam, mutato nomine, in honorem Augusti Caesaream dixit.

[76] *Marnae.* — Gazae incolas maxima parte Jovis Cretaei superstitione fuisse detentos, quem Marnam vocabant, auctor est Stephanus, ad v. γαζα: Episcopum Dorensium, (urbs Dororum erat ad littus Mediterranei maris, me-

dia inter Caesaream et Carmelum montem) primum omnium fuisse *Fidum* observat Lequienius fretus Cyrilli Scythopolitae testimonio.

[77] *Incestare profano.* — De *Damascenae Ecclesiae* origine: nihil opus est longa disquisitione, cum *Ananiam*, primum ejus episcopum omnes antiqui scriptores merito salutarunt. Quod Ananias primus episcopus Damasci fuerit, facile omnes consentiunt, eo magis quod Paulus christianis mysteriis ab eo initiatus fuerit. Sed Heliopoli studio ipsius Ananiae propagatum fuisse evangelium arbitramur. Constantinus, pace Ecclesiae reddita, vetuit, ne stupra et flagitia in Veneris Aphacitidis cultum patrata Heliopolitani persequerentur.

[78] *Cruores.* — De Caesarea Philippi, quam Phoenices Paniada vocabant, tractans Eusebius, sic de Muliere Syrophoenissa narrat, lib. VII, 14. Mulierem illam sanguinis profluvio afflictatam, quam Sanctorum Evangeliorum testimonio a Salvatore nostro morbi remedium invenisse cognovimus, ex ea civitate oriundam, illiusque domum illic ostendi, et admirabilia quaedam Salvatoris in eam beneficii monumenta et quasi trophoea ad hoc tempus durare memorant. Pro foribus enim domus illius aeneam mulieris effigiem genibus flexis, et manibus instar supplicantis in anteriorem partem extensis super editum lapidem collocatam.

[79] *Agabus.* — De ingenti hac fame per universum terrarum orbem valide grassata, sic Lucas, Act. XI, 27. In his autem diebus supervenerunt ab Hierosolymis prophetae Antiochiam; et surgens unus nomine Agabus significabat per spiritum famem magnam futuram in universo orbe terrarum, quae facta est sub Claudio. Baronius censet anno secundo Claudii Imperatoris.

[80] *Collata pecunia.* — *Antiochenae Ecclesiae metropolitanae* singularem virtutem, et maternum munus admirare! Illa urgente fame, qui erant Antiochiae Christiani, collectas pecunias ad Christianos qui erant in Judaea miserunt. De pio fraternae charitatis exhibito officio sic Lucas: Discipuli, prout quis habebat, proposuerunt singuli in ministerium mittere habitantibus in Judaea fratribus; quod et fecerunt, mittentes ad Seniores per manus Barnabae et Sauli.

[81] *Athenis.* — Sic Paulus in Areopago jussus causam dicere: Viri Athenienses, per omnia quasi superstitiosiores vos video. Act. XVII, 22.

[82] *Ara Deo ignoto.* — Vide *Ecclesiae Atheniensis* initia! Idem Paulus ib. 23. Praeteriens enim, et videns simulacra vestra, inveni aram, in qua scriptum erat: *Ignoto Deo.* Quod ergo ignorantes colitis, hoc ego annuntio vobis.

[83] *Poeta.* — Aratus, graecus poeta Cilix. De veritate locutus, vel una naturali ratione lucem praeferente, cognita gentilicii poetae auctoritate ipse utitur.

[84] *Moderatus Athenas.* — Vide quam difficilem Spartam exornandam susceperat Paulus; praesertim cum capitis supplicium immineret, siquis

vel deos negaret, vel inconsulto Areopago, peregrinam religionem induceret. Poterant Atheniensens toto orbe celeberrimi, a quibus et Romani ipsi leges acceperant, a barbaro homine, a Judaeo, scilicet, divini cultus rudimenta accipere, ut Judaeus homo crucifixus, Deus esse crederetur? Atqui divino afflante Spiritu Paulus causam egit, et teste Luca, ib. 34. Quidam viri adhaerentes ei, crediderunt, in quibus et Dionysius Areopagita, et mulier Damaris nomine et alii cum eis. Hinc Chrysostomus: Rursus Areopagita ille, superstitiosissimae civitatis illius civis, nonne una cum uxore, audita tantum Pauli concione, illum secutus est? Hic est ille Dionysius, qui primus fuit episcopus Atheniensium, postea Lutetiam Parisiorum translatus abiit in Galliam.

[85] *Moenibus.* — *Ecclesiae Corinthiacae* originem et praecipuos christianos habeto. Prima Pauli mora Corinthi fuit apud Aquilam Act. XVIII, 2. 7. Et migrans inde (idest domo Aquilae, sive e Synagoga, ubi frustra praedicaverat), intravit in domum cujusdam nomine *Titi* Justi colentis Deum, cujus domus erat conjuncta Synagogae. 8. Crispus autem Archisynagogus credidit Domino cum omni domo sua, et multi Corinthiorum audientes credebant et baptizabantur. De *Sosthene* audi eumdem Lucam, ib. 17. Apprehendentes autem omnes Sosthenem principem Synagogae percutiebant eum ante tribunal. Quod Christi fuisset studiosissimus ex epist. I, ad Corinth. intelligitur, quae incipit: Paulus vocatus Apostolus Jesu Christi per voluntatem Dei, et *Sosthenes* frater. De *Chloe* vero I, Ep. ad Corinth. I, 11: Significatum est enim mihi de vobis, fratres mei, ab iis qui sunt Chloes, quia contentiones fiant inter vos. Erat enim mulier qua pietate, qua opulentia Corinthi clarissima. *Caius* Corinthiensis fuit, a Paulo baptizatus, ut ipse fatetur I Cor. I, 11. Gratias ago Deo, quod neminem vestrum baptizavi, nisi *Crispum et Cajum.* De *Stephana* autem. Ep. I ad Cor. I, 16: Baptizavi autem et *Stephanae* domum: ceterum nescio, si quem alium baptizaverim. Et iterum XVI, 15. Obsecro autem vos, fratres, nostis domum *Stephanae*, et *Fortunati et Achaici*, quoniam sunt primitiae Achaiae, et in ministerium Sanctorum ordinaverunt seipsos. Et iterum in eadem Ep. 17. Gaudeo autem in praesentia Stephanae et Fortunati et Achaici, quoniam id quod vobis deerat, ipsi suppleverunt. Qui omnes ex Corinthiacis Christianis erant selectissimi, et Satanicam impietatem destruxerunt. Audi Suidam verbo Cotys: *Cotys* daemon apud Corinthios colitur, praeses effaeminatorum et impudicorum. Quod vero Corinthii fuerint salacissimi, testatur Strabo, lib. 8, cum de fano Veneris loquitur celebratissimo, et sat vulgare proverbium: Non est Corinthum adire cuivis integrum.

[86] *Cretae.* — *De Ecclesia Cretensi* habemus nonnulla gravissimi quidem momenti in epistola ad *Titum* I, 5. Hujus rei gratia reliqui te Cretae, ut ea quae desunt, corrigas, et constituas per civitates presbyteros, sicut ego disposui tibi. Ex quo clarissime patet Titum Ecclesiae cretensis fuisse episcopum. De *Artema et Tychico* mentionem habemus ib. III, 12. Cum misero

ad te *Artemam*, aut *Tychicum*, festina ad me venire Nicopolim. De *Zena*. III, 13. *Zenam* jurisperitum, et Apollo sollicite praemitte, ut nihil illis desit. Erat autem legis doctor sive romanae sive judaicae.

[87] *Cretaeus mendax*. —Qui fuerint, quodque eorum ingenium, patet ab eadem epist. ad Titum. II, 12. Dixit quidam ex illis, proprius ipsorum propheta: Cretenses semper mendaces, malae bestiae, ventres pigri. Quis vero fuit iste eorum proprius propheta? Epimenides creditur cretensis.

[88] *Contra stetit*. — In Act. XVI, 9: Et visio per noctem Paulo ostensa est. Vir Macedo quidam erat stans, et deprecans eum, et dicens: Transiens in Macedoniam adjuva me.

[89] *In Aemoniae campos*.—De *Ecclesia Philippensium* pauca quidem habemus, sed e paucis videre est, quia ea fuerit clarissima. Apostolus in ipso litterarum suarum principio: Paulus et Timotheus servi Jesu Christi omnibus sanctis in Christo Jesu qui sunt Philippis cum episcopis et diaconibus. De *Lydia* muliere quae eos excepit, narrat Lucas, XVI, 14: Et quaedam mulier nomine *Lydia*, purpuraria civitatis Thyatirenorum colens Deum audivit, cujus Dominus aperuit cor intendere his, quae dicebantur a Paulo. 15. Cum autem baptizata esset et Domus ejus, deprecata est dicens: Si judicastis me fidelem Domino esse, introite in domum meam, et manete, et coegit eos. Quae hic narramus de puella, de carcere, deque carceris janitore, ibid. leguntur. In Macedonia duae erant praestantiores Ecclesiae alia *Philippis*, alia *Thessalonicae*.

[90] *Egenis*. — XVI. Act. Caput illis verbis concluditur: Exeuntes autem e carcere introierunt ad Lydiam, et visis fratribus consolati sunt eos, et profecti sunt.

[91] *Philippis*. — *Philippensi* primordia et incrementa addimus *Thessalonicensis Ecclesiae*. Fugiens Philippis per Amphipolim et Apolloniam Apostolus Thessalonicam venit, ubi erat Synagoga Judaeornm. Ibi verbum praedicavit, XVII, 4: Et quidam ex eis crediderunt et adjuncti sunt Paulo et Silae, et de colentibus Gentilibusque multitudo magna et mulieres non paucae. Quo autem potissimum Christianorum coetus conveniret, ex Act. eisdem comperimus. Versu enim 6 narratur, quod, concitata civitate, seditiosi ad principes civitatis clamabant: Quoniam hi qui urbem concitant et huc venerunt. 7. Quos suscepit *Jason*. Extant duae Pauli Epistolae ad Thessalonicenses, quibus Corinthi immorans, ubi fuga, consilio fratrum, salutem in tuto posuerat, Ecclesiam illam a se, Sylvano et Timotheo adjuvantibus, constitutam alloquitur et maximis laudibus extollit, quod facti erant forma omnibus credentibus in Macedonia et in Achaia: sed neminem Thessalonicensium nominatim commendat. *Epaphroditus*, et *Aristarchus* episcopi antiquioribus scriptoribus pronunciantur, ille *Philippensium*, iste *Thessalonicensium*.

[92] *Heraclaea*.—Princeps urbs est Thraciae Europae. Quod *Heraclaeensis Ecclesia* jam inde ab Apostolorum temporibus fuerit constituta, quodque

Heraclaeenses primum suum Antistitem *Apellem* Pauli auditorem fuisse contendunt, Lequienius, Tom. I, 5. 1093 refert; idemque profitentur Boll. mense Maji p. 188, et martyr. rom. ad 2. 7. martii, 7. jan. 13 april. 16 sept.

[93] *Eunice.* — Ex Iconio, ubi credidit Judaeorum et Graecorum copiosa multitudo, propter incredulos Judaeos, qui ad iracundiam concitaverunt animas Gentium contra fratres, confugerunt Paulus et socii Act. XIV, 6. ad civitates Lycaoniae Lystram et Derben. Lystris vir infirmus ex utero matris suae qui nunquam ambulaverat, audivit Paulum magna voce dicentem: Surge super pedes tuos rectus, et exilivit et ambulavit. Quod signum admirati Lystriani Barnabam vocabant Jovem, Paulum vero Mercurium, et Sacerdos Jovis tauros et coronas adferens cum populis volebat sacrificare. Quod vetuere Apostoli, et sapientissima oratione sedaverunt turbas ne sibi immolarent. Quae fuerit *Ecclesia Ephesina*, quique praecipue eam illustrarint, ex Apostoli litteris licet cognoscere. Et primum extra omnem dubitationem possumus affirmare *Timotheum,* qui peregrinationis Pauli saepenumero comes fuit, ab ipso Apostolo Ephesi Episcopum fuisse praefectum. Ep. I, ad Tim. I, 3. Sicut rogavi te, ut remaneres Ephesi, cum irem in Macedoniam; et eadem epist. 19. Habens fidem et bonam conscientiam, quam quidam repellentes circa fidem naufragaverunt. Sed fides Timothei domo erat antiquissima, ut ad Tim. II, 1. 3. Recordationem accipiens ejus fidei, quae est in te non ficta, quae et habitavit primum in avia tua *Loyde* et matre tua *Eunice,* certus sum, quod erit in te.

[94] *Sanctissima mater.*—Quod sanctissima Virgo Mater cum Joanne profecta sit Ephesum, ibique commorata sit, si cetera defuerint documenta, satis est epistola synodica sacrosanti Concilii ephesini, ad Clerum Constantinopolitanum data, de damnatione Nestorii: Quare et Nestorius impiae haereseos instaurator, in Ephesiorum civitate, quam Joannes Theologus et sacra Virgo Deipara Maria quandoque incoluerunt.

[95] *Tecta Tyranni.* — Act. XIX, 9. Cum autem quidam indurarentur, et non crederent, maledicentes viam Domini cum multitudine, discedens ab eis, congregavit discipulos, quotidie disputans in schola Tyranni cujusdam. Fortasse hic est ille *Tyrannus* sophista, qui, ut ait Suidas, libros decem edidit de statu, et divisione orationis.

[96] *Scaevae.* — Non ergo tantum Pauli predicatione, sed nova occasione filiorum Scaevae principis Sacerdotum qui in nomine Jesu daemonia ejiciebant, magna ad rem Christianam facta est accessio. Act. Ap. XIX, 13. Tentaverunt autem quidam de circumeuntibus Judaeis exorcismis invocare super eos qui habebant spiritus malos, nomen domini Jesu, dicentes: adjuro vos per Jesum quem Paulus praedicat. 14. Erant autem quidam Judaei Scaevae principis Sacerdotum septem filii qui haec faciebant.

[97] *O Galatae.* — *Galata* sive *Gallograecia* dicta est in Asia minori provincia, ob Gallorum multitudinem, qui Alpes transgressi Italiam invaserunt,

impleverunt Graeciam, occupaverunt Macedoniam. Ex his Tectosagae e Narbonensi Gallia profecti, duce Leonorio, in Asiam cum venissent, Phrygiae partem Cappadociae et Paphlagoniae vicinam occupavere, Gallograeciam misto ex Gallis graecisque vocabulo cognominârunt.

[98] *Jerusalem.* — Apost. ad Gal. IV, 24: Haec enim sunt duo testamenta: Unum quidem in monte Sina in servitutem generans . . . 26. Illa autem quae sursum est Jerusalem, libera est, quae est mater nostra. Ib. V, 13: Vos enim in libertatem vocati estis . . . 14. Omnis enim lex in uno sermone impletur: diliges proximum tuum, sicut teipsum.

[99] *Colosse.* — *Colossus* una ex primariis Phrygiae urbibus. Quae fuerit *Colossensis Ecclesia*, ex Epistola colligere licet, quam Paulus Apost. Roma ad Colossenses scribit IV, 12: Salutat vos *Ephapras* qui ex vobis est, servus Christi Jesu, semper sollicitus pro vobis in orationibus, ut stetis perfecti et pleni in omni voluntate Dei. 13. Testimonium enim illi perhibeo, quod habet multum laborem pro vobis et pro illis qui sunt Laodicaeae et qui Hierapoli. Cum autem Laodicaea et Hierapolis proximae urbes Collosso fuerint, *Epaphras* qui idem est ac *Epaphroditus*, habendus est earum Episcopus. Addit vero idem Apost. 13: Salutate fratres qui sunt Laodicaeae, et *Nympham*, et quae in Domo ejus est, Ecclesiam. Ex quo clarissime patet in hujus *Nymphae* domo ad divina mysteria celebranda Christianorum caetum congregari. Denique in Epistolae clausula 17 habet: Et dicite *Archippo: vide ministerium quod accepisti in Domino, ut illud impleas.* Archippus itaque ejusdem Ecclesiae erat *diaconus.* De *Archippo* et ceteris in Colossensi Ecclesia clarioribus iterum meminit Ep. ad Philaemonem: 1. Philaemoni dilecto et auditori nostro. 2. Et *Appiae* sorori carissimae, et Archippo commilitoni nostro et Ecclesiae quae in domo tua est. 24. Salutat te Epaphras concaptivus meus in Christo Jesu.

[100] *Rerum usu doctos.* — Primum Linus, deinde Cletus, postea Clemens B. Petro in Romano Pontificatu successerunt. Romana Ecclesia et libertate electionis, et providentia singulari, quam postea semper praesetulit, in constituendis sibi Pastoribus, et Ecclesiae Catholicae, rerum experientia, duce ipso Petro, doctissimos ad supremam cathedram evexit.

[101] *Magdala.* — Opinionem Baronii sequimur, vel potius Massiliensis Ecclesiae auctoritatem. In dispersione discipulorum a Stephani internecione facta, Lazarus, Maria Magdalena, Martha, et Marcella pedissequa, quos Judaei majori odio persequebantur, Hierosolymis expulsi et cum Maximino discipulo navi sive remigio impositi, vi tempestatis delati Massiliam pervenerunt, ubi Massiliensis, proximarumque Ecclesiarum fundamenta jecerunt.

[102] *Bellacem sobolem.* — Quamvis magna doctorum virorum dissensione certetur de initiis Christianae Religionis in Gallia, nos tamen movet aureus Tertulliani locus VIII, lib. adv. Judaeos: Gaetulorum varietates et Maurorum multi fines; Hispaniarum omnes termini, et Galliarum diversae natio-

nes et Britannorum inaccessa Romanis loca, Christo vero subdita, et Sarmatarum et Dacorum et Scytharum et abditarum multarum gentium et provinciarum, et insularum multarum nobis ignotarum, quas enumerare non possumus, in quibus omnibus locis Christi nomen qui jam venit, regnat. Huic sententiae suffragatur Lucius Caecilius *lib. de mortibus Part.* II, ubi affirmat Neronis tempore: Non modo Romae, sed ubique quotidie magnam multitudinem defecisse ab idolorum cultu, et ad religionem novam, damnata vetustate, transisse. Et III: (Ecclesia) Manus suas in Orientem Occidentemque porrexit, ut jam nullus esset terrarum angulus tam remotus, quo non religio Dei penetrasset, nulla denique natio tam feris moribus vivens, ut non suscepto Dei cultu ad justitiae opera mitesceret. Mamachius ad veritatem propensiorem eam sententiam videt esse, quod vixerint primo Ecclesiae saeculo viri apostolici, qui in Galliam profecti Christianam religionem incolis explicare, inque omnes provincias introducere conarentur. Credit igitur quatuor Galliae provincias, ut ab Augusto facta divisio postulabat, hoc est, Narbonensem, Lugdunensem, Belgicam et Aquitanicam, fuisse Christo lucrifactas. In re tam dubia nos privatarum Ecclesiarum opiniones sequimur.

[103] *Seclusa Britannia.* — Josephus ab Arimathaea nobilis decurio ex Gallia in Britannias navigavit, incolisque primus auctor fuit, ut, relicta superstitione, Christo servatori assentirentur. Sunt qui Paulum ultimos illos Occidentis terminos lustrasse autumant, alii Simonem Zelotem Apostolum: sed maior numerus primordia lucis intulisse Arimathaeum censet. De *Simone* plura suo loco, inferius.

[104] *Germania.* — Aliquot Germaniae scriptores memoriae prodiderunt nostrorum nonnullos nihil veritos earum feritatem gentium, quas crudeles ac belluinis moribus esse intelligerent, ad eas contendisse, ut quas Romani subigere nequivissent, se in Christi potestatem permiserint. Quod de ea Germaniae parte facilius credendum est, quae Romanorum imperio parebat.

[105] *Pugnax Hispania.*— De Jacobo qui primus christianam religionem in Hispanias intulerit, diximus antea. Septem episcopi, quos textu nominavimus, auctore Baronio, peculiari Ecclesiae Hispaniensis commemoratione fulciuntur.

[106] *Marcus.* — Autumat Baronius anno tertio Claudii Marcum Alexandriam amandatum Alexandrinam Ecclesiam congregasse, opportuno adventu Philonis Judaei Alexandrini, de quo praestat Hier. de Script. Eccl. in Phil. audire: Ajunt hunc sub Caio Caligula Romae periclitatum, quo legatus gentis suae missus fuerat: cum secunda vice venisset ad Claudium, in eadem urbe locutum esse cum Petro Apostolo, ejusdemque habuisse amicitiam, et ob hanc etiam causam, Marci discipuli Petri apud Alexandriam sectatores ornasse laudibus suis. Conjicit ex hac habita Romae consuetudine, quod rediens Alexandriam Philo Marcum a Petro commendatum secum duxerit.

[107] *Honori.* — Alexandrina Ecclesia primum locum post romanam obti-

nuit, quod eam Marcus Petri nomine erexit. Gelasius idem his verbis testatur in Conc. Rom. decr.: Secunda autem sedes apud Alexandriam beati Petri nomine a Marco ejus discipulo et Evangelista consecrata est: ipse enim a Petro Apostolo in Aegyptum directus verbum veritatis praedicavit. Hic adnotandum, quod praefectura Alexandrina ab Augusto *augustalis* nomine insignita, longe praefecturae Syriae praestabat, ideoque Alexandrina sedes Antiochena maior fuit habita.

[108] *Maximus orbis.* — Quotquot romano suberant imperio, antiquitus *Romanorum* appellatione nobilitabantur, quique in orbe romano morarentur, *romani cives* omnes habiti. Sic fides *catholica* romana pariter dicta fuit. Cum enim Romana Ecclesia sit Petro peculiaris, qui totius Ecclesiae caput fuit a Christo Domino institutus, ipse non modo eorum qui Romae, vel in Italia essent, sed omnium in orbe terrarum Christianorum pastor dicitur, et universa Ecclesia in unam eamdemque Romanam fidem convenit. Quae mirabilis mentium voluntatumque in una fide Christi societas, singularis Catholicae Ecclesiae est praerogativa, inque hoc munus Pontificiae sollicitudinis praestantissimum primis ipsis temporibus Petrus incubuit, firmatis illis sedibus episcopalibus Antiochiae atque Alexandriae, quibus universus christianus orbis facillime Romae, principi et capiti totius imperii, copularetur.

[109] *Candelabra.* — Matth. V, 15. Neque accendunt lucernam, et ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo sunt. Animadvertendum arbitramur quatuor haec Evangelia et eorum scriptores una hic nos, poëticae unitatis gratia, collegisse, quamvis Joannes serius et post Petri mortem suum conscripserit.

[110] *Babylonis.*—In fine epistolae Petri dicitur: *Salutat vos Ecclesia quae est in Babylone collecta.* Nomine *Babylonis* patres omnes Romam intellexerunt. Diversa ergo est Roma ab romana Ecclesia: illam Petrus improbat, hanc collaudat.

[111] *Formatasque hominum mentes.* — Si, uti ait Cicero, lex naturae est vera lex, recta ratio naturae congruens, diffusa in omnes, constans, sempiterna, quae vocet ad officium jubendo, vetando a fraude deterreat; si ipsum jus naturae hominum corde a Deo inscriptum nova solemniorique promulgatione per Mosen Hebraeis in lapideis tabulis exaratum Deus ipse restituit; si primo concilio Hierosolymitano Synagoga honorifice ad sepulchrum delata fuit; si praecipua Christianae legis praecepta non sunt novi juris vincula, sed ipsissima immutabilia naturalis juris mandata; nonne ad veri normam a natura ipsa comparatam mentem existimabimus? Jesus ipse primigeniam eorumdem praeceptorum intelligentiam explanaturus, clarissime testatus est. Matth. V, 17. Nolite putare quoniam veni solvere legem aut prophetas .... non veni solvere sed adimplere... jota unum, aut unus apex non praeteribit a lege.

[112] *Non gravidae telis.* — Sic Joannes Chrysostomus ad Haer. Gentil. Dei virtutem in praedicatione Apostolorum ostendit: Peragrantes Apostoli or-

bem terrarum et infirmum invenientes ad sanitatem reduxerunt, et in ruina positum ad stabilitatem revocarunt, non arcus tendentes, non sagittas mittentes, non pecunias largientes, non eloquentia confidentes. Erant nudi quidem saeculo, sed induti Christum, pauperes sed divites, pecuniae indigentes et regnum caelorum possidentes, non habentes humana solatia, habentes autem dominum Deum suum. Ego enim vobiscum sum usque ad consummationem saeculi.

PETREIDOS

LIBER IV.

ARGUMENTUM

Hermus, Atheniensis ille juvenis, qui a teneris unguiculis Eunen adamaverat, eamque spe nuptiarum christianis sacris imbuerat, ubi primum Iphitum insanientem in externas regiones filiam abegisse novit, ingenti fluctuatione animi perturbatur — Ingeniosus sane adolescens, omnibus vel naturae vel doctrinae praesidiis ad dicendum paratus gloriosam periclaeae eloquentiae imaginem praesetulisset, si ad rem publicam gerendam accedere potuisset — Sed ubi Graeciam privatis moribus lascivientem, publice romana dominatione pessumdatam offendit, a civili consuetudine abhorrens in una Christi religione conquiescit: totoque animi affectu novam illam Graeciam salutat, Christigenarum patriam, domesticis umbris adhuc delitescentem, quam pro explorato habebat et antiqua Graecia fore gloriosiorem — Aegrotantem nepotis animum novit Dionysius Areopagita, eamque attulit medicinam, ut sacram peregrinationem obiret, crebrisque itineribus christianae religionis incrementa cognosceret — Praecipue Romam viseret, ubi christianae Reip. principatum gerebat Petrus, summus Christi in terris Vicarius — Non gravate paruit adolescens, seque mari committit — Athenis discedentem patriae imago ubique gentium comitatur — Praeclaro locorum, insularum, portuum spectaculo exhilaratus ex pulchritudinis fragilitate, bre-

vem graecanicae vitae pulchritudinem lamentatur — In Augustaea apud Actium promontorium victoria orienti occidentem praelatum meditatur — In conspectu Paxos insulae, narratiunculam de Panos interitu, a gubernatore maris relatam audit, enucleatque — Brundusii surgentem Ecclesiam visit, Leuciique, Brundusini Episcopi humanitate recreatur — Appiam viam populorum exercituumque ex occidente in orientem commeantium concursu celebrem, interminatas Apuliae regiones maturis messibus flavescentes contemplatus ad sublimia quaeque rapitur — Sed maxime Romae miraculo obstupuit — Et natura et situ, et viarum, et aedificiorum magnitudine, una omnium florentissima et potentissima urbs illi videtur, verumque, uti fama canebat, omnium populorum domicilium — Sed ipse domum Pudentis ad Exquilias petit, ubi Petrus Dionysii Areopagitae nomine ipso recreatus paterna eum caritate excipit — De Dionysio avo suo permulta Pontifici interroganti refert, permulta de graecanicae Ecclesiae statu, deque Areopagi gloria intermortua commemorat — Demum, siquid opus haberet, quaque de re Romam venisset, Pontifici percontanti, ipse juvenili verecundia suffusus, ejusdem misericordia implorata, infelicem amorum suorum historiolam texit — Sed supremus Christianae rei arbiter, Christiani conjugii institutione collaudata, eum consolatur, de nuptiis bene sperare jubet, et atticam virginem divinitus servatam, inque christianis castris tuto collocatam refert — Quo inopinato nuncio exhilaratus adolescens humi corruit, Deoque flens debitas gratias exolvit — Summus interea Pontifex tuta omnia, absente Nerone, putans e Pudentianae domus latebris egredi statuit, duobus praestitutis: 1. ut triduanae preces pro Pauli incolumitate ad Narcissi domum celebrentur: 2. ut, novis fluctibus Ecclesiae imminentibus, concilium ex omnibus Italiae Episcopis colligatur — Sed omnibus huic exeundi consilio obstantibus, ipse coortam in mari Tiberiadis tempestatem commemorat, quam Jesus, discipulis inopino periculo conclamantibus, dicto citius sedavit — Illamque navim patefacit fuisse Ecclesiae imaginem, quae turbari quidem, submergi nunquam potest — Qua oratione omnibus ad certam fiduciam arrectis, domo egreditur, ipso in limine fusis ad Deum precibus pro Ecclesiae tranquillitate — Parte alia infernae potestates contra Christi Ecclesiam conjurant — Satanas, ceterique impiae defectionis participes ex altissimis caeli sedibus in inferna latibula detrusi, nec una poenarum specie exagitati saepe per aëra versantur, Deo id concedente, ad excitandam electorum sollicitudinem, et ad peccatorum socordiam vindicandam — Satanas in primis perduellionis antesignanus, per hominum coetus circumerrans omni machinamentorum specie eos a Dei consiliis praevertere conatur — Sed peragrato orien-

te, cum Christianam Religionem ubique gentium florentissimam vidisset, duosque daemones Moloch et Astaroth, alterum Palaestinae, Syriae alterum praefectum, relictis stationibus, fugitivos in finibus Afrorum deprehendisset, eos in tartara secum abripit — In imperviis inferorum latibulis sua quisque primum infortunia conqueruntur — In eamque sententiam denique ventum, ut, relictis paullisper orientalibus plagis, Romam conveniant, collatisque viribus potentissimam illam infernae ditionis arcem omni ope teneant — Satanas aulam caesaream circumsideret, Neronemque ad cuncta atrocia et pudenda impelleret, eumque perterrefaceret, injecta alterius imperatoris formidine, qui ex oriente venerat Romanum solium occupaturus — Moloch Senatum, Hebraeos, Sophos, Magos tentaret, eosque disseminatis calumniis contra Christianos commoveret: praecipue Petro insidias strueret — Astaroth Romanam augeret corruptelam et praeposteras libidines, sollicitaret Christianos omnes impuris illecebris, et praecipue Eunen a proposita sententia demoveret — Conjurationis caput est, uti Evangelicam lucem omnino extinguant, antiquam noctem per orbem terrarum effusam defendant: Petrum, quo super extructum aedificium, omni ope subvertant, in ejusque internecionem omnibus artificiis Neronem impellant: eo enim quasi fundamento collapso, totam Ecclesiae molem ruituram — Quibus propositis, per Romana moenia dispescuntur, et primas Astaroth machinas admovet ad Eunae virginis mentem subvertendam — Quae ingenti illa trepidatione apud Pudentem sublata clanculum, domo Plautillae honestissimae viduae delitescebat — Sed recenti periculo defuncta, quamvis in portu conquiescebat, ancipiti praeteritorum malorum recordatione turbabatur, potissimum amissi patris, Hermique sponsi desiderio — Quam nactus occasionem veterator ille stygius libidinis faces adhibet, primum objecta Atheniensium ceremoniarum imagine, et jucundissima hortorum et littorum amoenitate — Mox primum Hermi conspectum, atque colloquium apud Cephisum flumen exhibet — Demum, abjectis fuco et fallaciis, Christianae vitae asperitatem deridet, et oblatam Romae sortem, ut caesarea majestate praefulgeret, exaggerat — Gradu stetit huc usque Virgo: utque animi firmitatem perpetua constantia roboraret, caelestis internuncius, cui a Deo demandata erat Virginis tutela, inhonestae libidinis detegit blanditias — Mox, objecta Hermi effigie, prima loquentis verba commemorat, Christiano viro nubere non posse nisi christianam — Qua cogitatione veluti expergefacta, et illo, quo stabat lubrico et praecipiti, subsiliens ad Plautillam confugit, difficultates quibus affligitur, patefacit — Quae consilio, et auctoritate eam confirmat — Tum Mulieris fortis elogio e Scripturis Sanctis perlecto ad

Christianae militiae certamina inflammat — Eunc victrix caelesti quadam voluptate perfunditur — Impius vexator tanta Virgunculae fortitudine tremefactus bene munitam domum relinquit, per ethnicam Romam sua incendia allaturus.

Salve, magna parens Sophiae, vatumque ducumque
Graecia magna parens, salve. Quis nomine tantum
Te memorare queat, nec dulci concita motu
Pectora subsiliunt? O laetae tempora sortis,
Cum tuba terribilem sonitum procul aere canoro
Increpuit, patriae voce inflammata juventus
Impatiens in bella ruit, securaque mortis
Barbaricam eluviem sacra e tellure rejecit!
Tunc Asiae toti patuisti immane sepulcrum;
Et dum bosphoricos pavidus Rex [1] nabat in aestus
Parva navicula, viduataque regna petebat,
Pro patria functis vates praeconia laudum
Solvebant, plenisque viis plenisque theatris
Grata superstitibus plausu fremituque secundo
Laeta triumphali decorabas tempora lauro.
Heu! heu! quid video? tantos oblita triumphos
Segnis inersque jaces? senioque aegrota situque
Prostas? eja, solo ex humili consurge: recussam
Ambitione mala, laceram civilibus iris [2]
Inclyta Relligio veniet medicarier aegram.

Hermus Cecropidum praeclara ab origine natus
Nil nisi sublime ab primis suspexerat annis.
Hinc avus, inde parens, et gentis nomen agebant,
Inque uno sors magna domus, et magna quiêrat

Gloria: namque olli, primaevae flore juventae,
Uno eodemque anno genitorum gaudia rapta,
Et super unus erat Dionysius: ille, senatus
Actaei splendor, juveni advigilare nepoti
Gaudebat, natam formans ad grandia mentem.
Vivaci ingenio, roseo pulcherrimus ore
Magnanima Periclem [3] referebat imagine priscum;
Urbani mores, doctrinae copia pollens,
Pollens eloquium: tantum vetus ille potentem
Nactus erat patriam, et liberrima pectora quibat
Arbitrio motare suo: neque segnior Hermus
Altricem terram cura studioque fovebat.
(Rebus in humanis nihil isto nôrat amore
Dulcius [4]!) Obstupuit divinam ardescere lucem:
At patriae non ille silet per mollia motus
Pectora; suavis amor crescit, vitioque remoto
Eluitur. Christi cultor gaudetque doletque,
Ceu varia vice secretis concrescit in umbris
Graecia Christiadum patriae praelata priori.

Nocte super media argoos mutasse penates
Iphitum, et ausonia natam avexisse carina
Audierat, casuque animum concussus acerbo,
Nunc huc turbato nunc illuc pectore fertur.
Infelix juvenis! studio properaverat omni
Virginis unanimae mentem perfundere Christi
Lumine: maturis jamjam speraverat annis
Sponsam rite sibi sanctas conjungere ad aras.
Heu! vanum desiderium! heu sors coeca futuri!
Nec tantum amissa moeret pro conjuge, quantum
Ne stygiis ruat in pessum data praeda tenebris.
Sed non fugit avum gemitus, carique nepotis

Aerumnosus amor. Senior miserescit, et aegri
Saepe dolet gemitu, atque jubet confidere dulci
Alloquio. Tandem lectas deerrare per urbes
Hortatur, Christique recens invisere regnum,
Sicubi mutato caelo componere posset
Irrequietum animum, et tristes avertere curas.
Multa olli mandata dabat, magnumque tueri
Patrem Christiadum, et sacrae cognoscere Romae
Principium. Extrema tum vero nocte, paranti
Remigio celeri piraeum linquere portum,
Praedixit Senior: Romae pomoeria, fili,
Septenis dominata jugis, Romamque stupebis:
At non externo cunctabere cortice: Roma
Ethnica mirandis rerum deserviit orsis,
Quae Deus omnipotens caelo properata sereno
Maturat: tacitis sed tu scrutare latebris
Alterius Romae primordia; quaere Pudentis
Limina, quo tanti motus cunctatur origo.
Quae septingemina nova lux super emicat arce!
Illa facem ducens totum circumvolat orbem,
Irradians populos diuturna nocte sedentes.
Talia dictabat senior, cupidoque bibebat
Pectore magnanimus juvenis, rerumque novarum
Illectus specie caris migrabat Athenis.
Non ego te solum, rerum dulcissime, linquam.
Seu rate velivola myrtoos findere fluctus,
Seu juvet Italiae loca per diversa vagari,
Tot caussas rerum, atque aevi monumenta recentis
Perlustranti adero, mentisque arcana repostae
Excipiam, saeclis satagens mandare futuris.
Et jam siderea dimensus lampade gyrum

Titan hesperium sensim properabat in aequor;
Qua cadit ille inter nubes, caelique marisque
Lumine purpureo tractus intermicat ingens.
Parte alia vidui solatur inania regni
Cinthia languidulis assurgens pallida bigis,
Ardentesque micant stellae, nitidaque corona
Umbriferae irradiant matris mirabile velum:
Per mare tranquillum velis felicibus ibat
Navigium, et Zephyrus placide motantibus alis
Ludebat, circumque levi plangore sonabat.
Securus juvenis patrios excedere colles
Viderat: at placidae noctis surgentibus umbris,
Cum primum excedens vale caris dixit amicis,
Desertae meminit patriae: salit impete dulci
Mollius in tenero cor pectore [5], cura momordit
Acrior, humidulae rorarunt lumine guttae.
Ipse notans variosque situs nomenque locorum
Cycladas [6] apparere videt. Quae dulcis imago!
Quam pulchre in gyrum superextant gurgite summo
Ante fores patriae! manibus per mutua nexis
Succincta aequoreas jurares veste sorores
Motari in numerum! pulchrum mare, sidera, caelum!
Pendent äeriis impostae rupibus urbes,
Et procul ambrosio ridentia flore vireta
Apparent, facilesque sinus, variique viarum
Anfractus, portusque apti, centumque carinae.
Haec avido circumspiciens oculo: Omnia pulchra!
Junior exclamat. Terra tu pulchrior omni,
Graecia, sed species cedit pede lapsa fugaci.
Gaudia multa tibi lusu exhilarata jocisque,
At lusus fragiles, et gaudia vana, jocique:

Ceu rosa purpureo quae mane refloruit ostro;
Ast, abeunte die, rubra cervice reflexa
Languescit moriens, foliisque cadentibus omnis
Cedit honor. Senii quis damna rependit inertis?
Praeruptos Ithacae scopulos, Läertia regna,
Securus cernit: nihil illum regia tangit
Alcinoi, atque horti Phoeacum, opulentaque tellus.
Intentam maiora movent praesentia mentem.
Nam vix Leucatae nimbosa cacumina montis
Emicuere, jugo e summo dominatus Apollo
Virtutem Augusti memorat, positumque tropoeum,
Immotis stetit ipse oculis, magnaeque revolvit
Omina fortunae, mutataque tempora Romae [7].
At porro humanis prima unde exordia rebus
Incipiunt, caelo referens: Sic magna vicissim
Imperia Omnipotens certa ratione gubernat,
Sicubi corruptos certa servare ruina
Aggreditur populos,élioremque addere sortem.
Romanis tremefacta armis aegyptia conjux
Effugit; ipse oriens aevo macieque senescens
Proruit in praeceps convexo pondere nutans;
Spiritus occidua major superemicat ora,
Et solvit veteris nutantia vincula mundi.
Tum Deus eoum hesperio connexuit orbem [8],
Quo tellus omnis, sincera innoxia pace
Composita acciperet Christi mirabile Verbum,
Nullaque inerranti obstaret vis obvia luci.
Ecce autem Paxon [9] venientem nauta salutat.
Confestim accedens navisque viaeque magister
Haec, inquit, nobis venerabilis insula semper:
Tempore nam Tiberi remeabat ab aequore pinus

Argolico, et fluctus findebat laeta tumentes,
Jamque in conspectu Paxos patet insula; nautae
Atque viatores tremulo sub lumine lunae
Somno procubuere alii per transtra jacentes,
Libabant alii spumantia pocula bacchi;
Ecce repentino colles clamore propinqui
Insonuere: vocat Thamum vox maxima: navim
Ipse gubernabat, puppique sedebat in alta,
Sidera collustrans: iterum ferit aethera clamor
Nequicquam: clavumque regens velisque ministrans
Ille gubernaclo haerebat. Sed tertia postquam
Vox sonuit gravior, validoque exterrita pubes
Remigio abstinuit, qua vocem silva remittit,
Attonitus volvit flammantia lumina Thamus,
Et fantem audivit: Quo pergere tendis, abito:
Hoc unum moneo. Cum interlabere Palodi [10]
Praeruptas rupes, i nuncius, atque referto,
Quod magnus Pan occubuit. Mandata secutus
Thamus, ubi primum scopulosa cacumina cernit,
Signatamque oram, puppi denunciat alta
Occubuisse Deum. Tenebris nox alta silebat,
Sed subito auditi e luco resonare silenti
Ingentes gemitus, et luctisoni ululatus
Funus lamentantum ingens tristemque ruinam.
Miratur Thamus, miratur nescia pubes,
Sed nemo potuit rerum cognoscere causas!
Talia narrabat navis moderator, et omnes
Pendebant miro eloquio: sed junior Hermus:
Scilicet occubuit magnus Pan [11]: nomine Panis
Graecia caelumque et terras, camposque liquentes
Naturamque sinu genitalia semina rerum

Gestantem, vastaque adeo se mole moventem
Agnovit, plenaque Deum veneratur acerra.
At nunc, exorto caelesti lumine, novit
Veracem obsequiosa Deum natura, suoque
Grata Creatori [12] male raptos reddit honores.
Tartareae pestes trepidum regnare per orbem
Assuetae ingemuere. Potens consurgit inerti
Terrigena e somno, et victor nova robora sumit,
Veracem agnoscitque Deum. Sic ille monebat
Veras explanans causas: nautaeque potentem
Christigenam stupuere, et dia oracula fantem.
  Ecce gubernator puppi speculatus ab alta
Italiam clamat: cuncti clamore sequuntur
Italiam, ripasque vident adstare propinquas,
Brundusiique arces: via tum tellure potitos
Appia ducebat magnae sub moenia Romae.
Tranquillus portus lentum est curvatus in arcum:
Tutum perfugium confecerat arte magistra
Impulsis fluctu adriaco Natura carinis.
Leucius occiduas Petrum comitatus ad undas
Christiadum coetum sanctas cogebat ad aras.
Grajugena impatiens venerandum visere gestat
Pastorem, atque Deo promissum exolvere votum.
Inde viam repetit: spes addita crescit eundo.
  Ut primum ausoniis posuit vestigia regnis,
Actaeae sensim excedunt telluris amores,
Assurguntque novi, qui pectus imagine complent
Insueta rerum. Sublimia vastaque cuncta!
Moribus it natura aliis, aliusque locorum
Est habitus. Quantum poterat spectare, patescit
Immenso veluti flavescens aequore campus,

Omnia frugiferis undantia messibus arva,
Appiaque occurrit praestans Regina viarum [13].
Adspicit admirans monumenta insignia luxus
Templaque magna Deûm, praecelsa palatia mole
Marmorea, tumulos dextra laevaque frequentes.
Consistit crebro, tacitusque in mente revolvit:
Haec via, qua humani generis glomerata propago
Partibus e variis aeternam accurrat ad urbem.
Planitiem immensam et cerealia jugera montes
Claudunt perpetui, nemorosaque saxa praealtis
Visa cacuminibus summum prope tangere caelum:
Sed juga, sed montes viridanti palmite rident.
Mox varias hinc atque illinc circumspicit urbes,
Paciferis studiis, aut martis laude cluentes
Omnes, egregiis oppletas civibus omnes,
Quae strepitu vario fervent, et longa viarum
Taedia praepediunt, et pinguia culta coronant,
Queis ver purpureum toto non deficit anno.
Aëria tandem veluti consurgere nube
Romani incipiunt colles. Miratur, et haeret
Aspectu tanto, magnarum ingentia rerum
Ordia praecipiens; Romae reverentia crescit.

Qui sensus olli bipatentia moenia primum
Intranti, passimque oculos per cuncta ferenti?
Jamdudum egregius Juvenis monumenta vetustae
Volverat historiae, fatoque excussa sinistro
Viderat imperia, et praeclarae inviderat urbi,
Quae virtute sua cunctas tremefecerat oras.
Haeccine Roma, inquit, quae parva palatia primum
Mox septem tenuit colles, campique patentis
Aequora? quae primum posuit pomoeria, posthac

Saepius extendens, Tiberina desuper unda
Injecit pontem, et clivis dominata propinquis
Janiculi, vaticanis extruxit in arvis
Ardua tectorum, et lucis habitavit opacis,
Edomitumque orbem totum in sua tecta vocavit?
Fertile qua Tibur, qua pinguis Aricia, surgens
Immensa ceu mole gigas, undantia pandit
Brachia: Tirrenus Tiberina sub ostia fluctus
Claudit, et allapsu totam circumfremit oram.
Majestate nova septenas occupat arces
Alma triumphatrix: felix opulentia fulget
Molibus extructis operum, artificumque labore,
Quo victus fudit congesta aeraria mundus.
Nobilitate potens praecelsis collibus, unde
Lumine purpureo splendescit largior aether,
Tollit luxurians fastigia summa minasque
Murorum äerias: demissam humilemque Suburram
Pauper habet, miserosque extra pomoeria pagos.
In medio, veluti conferto examine densae
Agglomerantur apes, domibus congesta domorum
Culmina: dispersae varia regione morantur
Devictae gentes, latiis decora alta trophoeis.
Cappadocum haec regio: haec Scythicae telluris alumnis,
Haec statio Hebraeis. Popularis fluctuat unda
Per plateas, strepitu ingenti via personat omnis.
Hic equitat longis acies praetoria pilis.
Illinc patricius curru procedit ovanti,
Atque eques asiacae monstrans documenta rapinae.
It matrona potens pilentis mollibus, itque
Moecharum stipata phalanx, famulique sequaces.
Romanos rerum dominos miraris ubique.

Major vita foro tamen emicat: effluit illuc
Roma catervatim varia ambitione laborans,
Inde alios repetit cursus, aliosque recursus.
Illuc praecipue sine re, sine nomine turba
Laudans Romulidûm fumum strepitumque potentum
Vespere, mane ruit, segnisque perambulat almae
Luce fruens Romae: Circos, et magna theatra
Balneaque et victum romana aeraria pandunt.
Ille urbem explorat totam: Capitolia celsa
Romanumque forum vidit, lautasque Carinas
Et martis campum (Circos, et magna theatra,
Milleque mygdonio fulgentia marmore templa
Effugit, neque fas oculos, animaeque pudorem
Virgineum effigie rerum temerare profana);
Omnia perculerant animum, praeque omnibus unum hoc,
Innumeros populos eadem consuescere in urbe,
Germanos Gallis mixtos, Afrisque Pelasgos
Incessu varios habituque et vestibus omnes.
Conspicit, et magno stupefactus numine clamat:
Terrarum dominam, et populis caput omnibus urbem
Romam dixerunt, tali quae nomine digna.
At quamvis tantae percülsus imagine molis,
Omnia posthabuit juvenis, magnique Pudentis
Limina, Christigenis unis loca nota subibat,
Nuncia grata tibi portans, o Maxime pastor.
Quem simul ac sancta trepidum formidine coram
Conspexit Pater, et graia resonare loquela
Audiit os, tabulasque videt pastoris amici,
Hortatur subito juvenem, laetusque profatur:
Ecquid agit rerum Dionysius? Ut valet ingens
Lumen Cecropiae, et pastor clarissimus urbis?

Fortunatum, inquit, nebulas qui primus avitas
Contemsit, simplexque animi sapientia verum
Edocuit. Christi cum funere visa repente
Omnia contremere, auditus fragor undique terris,
Ipse videns subito defectum lumine solem,
Unus praeveniens aevi documenta futuri
Illas profudit stupefacto e corde loquelas:
Seu Rex Naturae patitur, seu cuncta feruntur [14]
In nihilum, et natura ruit spoliata magistro.
Quid mirum, toto si pectore combibit ingens
Eloquium Pauli? verique abscondita magnum
Vicere ingenium exculta ratione paratum?
Dic, agedum, quae grata refers, fili? Attica tellus
Templa videt deserta deûm? consurgere signa
Christiadum videt et Christi notescere lumen?
Audiit Hermus avi laudes, et nomina honoris,
Attollitque animum, et roseo sic incipit ore:
O Genitor, quae cuncta vides perfecta per orbem,
Ipsi Grajugenae spectant: per rura, per urbes
Tartareae fugiunt tenebrae, defessaque nugis
Graecia suscepit verae argumenta salutis.
Praestans Grajugenae ingenium, viridisque juventa
Perculerant Petrum, rerumque exorsa capessens:
At te, quandoquidem grajae virtutis imago
Tanta nitet, quonam veterum decora inclyta ducunt
Praecipue? Pleno num Curia magna tonantem
Eloquio patruum videt aequiparare magistrum,
Et res Cecropidum meliora ad fata referre?
Tunc Hermus toto suspirans pectore: Quidnam,
O genitor, quaeris? quae virtus vivida, fandi
Copia quae poterit patriae auxiliarier aegrae?

Istuc ingenii me libera vena tulisset.
At postquam cessit romano subdita sceptro [15]
Graecia, nil genti omnino nisi vita relicta est,
Et privata nefas et publica quaerere jura;
Quae fuat ingeniis melioribus alea major,
Quam grave servitium? tota florebat in urbe
Nomen Areopagi [16]: dum res stetit integra, dictus
Divorum sedes, Themidemque aequaverat ipsam,
Integritas donec morum rebusque regundis
Incorruptus honos, annis prudentia maior
Munivere viam. Nunc gloria prisca recessit,
Et tantum historiis veterum descripta patescit
Circumquaque nitens insueta Graecia luce
Carminis altisoni, sophiaque et fulmine martis.
Graecia servitum ruit omnis, perdita luxu
Ludisque obscoenis. Heu! dum labefacta fatiscunt
Omnia, dum foedo jacuere natantia somno
Lumina, Tarsensis nostram veniebat ad urbem,
Et fera flexanima movit subsellia voce.
Insueti genus eloquii me perculit ingens;
Per fora, perque domos Grajûm stupefacta morantem
Pectora consector, magnaeque illectus amore
Doctrinae, ejuro veteris documenta minervae,
Nec Demostheneos flammantia spicula miror
Amplius, atque Stagyritam, doctumque Platona.
Ex illo, quoniam dotalis regia Christo
Parta Redemptori permulto sanguine venit
Jerusalem, inviso sancti incunabula regni:
Inde Asiam peragro: quacumque Ecclesia Christi
Emicuit, procerum relego vestigia sancta,
Doctrinaeque novae sequor historiamque locorum.

Hic Senior grajum laeto jam lumine cernens
Per sacra ingenium tensis spatiarier alis:
Perge, ait, o fili: requiescat Graecia in uno,
Unde malis hominum primum medicina parata est.
A tu quid venias? age fare; negotia rerum
Tractare, an magnae miracula visere Romae?
Erubuit subita commotus voce, stupetque
Cecropida attonitus: summi reverentia honoris,
Quae secreta diu premit alto in corde, silere
Consiliatur, et ultro genas suffundit honestas
Ingenuus pudor, et tremulo vox errat in ore.
Ancipites animos, curisque ingentibus aegrum
Agnovit senior. Penetrans abscondita cordis,
Interiora videt certamina, et ore paterno
Ocyus alloquitur: Quaenam te adversa fatigant,
O fili? tibi numquid opus? quid nostra juvare
Sollicitudo queat? Qualis post ignea noctis
Tempora, cum caelum flammato incanduit aestu,
Si tandem aurorae exorientis lumine, lenes
Exurgunt Zephyri, placide motantibus alis
Aequora crispantes, languescens nauta triremi
Immota gestit, toto tum pectore captat
Auras roriferas, anima interrupta resumit
Officia, insuetumque capit per membra vigorem;
Hermus talis erat. Patriis hortatibus haurit
Antiquam virtutem animo, magnoque dolore
Saucius ex imo traxit suspiria corde:
Farier ergo jubes, Genitor '7? Rescindere velum,
Quod premit arcana nostrum ceu nube dolorem?
Quando jubes, fabor. Miseris succurrere suetus,
Quandoquidem ipse malis medicamina prima referre

Diceris, eja precor, veniam concede roganti.
Adventus longaeque viae, Pater optime, causa
Est amor, unus amor. Vitae melioribus annis,
Cum nihil ipsa sui mens conscia fertur, et omni
Pellicitur specie, nullique obnoxia culpae
Ludit, nota mihi formosa puellula: nobis
Par aetas, animique pares: sic crevimus ambo:
Utque diu nostros jungebant fida parentes
Vincula amicitiae, et tectorum pervius usus,
Crevit amor. Multos vicit facundia Pauli:
Praecipue Patruus stupefactus numine tanto
Restitit, heroemque sua intra tecta vocavit,
Mutatusque sacra voluit perfundier unda.
Ex illo foeda ejiciens simulacra deorum
Ad sacra Christiadum aufugi, nomenque professus
Sanctam militiam amplector. Formosa virago,
Cui similes animos concordia fecerat, ingens
Exemplum sequitur; nostris sermonibus aures
Praebuit et Christum edidicit, fideique repostis
Edocta alloquiis sacrato fonte renasci
Expectabat ovans; socio mox foedere sanctus
Jungeret Antistes. Tantum pater Iphitus [18] obstat.
Oranti Paullo pleno pugnare senatu,
Cum Jesum audivit dia virtute sepulchrum
Vicisse, et superas surrexe ad luminis auras,
Ausus; ubi veterum effigies liquisse deorum
Deprendit natam, verbis castigat acerbis,
Meque domo extrusit, natamque per avia ducit
Terrarum, nostros quo obliviscatur amores.
Audivit Senior pius, occultoque dolentem
Vulnere festinat paullatim extollere: Christo

Fide tamen, Juvenis: nec connubialia vincla
Servator solvit, castumque abolevit amorem.
At caelo natum macula detergier omni
Edocuit, terraque humili consurgere caelo.
Et sibi conjugio copulata Ecclesia sancto,
Ipseque formosos oculos, sponsaeque comantem
Laudat caesariem, et sancto respondet amore.
Et tu sume animos: quod nomen Virginis? instat.
Ceu, spirante Euro, calefacto in fomite crevit
Ignis inardescens, et vivida flamma rubescit,
Haud secus exarsit juvenis, cum spectat amores
Non damnare suos, potius miserescere Patrem.
Laetatur, nomenque Eunae cito protulit. Eunen?
Admirans repetit Senior: pater Iphitus? orbes
Tunc spectans Petrus aethereos, animoque volutans
Eventus varios: Quae suaviter omnia tractas,
Omnipotens, cui fas hominum praevertere? Saepe
Te fugit, in mediaque fuga tua jussa facessit
Terrigena, obsequiturque volens renuensque jubenti [19]
Et mox laetato subridens respicit ore
Hermum admirantem, et dictis affatur amicis:
At tu parce metu; pacta laetabere sponsa.
Haec tibi praedico: vestro benedixit amori,
Sanctaque conjunxit caelo connubia Christus.
Alloquio attonitus juvenis jam multa parabat
Dicere, sed Senior: Satis haec: ne cetera quaere:
Quin potius vestiga oculis per cuncta, require
Patrem infelicem, qui nata afflictus adempta
Aut jacet in tenebris majora pericula vitans,
Aut natam amissam quaerit per compita fixum
Corde gerens misero magnum, insolabile vulnus.

Crediderit tamen: ipse sacris altaribus Eunen
Eripuit, raptam Christus custodiit Eunen,
Incolumemque Patri meliori tempore reddet.
Junior attonitus (neque non certissima retur
Singula, quae Senior secura mente profatur)
Augurat optatum finem superesse laborum
Exultatque animo. Tum lenis lacryma laetis
Emicat ex oculis; roseo vis purpurat ore
Ignea, poestano ceu lecta rosaria cultu
Primo mane rubent, si caelo decidit humor
Roscidus, atque ardent nativo suaviter ostro.
Inflexo ipse genu media procumbit in aula:
Ut te conspicio dubiis succurrere rebus,
Rex caeli. Quaecumque paras, spes omnis, et omnis
Christiadum a te uno pendet fiducia. Quando
Et pater es, dicique cupis pater, accipe natum.
Nec frustra eloquitur senior, tua sceptra vicesque
Qui gerit in terris: magnam tu mentem animumque
Inspiras: sua dicta reponam condita mente.
At Rex Christiadum (sua quamvis otia fructum
Atque sibi atque urbi geminato foenore reddunt)
Constituit tandem e tutis exire latebris.
Quo mage praesentit tot operta tumescere bella,
Acrior assurgit caeleste infundere robur.
At discessurus sic digerit omnia: Tempus,
O socii, tandem tacitis erumpere claustris.
Multa mihi peragenda instant: absente Nerone,
Pauca serenato nitet indulgentia caelo.
At tu, magne Pudens, Romam quacumque vocato
Pastores Italûm: dum tempestatis iniquae
Horrida prospicio glomerari nubila, fortes

Casibus adversis socios concordia praestat.
I, Clemens: quoniam spes caelo innititur omnis,
Nostra refer mandata piis: tres ordine luces
Pastores omnes libent, regemque supernum
Orent suppliciter, magna comitante corona.
At sedes mutare juvat: Capitolia ad alta
Qua modo Narcissus [20] meliore palatia cultu
Mutavit, Numen populus caeleste precetur,
Ut fundata suo mysteria sancta cruore
Illustret, sanctumque potens tueatur ovile.
Talibus imperiis magno suspensa timore
Haerebat stipata phalanx; nihil hiscere quibat
Ipse Pudens; Glaucas sed longa silentia rumpit
Junior, et juvenum ritu fidentior orsus:
Sancte senex, quae deinde jubes? unum omnia contra
Stant caput, inque ruunt unum jacta undique tela.
Cede volens; aut polluta migremus ab urbe,
Hanc timeo pacem, et quorsum tarsensia vertant
Judicia, aut alios quamprimum exquire penates,
Haec si adeo suspecta domus, neque credere tutum
Per mediam sese Romam, per nota viarum.
Adrisit Petrus: neque non jucunda Parenti
Natorum pietas: demissaque lumina cernens:
Vos omnes terrent aurae, sonus excitat omnis,
Inquit: jam Christo dignas ostendite vires.
His oculis, his, inquam, oculis conspeximus ingens
Prodigium, arcani praesagia certa futuri.
Forte Capharnaum [21] populosam advenimus oram.
Dum pavidae gentes rerum novitate stupescunt,
Seque Dei agglomerant lateri, et comitantur euntem,
Ipse fretum transnare jubet. Quae margine ripae

Navis erat, subito in laetas deducitur undas.
Ipse videbatur pontus gaudere fluenti
Navigio: sed vix tellus urbesque recedunt,
Horribili incubuit stridens aquilone procella.
Ignibus aethra micat crebris, tonitruque tremiscunt
Ardua terrarum, certoque excussa magistro
Cymbula praeda natat pelago, rimisque fatiscit.
Interea Christus placidam per membra quietem
Hauribat. Comites magna formidine pressi:
Serva nos, Domine, exclamant, mors imminet: ille
Excitus clamore virûm, strepituque marino;
Namquae parva fides? inquit. Tum respicit aequor.
Aequore pacato, venti posuere, reditque
Nubibus amotis, placido lux aurea caelo.
Hoc erat indicium saeclis insigne futuris.
Hujus navis erat facies Ecclesia terris
Sparsa pererratis. Consurgunt saepe frementes
Venti transversa, et navim mersare minantur.
Nec prudens Deus ipse vetat, quo gloria maior
Crescat Christiadum diaeque potentia dextrae.
Nos navim interea regimus, clavumque tenentes
Hortamur socios mediis surgentibus undis.
Quis metus est? caelo supremus rector ab alto
Invigilat: tumidis tot tempestatibus actam
Per brevia et syrtes, videt ipse allidere navim:
Undisonum extemplo pelagum prospectat, et undae
Subsidunt, placidi redit indulgentia caeli.
Non dormit noster Dominus, sed numine magno
Humanas jubet in melius procedere sortes.
Tractantem caeli mysteria magna Parentem
Omnes suspiciunt taciti et fiducia crescit.

Ille autem, quamvis omnes per tela, per ignes
Arderent comitare senem, contentus abibat
Unius auxilio Glaucae. Tum limine portae
Subsistit, calidumque hoc fudit ad aethera votum:
At nos Te sequimur, Pater optime, maxime caeli.
Praetentos valui toties transcendere muros [22],
Te faciente viam, et potui procedere gressu
Semper inoffenso. Tua fulsit dextra labantem,
Et validos aptasti humeros, validosque lacertos,
Siquando tumidos humana superbia fastus
Extulerit, stygiaeque ausint obsistere turmae.
Eja age, tanta tibi nostrae si cura salutis,
Si toties potui insidias vitare paratas,
Te duce, perpetuum proprio hoc da munere, semper
Ut placeam tibi: luminibus tu lampada nostris
Praefer divinam, tu nostros dirige gressus.
Extra anni solisque vias, orbisque creati
Moenia, inaccessus vivis et nocte sepultus
Est locus [23]: amoto nigricant cava viscera tractu,
Quae Pater omnipotens inconsolabile vulnus
Mente gerens tacita, primoque elusus amore
Condidit, aeternaque domum caligine sepsit.
Justam divina invenit sapientia poenam,
Qua primum oblata specie regina niteret
Virtus supremi decus admirabile regis,
Justitia, et mulcta sontes compesceret aequa,
Ingratam turbam stirpemque exempla sequentem
Sperato ausuram male respondere favore.
Mira prius vasti quam staret machina mundi,
Fama est aethereos stellata in veste ministros
Effecisse Deum, solio qui astare [24] valerent

Conspicui, portentiferae primordia dextrae.
Alipotens genus aethereis de fratribus unus
Ducebat, facie pulchra et fulgentibus armis
Insignis late, et cunctas ceu stella cohortes
Anteiens, sparsa passim de luce vocatus
Lucifer [25]. Infelix! propriae malesanus amator
Formae damnosos concepit mente furores,
Jamque ope divina nusquam indiguisse, suisque
Credidit auspiciis semet praestare beatum [26].
Mox gravior trepidam malesuada superbia mentem
Incessit, caelumque ipsum furialibus armis
Poscere, stellanti e solio detrudere magnum
Induperatorem caeli, sibi poscere honores
Divinos, sibi stelligeras parere phalanges.
Aethera conscendam [27], super astra nitentia magnum
Constituam solium, caelesti in monte sedebo,
Stetque Aquilo lateri, subter cava nubila cernam:
Par fuero similisque Deo: sic ille profatur
Per convexa poli, sociasque in foedera turbas
Seditione potens quaerit, sonuitque rebellis
Buccina, terrificis rumpens clangoribus auras.
Demens! dum nimbos tempestatesque sonantes
Excutiens, tumidosque ciens in bella maniplos
Discurrit, subito disruptus ab aethere fulgur
Insonuit, celeri scindunt se nubila tractu,
Et bellator eques, trifido circumdatus igne
Apparet. Cernis saevis concurrere telis
Unum contra omnes: terror comitatur euntem.
Contremuere acies, viso ductore, rebelles,
Seque fugae dederunt. Cunctis mutatur imago
Antiqua, informesque cadunt per inane figurae.

It Michäel, totusque ardet caelestibus armis,
Horrendoque micat clypei septemplicis orbe,
Inscriptumque notis flammanti umbone coruscat:
Ecquis par summo poterit certare Tonanti [28]?
Ergo quae primo Pater immortalis ab ortu
Munera concessit, quaeque ollis gratia vivax
Contigerat, donum aligerae admirabile gentis,
Amisere: vident defectum lumine solem,
Dumque ruunt trepidas turba agglomerata per auras,
Panditur extemplo pestem absorptura nefandam
Horrida, opaca specus, ruptisque voraginis atrae
Faucibus injiciunt sese, si forsan ab ore
Conspectuque Dei fugiant majora timentes.
Qui veluti primo lucescens phosphorus astro
Fulgebat quondam, subita caligine mersus
Umbrarum evasit princeps [29] artisque malignae:
Quique Dei praedulce jugum sprevere, duellum
Ausi barbaricum et saevos miscere tumultus,
Imperium Satanae truculentaque jussa tulerunt.
Stant geminae pestes inferno in limine, *Culpa* [30]
Et *Mors*, quas uno atque eodem Styx horrida partu
Parturiit, primique dedit stabularier antri
Vestibulo, panduntque fores clauduntque tremendas.
Cardine nigranti sublustri formula luce
Nunciat: *Aeternum maneo:* aeternumque manebit
Supplicio regnum, quod vasto moenia terna
Circuitu totum cingunt, ternaeque dehiscunt,
Quantum acie nequeas imum contingere, fossae.
Intus tartarei deserta horrentia regni
Vanescunt, vastaque velut fornace liquescit
Ignis avernalis. Foeda loca nocte sepulta

Horrificae obnubunt tenebrae, longoque ululatu
Omnigenoque strepit gemitu deterrima vallis.
Per pice torrentes atroque bitumine fluctus
Volvuntur sontes; sensum mentemque putares
Ignibus ingenitos: poenae non omnibus aequae.
Pro meritis flammae [31] exagitant, flammisque moratur
Omne mali robur, quas justa ventilat ira
Aeternus judex, et inexorabilis Ultor.
Saepe aerumnosi exilii pertaedet, et astra
Suspiciunt, sed dextra potens avertit: iniqui
Immiserabiliter fundo volvuntur in imo.
Saepe inclamantes misero finire labores
Indomitos letho optarint; non audiet ullus;
Caelestes rigido colles adamante rigescunt.
Oderunt praesens, metuuntque futura, nec ulla
Spes fulget superas quandoque evadere ad auras;
Stat dolor, et rerum metas et tempora nescit.

Atque utinam tenebrosa acies Acheronte sub imo
Mansisset, neque vindictas meditata nefandas
Foedasset misero modo natum crimine mundum!
Namque ubi terrestri positum statione recentem
Conspexere hominem, cui diae semina mentis
Indiderat genitor, manuumque insigne suarum
Deproperabat opus vacuam transducere ad aulam;
Non requiere, nisi communia damna creassent
Humanae soboli, temerataque labe priori
Stirps omnis stygium praeceps raperetur ad orcum.
Sacrilego data poena dolo: caelestia templa,
Quae generi Deus humano secreta parârat,
Iratus clausit, gentesque habuere profanas
Horrendae valles acherontaeaeque cavernae.

Vix pauci quos venturi spes ignea alebat
Messiae caeloque beabat conscia virtus,
Divinum effugere odium: sed cetera turba
Innumera, immenso quaequae concreverat orbe,
Tartareo ductori ibat damnata rapina.
Tempus erat, neque dum aerumnosum clausimus aevum,
Gallica cum Sophia ingeniis tumefacta superbis
Antiquo dejecta loco sacra dogmata sprevit,
Rejiciens veluti infirmae vaga somnia mentis.
Dum passo errabat lymphata licentia crine,
Illico materies misero circumdata coeno
Invasit regnum: divinae semina flammae,
Per quae cognato posset se tollere caelo
Terrigena, ipsa novis studiis elata rejecit:
Humanasque animas, caelique erebique ministras
Aligerûm mentes, fabellas sprevit aniles.
Et nunc Ammerice [32] quae terris omnibus una
Liberior, docet arcani commercia mundi,
Ictus spirituum crebros, tabulasque rotantes
Vociferans: quaenam referet vox nuncia verum?
Scilicet huc recidet misero lymphata furore
Mens hominum! Simul ac sacris discedere castris
Audebit, qua auctor fidei morumque magister
Verum commissum sacra tutatur in arce;
Pestifera errorum nubes, quae saecula prisca
Foedârat, rursum pollutam erumpet in auram.
Huc ruit atque illuc ratio fidentior, atque
Nullo firmata auxilio mendacia adorat.
Si mentem et corpus [33], quamquam diversa duobus
Natura, Omnipotens terrena in mole manentes
Conjugio tamen arcano junctoque vicissim

Foedere conciliat; (ratio si cogitat, idem
Continuo sequitur contacto corpore motus,
Corporeo inque vicem motu ipsa movetur, et uda
Materie impressos ictus per mutua sentit:
Sic anima alterno coalescit foedere membris,
Attamen ipsa potens quo divida vivere possit;)
Anne Deum exuperat, fragili ut compage soluta
Tandem anima effugiat mortalia jura superstes,
Et bene promeritas in caelica templa receptet,
Dulcia felicis fruituras praemia sortis,
At sontes foedo damnatas crimine poenis
Ultricis flammae et stygiis exerceat umbris?
Quo gemitu quave invidia damnata malorum
Agmina spirituum Bethlaeo nascier antro
Audierunt puerum? donum inviolabile pacis
Agnovit [34] caelum, laetae quo nuncia sortis
Insueta emicuit flammanti lumine stella:
Agnovit mare; sub pedibus cita constitit unda,
Diaque substrato tenuit vestigia ponto.
Agnovit tellus, subito quae concita motu
Naturae auctorem ingemuit cecidisse, patremque.
At non agnovit Satanas. Deus occulit illi
Arcanos partus, majestatemque supremam
Numinis, objecta mortalis imagine formae.
Ille sed occultam, supraque humana ferentem
Sese virtutem Solyma innotescere vidit.
Vidit, et addubitans suspecta mente patrantem
Mira tot aggressus crebro tentamine [35]: victus
Proripuit sese, sed nescit ferrea solvi
Ex oculis nubes, neque fas mysteria magna
Complentem novisse Deum, et per foedera pacis

Certantem terras patrio conjungere caelo.
Ast ubi Servator tenebroso irrupit averno
Signa ferens Crucis, immortalique refulgens
Imperio caliganti detraxit ab antro
In nomenque suum, atque fidem sperantia patrum
Pectora; apostolico impatiens mox audiit ore
Bissenas resonare tubas, et tartara regna
Paullatim antiquis sensit spoliata rapinis,
Transcriptosque novos in caelica templa colonos;
Id quod erat, novit: caeli reserata nitentis
Limina viderunt: mortisque cöercita foeda
Imperia et culpae medicamina lata, polique
Conciliis revocatum hominem mercede redemptum
Ingenti, et summi pacatam vindicis iram.
Pars tristes sine sole domos, caecasque tenebras
Queis latuere prius, rapido perrumpere tentant
Effugio; duplicat graviora repagula dextra
Omnipotens, terramque inter volvuntur et astra,
Caelicolûmque domos fidas, hominesque beatae
Flumine laetitiae cernunt innare, feroxque
Aegrescit cura invidiae superexcita flammis.
Pars opus infandum peragunt, furtimque dolosis
Insidiis tendunt firmas evertere vires
Christiadum, et mundo majorem offundere noctem.
Nec vetat ipse Pater Superûm, quo intacta vigeret,
Ornamentum ingens, homini concredita dono
Libertas [36], quiretque sua virtute mereri
Praemia, sperati immortalia gaudia regni.
Ipse Pater sinit äeriam deerrare per oram,
Et sua fraternis regna excutienda trophaeis
Cernere, dum certo benenata Ecclesia fato

Propagat magnum magna incrementa per orbem,
Taenarias vincens furias, populisque vocatis
Profert divini pretia infinita cruoris,
Perfacilem cursum monstrata ad sidera pandens.
Ipse praeit Satanas furibundo examine: gaudens
Corda cupidineis humana lacessere telis
Terrarumque orbem antiquis cohibere tenebris,
Lucifugas acies [37] per vasti moenia mundi
Disposuit, pugnasque regit stimulatque furorem.
Aërio assuetus sese praecingere nimbo,
Sicubi terrena ignotus regione vagatur,
Saepius humanas audet simulare figuras.
Divini nihil at superest, alienaque formae
Furatus spolia, horrendum, execrabile monstrum
Per terras se circumagit; terrorque minaeque
Insidiaeque ferox stipat comitatus euntem.
Hirsutam capiti galeam, clypeumque sinistrae
Insertat, qualis funesta in praelia iturus.
Vae misero! caeleste decus, cristasque decoras
Amisit flictu horribili, parmamque adamante
Sidereo ardentem divinus contudit ensis.
Quaenam turbatos vultus circumtegit umbra
Moestities? nigricant caperata fronte furores
Perpetui, atque oculi flammata luce rubescunt,
Sanguineus qualis sublustri nocte cometes.
Loricam ingentem rupit penetrabile fulmen
Desuper illapsum, patuitque in pectore hiulcum
Vulnus, quod fecere ignes, sanieque cruenta
Manat adhuc; vultu spectat saepe ille feroci,
Et ferrugineo nequaquam obducit amictu;
Namque dolet latitans, graviusque aegrescit apertum;

Intus adest imas urens styx foeda medullas.
Mens superinductis tenebris manet obsita [38]: vafrum
Ingenium latrociniis insigne creandis
Calluit insidias omnes artesque latentes.
Mente mala est animus pejor: rectumque bonumque
Ignorat, perstatque malo obfirmata voluntas [39].
Dumque assueta dolis injusta aversaque aberrat
Mens, cui poena comes, diam splendescere lucem
Conspectat, rebusque novis procul amovet ipsum
Omnipotens manus: auricomo dum cuncta nitore
Fulgere miratur, squalore informis iniquo
Objectis circum stygiis remoratur in umbris,
Conceditque Deus tantum spectare, quod acrem
Augeat invidiam, renovati foedera mundi,
Suppliciique sui non eluctabile monstret
Judicium. Saevit terramque perambulat omnem [40],
Tartareae ingeminans vestigia foeda ruinae.
Sic et anhelantem triplicato ex aere molossum [41]
Laxat sub noctem dominus; vasta ille cohortis
Atria perlustrat rabidus, magnoque latratu
Turbidus exululat; vicinia tota tremiscit.
Custodit tamen ille domum, occultosque latrones
Occursare ausos morsu discerpit acerbo.
Non tamen ille suos sentit mansuescere luctus.
Ceu quandoque aegrum [42] depascitur arida febris
Quamvis aut caelum aut mutat conclavia, fulgens
Indi dentis honos thalamis, pulcherrima vestis
Stragula, sive jugis jucundior aether apricis
Nil morbum relevant, fervorem et frigora sentit,
Cognatique mali fibris vis serpit in imis.
Ergo peragrârat vasti confinia mundi

Rex Erebi Satanas, duplici tutamine firmans
Regna olim sua, fraternumque ad dira perhortans
Noctipotens agmen: sed magno inopina dolori
Causa superfuerat, simul ac florescere Christi
Conspexit sobolem, subitaque excussa ruina
Hac illac passim labefacta dehiscere regna.
Tum praetergredienti Aegyptia regna, reductis
Finibus Afrorum, qua Khami foeda propago
Laesi fatifera attulerat convicia patris [43],
Occurrere olli profugi statione relicta
Judaeae et Syriae, duo propugnacula belli,
Astaroth, et Moloch. Coeno lutulentus iniquo
Astaroth [44] obscoeno gaudens confundere gentes
Concubitu in venerem rapiebat more ferarum,
Humani delens vestigia prima pudoris,
Errabatque furens per turpia lustra Corinthi,
Impia perque Asiae fana, et praepostera furta
Suadebat populo divis auctoribus, ipsum
Fasque nefasque docens nullo discernere fine.
At foedus Moloch [45] flamma gavisus et auro
Constituit propriam per Caanitida sedem,
Praecipue ammonias stimulans ad barbara gentes.
Nec quidquam Isacidae sacrarum fulmine vocum
Profuerunt vates. Judaeam invasit in omnem
Atrox improbitas; dira obsidione redemptum
Abducens populum deserta per invia Moses
Aversam plebem properatam ad numinis aram
Repperit indignans sacrum celebrare nefandum.
Quin etiam Salomon quo non sapientior alter,
Postquam connubiis sese maculare profanis
Ausit, Jerusalem prope moenia, vertice in ipso

Montis oliviferi, templum solemne sacravit,
Et statuam solidis auroque atque aere metallis
Imposuit, sacrosque dies, mystasque tremendos,
Mos quibus aggestis cava per conclavia flammis
Injicere ardentes pueros, dumque addita lignis
Hostia flagrabat, berecynthia cymbala passim
Excutere, et miseras tinnitu extinguere voces.
Ut Satanas procul elapsos regione remota
Daemonas insueta trepidos formidine vidit,
Agnovitque fugae caussas, subitasque ruinas,
Infremuit secum, totusque perhorruit, orco
Extremum exitium metuens, cladesque propinquas.
Jamque pedem referens supero revocabat ab orbe
Praecipuos scelerum comites, regnique statores.
Participes operum caeli convexa relinquunt
Taenarii fratres, ingentisque intima luctus
Corde recondentes vestigia lenta sequuntur
Ductoris. Rabido is confixum pectore vulnus
Securo aspectu abdiderat, truculentaque gestans
Proposita abstrusas repetebat saucius umbras,
Sepositam insidiis sedem arcanisque fovendis,
Ne quidquam in lucem vulgi imprudentia prodat.
Demens! qui caeli regem latuisse putaret
Omnia cernentem! Jamque ipsa sub ostia ditis
Perveniunt: geminae, famularis turba, sorores
Nigranti exiluere throno. Mors ossibus altis
Nixa et mèmbrorum laceris compagibus ollis
Ibat in occursum, nunquam saturata recludens
Guttura; nec comitem Culpa aversata refugit,
Horrida sustollens capita informesque figuras,
Inque patris foedos complexus corruit: ille

Horruit exitiale scelus, partumque nefandum
Rejicit horrescens laeva, dextraque protervum
Abscondit vultum, et foribus sese intulit altis,
Et foedis Erebi patuit regnator in umbris
Vasta mole gigas. Tribus ingredientibus, atrae
Ingenti passim strepitu intonuere cavernae:
Atque iterum atque iterum raucus circumsonat horror
Frustra clamantum. Proceres regemque tuentur,
Jamque recrudescit non consolabile vulnus,
Et metus et lacrymae et dolor et suspiria et irae,
Atque amissa subit fraternae gloria formae.
Non tulit id Satanas, lacrymisque immania miscens
Murmura turbatus refugit, penitusque caverna
Sevocat horribili fratres, consultaque quaerit
Exposuitque furens lymphati incendia cordis:
Tartarei Proceres, regni spes maxima nostri
Nostraque praesidia, huc vestras advertite mentes.
Et vestra, atque mea intererit. Mihi sola voluptas
Ultio: quae stygiis odia implacata fluentis
Ardent, quaeque novo aeternus dolor aggerat aestu,
Exaturare juvat: mihi gaudia sola relicta haec.
Quanta per eoos facit infortunia campos,
Qui caelo extorres phlegetonte cöercuit imo,
Conspicitis. Nostris quondam si prospera coeptis
Defuerat fortuna, nitentes si aetheris arces
Liquimus, at nostro steterat medicina dolori
Tuta triumphatis dudum victoria terris.
Continuo sua conspexit procumbere templa,
Qui nos expulerat supera regnator ab aula:
Ipse palaestinis secretus montibus una
Judaea sese tenuit; mihi serviit omnis

Illa ingens moles, qua sol utrumque recurrens
Aspicit oceanum: solus toto arbiter orbe
Jura dedi. Everso ut posset succurrere regno,
Una salus victo, stellati e limine caeli,
Ut quivi humanis jamdudum haurire loquelis,
Impulit Unigenam. Stetimus tela omnia contra,
Vicimus; infami confixus robore Christus
Servilem in morem letho expiravit acerbo.
At nunc relliquiae miserae quae clade supersunt
Infanda, insequimurque diu terraque marique,
Nobis bella gerunt: e semiviro comitatu
Quem vulgo excerpsit, cui regni tradidit omne
Imperium, rerum possessoremque reliquit,
Bisseni totum indignis clamoribus orbem
Personuere: Asiam perturbant nostra per omnem
Sacra: Paraethonii superantes ostia Nili
Punica regna vident, atque extremos Garamantas.
Stabimus immemores, socii, foedoque veterno
Oppressi patimur nostrum procumbere regnum?
Dixerat haec Satanas: graviores aggerat iras
Moloch commemorans spreti infortunia regni.
Heu! quianam nostros cogor vulgare dolores?
Me nec Idumaeûm, veteris neque sacra Philistim
Deseruisse putes otî dulcedine captum.
Eoos video e nostris evadere sceptris,
Ex quo per totum fidens exercitus orbem
Pervolat, et matutinis nova victima sacris
Nuper compositas centum mactatur ad aras.
Imo ego Graïorum antiquissima fana relegi,
Sicubi judaeis medicamina forte ruinis
Compererim: cecidit spes, invitusque fatebor,

Contremefacta silent majora oracula Phoebi;
Delphica [46] responsis tacuit cortina negatis,
Et dodonaeas quercus viduata rejecit
Aemathia; horrendi jacuit spelunca Trophonî.
Ipsa etiam Vates Ponto dominata propinquo
Thaurica bajanoque sinu Cumaea Sybilla
Deseruere diu consultas reddere sortes.
Tartareas sedes magni spiracula ditis,
Unde specus nostra haec squalenti immanis hiatu
Excedens superi prospexit lumina caeli,
Nescia mens hominum magno celebravit honore:
Taenara [47] contremuit stupefacta Laconia; montem
Ad nonacrinum stygiam venerata paludem
Arcadia, Epirus nigras Acherusidos undas;
Quid loquor Amsancti valles, et frondibus atrum
Horrendis nemus? at cunctis clarebat in oris
Finibus Italiae posita, et sub montibus altis
Credita nostra domus, fauces graveolentis averni.
At nunc caelesti lustrati lumine cuncta
Terrigenae sprevere diu: nos nostraque rident.
Talibus ardescens socias jactantior iras
Astaroth amplificat, foedoque haec corde profatur:
Phoenicum terras, Syriaeque sacraria fugi
Atque Asiae ipse etiam: fateor, me terruit ardens
Quae duodena manus passim documenta propagat,
Matres avertensque viros ipsasque puellas,
Nuptos innuptosque docens nova condita jura.
Quae si terrenas sinimus regnare per oras,
Emoto nostrum procumbet cardine regnum.
Pugnavi saepe, at pugna congressus iniqua
Victus defeci, simul ac ceu vivida lampas

Debellatae Ephesi praecelsa in turre locata
Haebraeas inter fortunatissima nuptas
Virginis os habitusque gerens, at matris honores:
Diviparam rentur vulgo dicuntque Mariam.
Ast ego, quae vidi submoto oriente, fatebor.
Est senior, Petrum dicunt, qui prima malorum
Causa fuit, natumque vigil moderatur ovile.
Bissenum quando numerum complere necesse
Et socium legere, Iscarii qui magna teneret
Munia, pontificem vidi illum cuncta regentem.
Si judaea fremit rabies, si murmurat audax
Desipuisse viros jactans vinoque calere,
Exprobat audaces Petrus. Si ferre salutem
Claudo, si divina loqui mysteria, contra
Primores urbis si fas certare potenter,
Aegrotos curare licet si corporis umbra,
Petrus adest: sive insidiae et discrimina rerum,
Seu res tranquillae, nullis et nubibus aer,
Ipse praeit; primo Petrus laetatur honore,
Jure prior; primum luctus et gaudia tangunt [48].
Dum nova virtutum praelucent lumina, dumque
Rarescit comitum usque magis viduata corona,
Anne manus dabimus victas, animoque quieti
Possumus hostiles spectare impune triumphos?
Non ita: si decuit victos, oriente relicto,
Cedere, nos alias potius revocemur ad oras,
Quo nostrum regere imperium concessa potestas.
Talibus excussi memorabant vulnera regni,
Effugiique abitusque gemunt opprobria: tristi
Aegrescunt gemitu longumque silentia servant,
Demittuntque oculos. Satanas dein increpat ardens:

Et graviora premunt: submoto oriente propago
Bissena occiduum sese convertit ad orbem,
Ausonidum fines magna legione penetrans,
Piscatorque galilaeus consedit in urbe
Roma jamdudum, et sedem hanc sibi deligit unam,
Imperii caput; hinc vasti moderamina regni,
Qua jacet Antiochia potens, qua tuta carinis
Dives Alexandria, ingens compagibus arctis
Imperium magno complexus foedere, Romae
Ipse manens, magno fraenat regna omnia nutu.
At vos eois terris, unde improba pestis
Defluxit, fugisse duos, statione relicta,
Non ego degeneres dicam: vis major, ibique
Explicuere hostes vasti molimina belli.
At nunc occiduo spes omnis constitit orbe.
Huc omnem, comites, operam vestrosque labores
Vertite, ne ausonios possint obsidere fines.
In primis nostri fortissima moenia regni
Firmate, et totum notissima templa per orbem,
Verbenas qua adolet pingues, et mascula thura
Caeca superstitio, praesentes visite: certa
Jactent Romulidae prae se responsa deorum,
Quamvis eventus evertent fata futuros.
Et si adversa fuat fortuna, aliudque laborum
Tentare auxilium jubeat, maria omnia caelo
Miscete, et nostros quocumque ciete maniplos.
Millia nec desunt tot defensoribus arma.
Ipse palatinum denso cingam agmine collem,
Et nova criminibus cumulabo crimina: vultus
Caesarea antiquos virtus mutabit in aula,
Virtutisque locum sublimi sede tenebit

Crimen: virtutem [48] mutata voce vocabo.
Et quoniam Senioris erit ceu vertice in uno
Nixa salus, pariterque ruet, pariterque vigebit
Cum Petro nostris praelata Ecclesia regnis,
Infandum caput hoc mille objectabo periclis.
Jamque graves casus versantem corde Neronem
Exercebo novis odiis, suspectaque cuncta
Efficiam, atque alium Romae ostentabo tyrannum
Surgentem, excidiumque olli solioque minantem.
Non faciet Nero? praevalidos agitabo Quirites
Spe veteris Romae, justis miscebo nocentes
Nequiter, imperium crescit per crimina nostrum.
Tum vero Moloch sueta ambitione tumescens:
Vidimus infandi tenus hac praeludia belli;
Et prisco e numero foedum desiderat agmen
Quamplures. Romae pugnandum cominus armis:
Sed facilis labor hic, Petrus si concidit unus,
In Petrum nostrae vertenda est machina fraudis:
Quem frustra Solymis, romana persequar urbe.
Serpere ubi videam venis furiale venenum,
Agmina foeda magos, quos Romae immisit in urbem
Graecia sive oriens [49], nostri firmamina regni,
Queis unum officium maculatam offundere nubem
Romanis animis, odio inflammabo recenti.
Nutantes tentabo sophos, tentabo rebellem
Progeniem hebraeam, trepidum tentabo senatum,
Et conturbatam infaustis rumoribus aulam
Excutiam. Nescit rapidos cohibere furores
Astaroth indomitus, dictisque superjacit audax:
Quandoquidem imperium mundi, regimenque tuendum,
Tartarei comites, mihi (tantum haec gloria maior

Praetulerit cunctis), date ineluctabile belli
Augurium. Tecto positam interiore puellam
Qua Nero vesana contactus peste flagrabat,
Christiadum fraudes rapuere: perhorruit amens
Insidiis Princeps, et tota perfurit aula.
Ibo, atque obscoenam per foeda incendia mentem
Obsidam, et veneris refricabo impura nefandae
Vulnera. Si fatum est Christum regnare secundis
Auspiciis, caelum terris avertere cogar,
Totque per impuram rerum contagia Romam
Miscebo, ut superas graveolens se tollat ad auras
Halitus, et crasso contristet sidera fumo.
Ipse profanatae renovabit fata Gomorrhae
Totaque terrarum moles considet in ignes;
Esto: collapsum labefacto pondere mundum
Conspicere, in mediisque juvat ridere ruinis.
Christiadas nostrosque eadem nox opprimet: ipse
Deserta ignotus dominus spatiabitur aula.
Nec plura: atque olli comites plausere loquenti,
Quo plausu phlegethontaeae sonuere cavernae,
Exiluitque ferox Satanas, risitque malignum.
Mox ait: o Socii, laetae capite omina sortis.
In primis nova lux, vobis omni arte cavendum,
Ne caliganti quacumque illuceat orbi.
Si mundus priscis squalescet conditus umbris,
Imperium sine fine datum tutabimur. Eja,
Antiquos revocate animos: super aethera magnum
Certatum atque Deo: terris certare licebit:
Vincere non homines levius? Neque plura profatur.
Impatiens terras parat ire ferocius agmen.
Ammerice qualis per plana immensa viarum,

Qua rota ferratos superirruit incita tractus,
Machina fumiferam anteferens ad sidera nubem
Increpat horrendum, ignitoque adaperta vapori
Valva fluentisono reboat stridore per auras;
Talis foeda cohors per tartara nigra pererrans,
Remigio alarum lethaeas dimovet umbras,
Dumque feri resonant gemitus saevique ululatus,
Horrisonae emoto panduntur cardine portae,
Et superas caeli tendunt evadere ad auras.
Tum nutu procerum sequitur stipata minorum
Spirituum manus, ut miseras inferna per urbes
Consilia armati insidiis astuque facessant.
Ceu quondam adventu veris, dum germine primo
Erumpit gleba e putri cerealis aristae
Spes, cupido agricolae voto expectata virescit
Herbida luxuries, nigrantum turba volucrum
Praedae inhians denso circumvolat agmine caelum,
Laetata et terras jam despectare videtur:
O terra infelix, qua exercitus incubat ingens,
Ingluvie longa validus, fessusque viarum;
Haud secus infernis erumpunt sedibus, atque
Visi romanis actutum incumbere terris.

Infelix Eune, qua te regione requiram
Quaeve tuae loquar, aut taceam infortunia sortis?
Cui neque laeta fuit patriae mora, Romaque sedes
Credita laetitiae fuit ingens causa malorum!
Christigenae demum, et consorti foedere dignae
Prima nitescebat tot caligantibus umbris
Aurea lux pacis; bacchantibus altera nimbis
Tempestas oritur, teque abripit unda resorbens
In medios actam fluctus; stant omnia contra,

Praecipitesque fugae formidataeque ruinae,
Nec laetum praesens, et spes incerta futuri.
Jamque operi styx foeda instat: pars ardua magnae
Fundamenta domus, quae nunc assurgit in auras
Pontificis fabricata manu, de sedibus imis
Excutiunt: juvenum pars mollia pectora telis
Obscoenis fodiunt: facilis jactura pudoris [49],
Extinctusque pudor virtutem diruet omnem.

Romanam ut Clemens trabeam, dominasque secures
Deposuit, Petrique sequens documenta loquentis,
Turpia posthabuit periturae gaudia Romae,
Magnanimi sequitur fratris vestigia, Christo
Se Plautilla [50] vovens. Vix sancta Ecclesia dio
Edocta affatu sacris excepit in hortis
Virgineum decus, et viduis reverentia maior
Obtigit: exortes sociali foedere, sanctae
Praetulerunt vitae speratas carpere lauros,
Desponsamque fidem cineri servare sepulto.
Servabat matronales moestissima vittas
Plautilla, utque fuit lustrata salubribus undis,
Urbano strepitu semota, Deumque timebat
Instabatque preci assiduae noctemque diemque,
Mortua deliciis, quas perdita Roma colebat.
Unica nata fuit Domitilla, piaeque parentis
Aemula perpetuis Christi se voverat aris.
Aque ubi Plautillam rapuit divinior aura,
Tradideratque domus conclavia maxima Petro,
Ipse videns una Christi pietate morantem
Mite ministerium viduae [51] concesserat. Illa
Externo peregre venientes littore Sanctos
Excipit hospitio, lassos errore viarum

Devenerata pedes lavat, auxiliatur egenis,
Et quocumque malo afflictos solamine blando
Recreat et regnum pia per benefacta paternum
Ostendit Romae, et natae argumenta salutis.
Has inter latebras vigili circumdata cura
Attica delituit virgo. Custodia solers
Externo strepitu procul, allapsuque Neronis
Foverat incolumem, ut caram nutricula alumnam:
Cumque per Aesquilias praenuncia fama Pudentis
Limina turbaret, medioque in honore sacrorum
Praetrepidans coetus suspecta excederet aula,
Extulerat mater medio e discrimine, molli
Complexu excipiens, tacitisque recondidit umbris.
Vix dubios casus tectis evaserat altis,
Et labyrinthaeis secretae anfractibus aedis
Externata latet, tutam constare quietem,
In quamcumque domus advertit lumina partem,
Conspicit; at veteres labefacto in pectore curae
Acrius assurgunt. Animae immedicabile vulnus
Sopierat solemne sacrum praeclaraque pompa,
Et modo nata fides expectatique triumphi.
Quid vero tristes valeat mulcere dolores
Mollius, atque salutifero manantia rore
Balsama terrigenûm laniato infundere corde,
Quam tua, Relligio, sanctis solemnia templis?
Jamque serenato primum resplenduit ore
Risus, securae donans incognita menti
Gaudia; sed subito rursus violenta dolore
Vulnera crudescunt. Turbat timor omnia, mentem
Virgineam obscuro nubes densissima nimbo
Occupat. Interea funesto saucia luctu

Flet noctem lucemque inconsolabilis. Illam
Praecipue patris casus movet, atque per urbem
Circumagi totam malletque requirere patrem.
Sed latebris efferre pedem truculenta Neronis
Barbaries vetat, atque agmen vestigia missum
Observata sequi. Qualis pavefacta columba,
Quam ferus accipiter fugientem pone fatigans
Unguibus insequitur volucrique per äera gyro
Arduus insultat, si praedatoris iniqui
Evasit furiis, latebrosi in pumice nidi
Stat pavitans, non illa fugae, non illa pericli
Immemor; infestae resonantia murmura pennae
Praemetuit, rostrumque immane, pedesque rapaces;
Haud aliter Virgo tectis se detinet altis
Multa querens, miseroque ciens suspiria corde:
O pater, o nostrae spes omnis et unica vitae,
Ah! quo te quaeram? tua quis dabit ora tueri?
Ah! natae malesuadus amor te perdidit, atque
Dira superstitio. Mihi consuluisse, tibique,
Sperabas alio terras sub sole calentes
Quaerens: quo ferimur confusi vertice rerum?
Tu Roma in media abstruso tumulatus in antro,
Si tibi perfugium quisquam monstravit amicus,
Odisti aetheriam justa formidine lucem;
At mihi nec priscas languenti in corpore vires
Instauras; vitae ancipiti famaeque periclo
Insperata fides, et caeli dextra tuetur.
Talia commemorans parvam secedit ad aram
Illacrymans, ceciditque solo, tibi, Christe Redemptor,
Credens arcanum alloquium, fletusque recentes:
Ah! mihi quae superest terris fiducia? Jesu

Omnipotens, Jesu humanae pietatis origo,
Quandoquidem humanis nulla est constantia rebus,
Omnia deseruere, inopem defende puellam.
Matrem nec novi miseram nisi nomine: Mater
Infelix! cui lux aegris fuit ultima terris,
Quae mihi prima fuit. Nec me solabor, ut olim,
Cum mea mortales haec vita reliquerit artus,
Aethere felicem complectar, matre recepta
Laetior: una potest sors haec contingere laetis
Christicolis: latuit matrem lux magna, nec istud
Abscedens liquit miserae solamen amanti.
At tu qui adverso perituram turbine servas,
Qui patriam actaei fugientem littoris oram,
Ne tibi thuricremas ultro sacrarer ad aras,
Romam affers, diaque manu contraria pellens
Sanctas inter oves, sine spe, sine matre puellam
Excipis errantem, nonne ipse in corde creasti
Hoc patris desiderium? haec suspiria cernis?
Has cernis lacrymas, quae me noctuque diuque
Conficiunt, incerta sequor dum cuncta, patremque
Quaero nec invenio? Patrem mihi redde, tibique:
Ah! tibi redde patrem. Tua per benefacta morantem
In terris cernens natam, qui perfidus hostis
Depugnavit adhuc, duce te, tibi fiet amicus,
Et qui me genuit, dono meliore rependam,
Gigno tibi fideique tuae. Nec plura profatur
Anxia, et ancipiti cura labefacta fatiscit.
Accurrunt lectae nota pietate sorores,
Alloquioque fovent: Virgo, depone timorem
Inque Deum jace spes omnes: namque aethere in alto
Alter adest genitor, nulli qui vota ferenti

Defuerit. Quae alia est generis fiducia nostri?
Qui bonus hybernae implacato sidere brumae
Exiguas defendit aves, et pabula praebet,
Tegmineque alarum vestit [5a], te, candida virgo,
Ire indefensam turbata per aequora saecli
Projiciet? tua cura sumus, Pater optime, tuque
Disjice tempestatem omnem, et miserere tuorum.
Vix haec virgineo tempestas corde resedit,
Altera consurgit furiosis horrida nimbis,
Quae miscens saevos glomerato vortice motus
Cor ciet insultans, et summa concutit arce
Submotam mentem, extremam latura ruinam.
Una fuit quondam aoniis celebrata camoenis
Gloria bellorum, malesana superbia quando
Obducto varias dirimebat pariete gentes,
Unde truces inimicitiae, funestaque bella:
Carminis heroi praeses regesque ducesque
Calliope cecinit, sonitumque audire tubarum
Lethiferum exiluit, martemque accendere cantu;
Dum fera sanguineum exagitans Bellona flagellum
Horrida inhumanae offerret spectacula morti.
Ast ubi desertas repetivit candida terras
Justitia, et vero docuit distinguere falsum
Atque animum regere et naturam in prava ruentem,
Atque placere Deo visa est victoria major;
Tunc sacro passim excutiens regna itala cantu
Magnanimus vates thusca depulsus ab urbe,
« Impiger, iracundus, inexorabilis, acer »
Errabat, tria regna canens, regna invia vivis,
Crimina quo, poenas, quo virtus, praemia ponens.
Attonitae circum gentes stupuere canentem,

Europamque omnem invasit sacer ignis, ubique
Barbaricos pellens inopino lumine mores.
Tunc nostra emicuit caelesti luce poësis,
Quae populos alio edoctos rectique bonique
Lumine persuasit bellum execrarier atrox
Indignos Christi fraternum rumpere foedus,
Ni fas jusque sinant extrema recurrere ad arma.
Ast ego Romulidûm numeros, animosque secutus
Libera per vacuum ponam vestigia campum.
Non aliena premam audaci pede. Mascula Virgo
Monstrat iter: vatem juvat immemorata referre,
Et dum ventosae fugio suffragia plebis,
Altera monstrabo populis speciosius arma;
Altera militiae austerae documenta docebo,
Quae potior teneras ornet victoria frontes.
Ex quo cecropiis Virgo discesserat oris,
Sperati effigies juvenis terraque marique
Errantem sequitur miseram. Roseo illa labello
Discit Christiadûm sanctas iterare loquelas:
At non discessit sponsi gradientis imago,
Occurritque oculis. Persaepe altare sub ipsum,
Sub primae noctis tenebras, reminiscitur Hermum,
Hermum, quem primum Christi documenta loquentem
Audierat. Bene nota animo documenta recursant,
Et juvenis lecti monitus, et prodita flamma
Conjugii, et lacrymis roseos suffundit ocellos:
Cumque pias pro Patre preces altaribus offert,
Flens Hermum memorat, votis atque adjicit Hermum.
Talia conspiciens surgentis semina flammae
Vis sociata Erebi miseram conjurat in unam:
Cumque serenato cernit requiescere portu,

Protinus accedens adversos duplicat ictus.
Selecto illa choro comitum secesserat, atque
Icta dolore gravi sese in secreta remôrat.
Omnia sola tacent; per muta silentia compos
Ipsa sui mens liberior spatiatur, et olli
Terraeque, tractusque maris, caelique profundi
Imperium sine fine datur. Damnosa Voluptas,
Blanda oculos, fucoque genas suffusa modesto
Omnibus illecebris ardentis corda puellae
Pellicere aggreditur. Molli praecincta rosarum
Stemmate, quae Idalii pulchris rubuere rosetis,
Ipsa manu laeta flammam sustentat odoram,
Unde liquor fluit ambrosius, totumque pererrat
Aëra, mollitiem inspirans blandumque venenum.
Qua graditur cumque, acteo vestita lepore
Omnia subrident; molles it vita per artus
Suavior, assistunt lateri risusque jocique
Et choreae. Natam viridi illam Amathuntos in horto
Et paphiae delubra deae circumdare Graeci
Finxerunt veteres. Vix limina prima puellae
Contigerat, curae effugiunt tristesque dolores:
Praesentem docet irrepens inopina per artus
Segnities: vario mens icta cupidine oberrat
Avia terrarum. Calefacta mente, videtur
Virgo sibi rursus mediis incedere Athenis,
Atque animo redeunt patriae fora, balnea, circus,
Aequaevusque chorus comitum, delectaque pubes,
Inter delicias, laeta inter gaudia vivens.
Ipsa eadem sese miscet ludentibus; errat
Magnis porticibus, patriae quae templa Minervae 53
Exornant, et ubi diae decora inclyta laudis

Exculpsit Phidiae manus. His intenta moratur
Mens, jamque effigies rerum subit altera maior;
Nam Panathenaeis [54] pleno cumulata canistro
Orgia sacra refert, pepli mirabile donum;
Ipsa manu et nutu dociles regit una puellas.
Tum patriae ipsius lecta obversatur imago:
O, salve mihi, cumque sonans examine Himette
Mellifluo: salve, teneris bacchate Cithaeron [55]
Virginibus: salvete mihi, piraea reductis
Littora navigiis: stat contra Aegina virenti
Margine, stat Salamin claris memorata trophaeis.
Proh! quantum ridet, fluctus speculata, jugisque
Edita oliviferis benecultae urbs Palladis, illa
Artificum, heroumque potens, et patria divûm!
Talia succedunt juvenili somnia menti.
Ipsaque suspecta trepidabat imagine, rerum
Nescia; sed graviora movent praeludia pugnam.
Infelix Eune! claustris inclusa remotis,
Inter languentis miseranda silentia vitae
Vivis? et humanas longe superantia vires
Dogmata persequeris? nescis, quae dogmata Christi?
Horrida barbaries, feritas inamabilis, ingens
Civilis cultus odium, socialia vincla
Dissociare potens [56]. Haec relligionis iniquae
Praescripta: anne licet ludos spectare frequentes?
Magnarum anne licet spectacula cernere rerum?
Vitabis Romam, coetus vitabis amicos [57],
Heu! te conde domi, te conde silentibus umbris.
Quae vita infelix! melius quae mortis imago!
Talis moesta querens fertur concentus ad aures:
Propositi sed Virgo tenax surgentia circum

Murmura contemnit, pugnamque interrita spectat.
Haud aliter solidis structi molaribus arcus,
Quos super insanus plenos equitavit in orbes
Cajus [58], subjectumque viros ejecit in aequor
Neptuno sacrum, si infortunata Dicarchus
Tempestate tremit, rapido immersabilis aestu
Pons manet immotus: nequicquam spumea circum
Vertigo insultat, nequicquam immurmurat ingens
Ventorum rabies; pelago dominata tumenti
Stat rupes immota, minas et despicit omnes.
Hic Stygius daemon maiora incendia miscet:
At tibi vix magnae subeunti moenia Romae,
Quae sors obtigerat! Romani principis aula
Ultro reclusa tibi! magnum ascensura cubile,
Caesareo e solio, victrix Regina Quiritum
Laeta ferebare, et sponsis factura latinis
Invidiam. Fugis ah! demens, et despicis aureae
Tecta domus, raris laqueata palatia gemmis.
At tibi deseritur justa formidine Roma?
Pro molli thalamo et regali munere mensae
Montanos inter silices, spelaea ferarum
Inter deserta errabis, stipulaque rigenti
Fessa inniteris? collecta urgebit edendi
Ex longo rabies? nudos vix conteget artus
Velamen lacerum? . . Tali molimine pugna
Ardescit, circumque fremunt propiora pericla.
Haud secus armata quando obsidione coronat
Hostis castellum, quod propugnacula mille,
Turrigerique apices super et latera ardua cingunt
Montis inaccessi, vis et natura tuetur:
Circum equitat bellator atrox, portisque minatur,

Si qua murales posset transcendere pinnas;
Securus victor montana desuper arce
Despicit insanos ausus, et inania circum
Praelia: non aliter furiis jactata minisque
Mens immota loco perstat, nec ab ordine cedit.
Tunc primum ignotae explorat molimina pugnae,
Quae movet interiora animae tentamina, quamque
Curant Christicolae adversa superare palaestra,
Atque extrema pati anteferunt. Hinc lubricus error,
Et concreta mali labes, et prava parentum
Semina divini contra dictamina juris
Languida membra cient [59]. Venis furiale venenum
Serpit, et offusa obnubens caligine mentem
Flamma cupidineo bacchatur mota tumultu.
Hinc animae aetheriae cognata potentia, quamvis
Viribus editior primaevae stirpis honorem
Servat adhuc, tamen assiduis tremit ictibus, atque
Longius ambiguo luctans certamine sensim
Virtutem antiquam sentit discedere, jamque
Anxia corporeis nutans compagibus ipsa
Deficeret; tua sed caelo delapsa sereno
Gratia, Christe Pater, rebus defendit in arctis,
Quandoquidem humanum allato medicamine solus
Sanasti arbitrium [60]. Duce te teque auspice, surgit
Christicola, et palma victor discedit opima.
Invida vis erebi juvenili in pectore virus
Miscet agens, caecoque admota cupidine falsis
Ludit imaginibus. Sed pugna hortator iniqua
Aliger aetherius favet auxiliaribus armis,
Et prope dexter adest. Rerum ipse hominumque creator
Invia terrarum densis horrentia spinis

Conspiciens, mediaque via, qua tendere caelo
Terrigena exquirit, post prima pericula patris
Caecas insidias, adopertaque bella timenti
Auxilium ipse viro, defensoremque ministrat [61],
Ex quo Christiadûm sacro perfusus in amni
Insuetum per iter patriam contendit in arcem.
Ergo repentino cernens surgentia motu
Praelia, dum prima Virgo proludit arena,
Stat juxta Puer, et quamvis caelestia vultus
Lumina siderii äerio contexit amictu,
Ipse novas artes, dubio nova pectore versat
Consilia, et menti formas inducit honestas.
Jam subit illius laetissima lucis imago,
Cum primum audivit Christi mirabile nomen,
Doctrinaeque novae stupuit conterrita lucem.
Ambo constiterant, ipsa et pulcherrimus Hermus,
Margine gramineo Cephisi [62]. Labitur unda
Subter, et halantem jucundis floribus hortum
Exhilarat. Vario inter se sermone serebant
Plurima, sed Virgo jamdudum saucia dulcem
Versabat curam, et placito indulgebat amori.
Demens! cecropias inter versata puellas,
Suetaque moeonium cum patre evolvere vatem
Crediderat Venerem, quod solum numen amantum
Graecia tercentum sibi conciliabat ad aras,
Aequoreae irrigua prognatam aspergine spumae,
Terrigenisque deisque pari dominarier igni.
Crediderat dominam aurato considere curru,
Quam dodonaeae purum per inane columbae
Vectarent leviter, pueri innuptaeque puellae
Fulgere conspicerent, pictaque incedere zona [63]

Insignem, qua mille ferat suspiria, mille
Et desideria et lusus, dulcesque querelas.
Ergo dum impatiens prima ardet pectore flamma,
Compellans Hermum roseo sic exciit ore:
Dic age, quem tanto Christum veneraris honore,
Vota libens curat juvenum, et miseratur amantes,
Et spes confirmat dubias, et prima secundat
Omina? Tunc juvenis caelesti saucius igne:
Ah! cave, ne mentem fallax abducat imago.
Numina quae colitis, mentis damnosa libido
Finxit, et insidians dio veneratur honore,
Ut primum exueret natura oblita pudorem,
Et genio indulgere suo, et peccare liceret
Omnibus impune, atque diis auctoribus [64]. Eja
Muta propositum, terrenis libera curis
Aude Christiadûm doctrinae assuescere sanctae.
Ah! tunc, quid sit amor, disces. Ceu populus undam
Propter flumineam, cui vitis nixa recumbit [65],
Auspice crescemus Christo, foetusque novelli
Crescent nobiscum, et superam tendemus ad oram.
Et me, si nescis, me par similisque perurit
Flamma, sed impedior vota exaudire colentis
Numina falsa deûm. Dubio in discrimine virgo
Tales commemorat monitus; locus, hora recurrit,
Cum primum roseo novus ignis fulsit in ore
Dilecti juvenis, primoque adrisit amore:
Ipsa quoque erubuit, naturaque jura resumpsit
Abdita, quae stygiae potuere obnubere fraudes,
Et Christus donat nativa effulgere luce.

Ergo novas animo sensit succrescere vires,
Haec recolens. Imo subitus superingruit horror,

Certamenque putat dubium. Moestissimus Hermus
Visus adesse sibi, justoque reprendere fletu:
Ecquid agis, Virgo? Si Christum deseris, Hermum
Deseruisse puta. Qualis convalle virenti
Candida maternis egressa puellula ab ulnis,
Quae primum argutae consederat ilicis umbra,
Si propiore latens herba superexilit anguis
Asper, acerba tuens, horrendaque sibila mittit,
Illa repentina pallet formidine, matremque
Advocat effugiens, pedibus timor addidit alas;
Haud aliter tectis penetralibus attica Virgo
Surgit, et ingenti rerum timefacta periclo
Plautillam quaerit, vulnusque ostendit apertum:
O Mater (quo alio dicam te nomine?) mater,
Ecquidnam tanto turbantur corda tumultu?
Crede mihi; Patris vix moesta quievit imago,
Sentio visceribus foedos consurgere motus,
Et me praeteritae deserta per omnia vitae
Caecus raptat amor. Mentem circumvagus ambit
Error, et occurrit ludis temerata profanis
Graecia. Me fragilem video, promissaque Christo
Fallere praemetuo. Mater, pax omnis adempta est.
Dicam equidem: una meam sanat medicina furorem,
Effigies juvenis, cui sponsae jura fidemque
Promisi quondam. Neque enim praestantior alter
Justitia et pietate fuit; cognoscere Christum
Ipse mihi dederat, sperans deducere sponsam.
Fecissetque utinam! ambobus Pater obstitit unus.
Et nunc ipse suo me hortatur nomine: nomen
Incorrupta meae tutatur foedera mentis
Quae Christo pepigi, quaequae ipse incognita quondam

Narrabat toties iterumque iterumque monebat.
Ah! succurre mihi. Dixit, lacrymaeque volutae
Ex oculis. Quam maternis sic anxia curis
Plautilla alloquitur: Mihi nata carior Eune,
Parce metu: Christus vires, animumque ministrat.
Audistin'Petrum? meministin' praescia verba?
Ipse unus mala terrigenûm medicare sategit,
Romaque inauditis haesit conterrita signis.
Lethali oppressos morbo ipsa corporis umbra
Excitat: horrisonae extemplo posuere procellae
Ipsius imperio: sub leges omnia duras
Mors vocat: ipse jubet? tumulis rediviva resurgunt
Corpora, perque omnem deerrantia vidimus Urbem.
Quae sunt, quae fuerunt, et quae ventura sequentur,
Cognovit: mihi crede, Dei sceptrumque vicesque
Ipse gerit terra, atque mihi stat Numinis instar [66].
Saepius ille tibi: Patrem sponsumque revises,
Virgo, inquit. Patrem incolumem sponsumque videbis,
Ne dubita. Tacuit mater, timidoque puellae
Pectore surgebat melior sententia, sortis
Nuncia venturae: contemnit inania rerum
Firmior, et sacros iterum se vertit ad usus.
Ipsa parens studiosa aderat Plautilla, sagaci
Explanans studio doctrinae arcana repertae,
Caelica quae miro docuit sapientia libro;
Et dum Matronam fortem describit, in uno
Tota manet virgo, pendetque loquentis ab ore:
Quae fortis mulier [67]? Quisnam per maxima mundi
Moenia repperiet? terrarum finibus ipsis
Praeclarum assonuit nomen, pretiosaque fama.
Vir dominusque domi tutus confidit in una:

Plena domus nullius eget: bona copia rerum
Procurante illa, cunctas exuberat horas,
Qualis vecta mari pinus bona cuncta reportat.
Exquirit niveas lanas, melioraque lina,
Exurgens nocte e media, famulisque labores
Partitur suetos, alimentaque sueta ministrat.
Exemplo graviore praeit, neque poenitet inter
Ancillas gravidos penso devolvere fusos.
Ipsa manus aperit miseris, et rebus egenis
Affert auxilium. Domui nil saeva nocebit
Bruma suae, famulos duplicato vellere vestit.
Proh! quae magna animo virtus! quae plurima in ore
Majestas! crescent pueri, et per compita matrem
Omnes laudabunt: fert ipse ad sidera sponsus.
Filia, divitias multae aggessere puellae,
Tu cunctas superas. Fallax est gratia, fallax
Egregiae formae species: laudabitur una,
Quae metuit dominum, manibus date munera plenis:
Sancta meret mulier, cantu celebrate perenni.
Talia tranquillam firmant praeconia mentem.
Cedere sed nullis assultibus integra cernens
Pectora tartareus deceptor deserit ausus
Tentamenta novi, sacraque pedem extulit aede.
Lux nova victricem exhilarat, penitusque medullas
Laetitia oblectat cunctis ignota profanis [68].

NOTÆ.

[1] *Pavidus Rex.* — De Xerxe Corn. Nep. vit. Th. V. Nam Themistocles verens, ne bellare perseveraret, certiorem eum fecit id agi, ut pons, quem ille in Hellesponto fecerat, dissolveretur, ac reditu in Asiam excluderetur, idque ei persuasit.

[2] *Civilibus iris.* — Quo ignominiae Graecia venerit, e Livio poteris cognoscere, qui Prusiam regem Romam venientem cum filio Nicomede, concursu undique facto, induxit haec dicentem: Deos qui urbem Romam incolerent, senatumque et populum Romanum salutatum se venisse. Et cum venisset in curiam, idem Patav. narrat: Submisisse se, et osculo limen curiae contigisse, et Deos servatores suos senatum appellasse, aliamque orationem non tam honorificam audientibus, quam sibi deformem habuisse.

[3] *Periclem.* — Pericles summus Atheniensium orator, eadem aetate ac Thucidides, et Alcibiades floruit. De eo saepius meminit Cic. de Or. 136. Pericles in cujus labris veteres comici leporem habitasse dixerunt, et Orat. 29. Pericles ab Aristophane poeta fulgurare, tonare, et permiscere Graeciam dictus est.

[4] *Dulcius.* — Cic. Tusc. IV, 16. Patriae solum cum omnibus est carum, tum vero dulce et jucundum.

[5] *Cor pectore.* — Ab Aligherio similitudo ducta.

Era già l'ora, che volge il desio
A' naviganti e intenerisce il core
Lo dì che han detto a'dolci amici addio;
E che lo novo peregrin d'amore
Punge se ode squilla di lontano
Che paja il giorno pianger che si muore

[6] *Cyclades.*—Magna multitudo insularum in mari Aegaeo; quarum meridionales dicuntur Sporades, quippe quae dispersae sunt sine ordine; septentrionales vero Cyclades, quia quasi in circulum dispositae sunt circa Delum.

[7] *Tempora Romae.* — Persequenti iter in Jonio mari a meridie in septentrionem post Strophades occurrunt insulae Joniae, quarum hic meminit Poeta *Ithacam*, hodie *Val di Compare* patriam Ulyssis, et *Leucadem quae* eadem *Leucas et Leucate* dicitur, hodie *Santo Mauro:* monti vero, qui etiam *Leucata* vocatur, fanum Apollinis impositum. Sequitur inde ad Septentrionem promontorium *Actium,* nunc *Capo Figalo* in ipsis faucibus Ambracii sinus, ubi et Actium oppidulum, et aliud Apollinis templum. Totus ille Epiri tractus erat sacer Apollini, ibique Octavianus maximam victoriam illam de M. Antonio et Cleopatra retulit. Fusius hic immoratur poeta, siquidem et Actiacum templum majus extruxit victor, et urbem Nicopolim, ubi castra posuerat, condidit in ipsis faucibus sinus Ambracii, et ubi tentorium ipse habue-

rat, trophoeum e rostris captarum navium, et sacrarium Apollini sub dio excitavit.

[8] *Connexuit orbem.* — Cum multa ipsa nativitate Christi mirabilia acciderunt, tum illa in primis non contemnenda pax et concordia per universum romanum orbem firmata. Post tot externa, et civilia bella praecipue, quibus Roma ad extremam internecionem fuerat suis ipsius armis redacta, Augustus imperator, post actiacum bellum, Jani portas clausit. Addit Dio, hist. Rom. lib. 54, quod, collata pecunia a Senatu populoque romano ad imagines faciendas, Augustus nullam sibi, sed tantum Saluti publicae, Concordiaeque et Paci posuit. Nasciturus enim erat ille quem prophetico sermone Isaias praenunciaverat, *Princeps pacis.*

[9] *Paxon.* — Insula est contra Nicopolim in ambracio sinu.

[10] *Palodi.* — *Palodus* est pagus in ora Epirotica. Totam hanc narrationem a Plutarcho mutuamur, de Oracul. defect. XIV.

[11] *Pan.* — *Pan*, ut cetera missa faciamus, habitus est Deus totius naturae a πᾶν quod est *totum*. Itaque Graji sic eum pinxerunt, ut nihil ex toto universo in eo videatur praetermissum.

[12] *Creatori.* — Paul. ad Rom. I, 25. Qui commutaverunt veritatem in mendacium: et coluerunt et servierunt creaturae potius quam Creatori, qui est benedictus in saecula.

[13] *Regina viarum.* — Dicitur *Appia via*, et *Appia* tantummodo, uti Horat. I, serm. V, 6. Minus est gravis Appia tardis. Via fuit saxo quadrato strata, quae Roma per portam Capenam Capuam, et inde Brundusium usque ducebat, ab Appio Claudio Caeco strata. De Brundusio habemus apud Liv. lib. XV, 11. Ceterum commoditas portus Brundusini, qui, eodem vento spirante, et dimittere naves potest et accipere, facilisque inde in Illiricum et Epirum trajectus, quodque opportunius videbatur ipsis Italiae finibus imperium terminare, belli causae putabantur.

[14] *Feruntur.* — Quod hora sexta factae sint tenebrae super universam terram usque ad horam nonam, testantur Evangelistae. Porro hanc solis defectionem Dionysius Areopagita videns exclamasse traditur: Aut Deus Naturae patitur, aut mundi machina dissolvitur. Sed ex ethnicis erroribus resipiscens eam describit ad Polycarpum, et ad ipsum Apollophanem philosophum inter cetera haec habet: Creatura Dei in ipsius verae lucis occubitu lucere non potuit.

[15] *Subdita sceptro.* — Quamvis Romani Graeciam ingressi macedonica jam dominatione pessumdatam, edicto proposito ad pristinam libertatem revocassent, tamen illud Horat. Od. V, lib. III, evenit:

Nec vera virtus, cum semel excidit,
Curat reponi deterioribus.

Assentatio, libidines, inertia corruptas illas respublicas invaserant, neque domi, neque foris Graeci amplius quicquam valuerunt. Nomen ipsum satis

indicat: siquidem levis quidam *Graeculus* dicebatur per contemptum : unde Cic. I, de Or. Graeculum *otiosum* et *loquacem* vocat. Similiter *Graecor*, *aris* est *Graecos imitari* nempe conviviis, vel libidinibus operam dare, quod illi liberius agerent. Ita a moribus nationis tractum verbum. Hor. *assuetum graecari* usurpat pro *inerti*, *atque otioso*.

[16] *Areopagus*. — Erat Areopagus promontorium Martis juxta mare. Maiores causae nempe sanguinis, morum ac religionis in hoc supremo judicum concilio agitabantur, judicesque a loco dicti Areopagitae fama integerrimi, et virtute erant spectatissimi. Ter in mense nempe quarto Kal. tertio et pridie conveniebant, et simplici rei gestae narratione, nullis ornamentorum illecebris causam eran t dicturi : ne rerum aspectu commoverentur, noctu, nullis admotis luminibus, tabellarem dabant sententiam. Antiquissimum collegium nunquam extinctum fuit, et quamvis Athenienses a Romanis fuissent subjugati, non intermissum : immo proconsules Romani Asiae perdifficiles causas eorum judicio committebant definiendas. Addit Baronius, illucescente orbi terrarum Christi lege omnium perfectissima, jam ceteras siluisse, et Areopagum cessasse : auctor est Theodoretus, quod istud non statim, sed, ut cetera alia, suo tempore evenit. Theod. de Evang. verit. lib. 9 de legib.

[17] *Farier ergo jubes Genitor*. — *Hermi* nomen in epistolis Pauli occurrit: sed nulla ejus vitae facta memorantur. Cuncta ergo quae hic de amoribus suis narrantur, a poeta excogitata sunt.

[18] *Pater Iphitus obstat*. — Paulus Athenas ingressus disputabat, teste Luca XVIII, 17. in synagoga cum Judaeis, et colentibus, et in foro et per omnes dies ad eos qui aderant. Quidam autem Epicurei et Stoici philosophi disserebant cum eo, et quidam dicebant : quid vult seminiverbius hic? Sed quid factum fuerit in Areopago post ejus orationem eloquentissimam, habes v. 32 ab eodem Luca : Cum audissent resurrectionem mortuorum, quidam quidem irridebant; quidam vero dixerunt : Audiemus te postea. Inter hujus furfuris viros praecipuum locum obtinebat Iphitus.

[19] *Volens renuensque jubenti*. — Paul. ad Rom. XI, 33. O altitudo divitiarum, sapientiae et scientiae Dei, quam incomprehensibilia sunt judicia ejus et investigabiles viae ejus! 34. Qui enim cognovit sensum Domini?

[20] *Qua modo Narcissus*. — De Narcisso quodam habemus mentionem in epistola Pauli ad Romanos. Svetonius, Dio et Tacitus testantur Narcissum, potentissimum Claudii imperatoris libertum odio Agrippinae, matris filii deterrimi, biennium ante quam Nero imperator factus esset, necatum. Sed nihil impedit, quominus ex ejus familia, et suum filium eum crediderimus, qui patre sapientior male partas divitias in Christianos usus convertit.

[21] *Forte Capharnaum*. — Cap. VIII, 23, Matthaeus hoc pacto rem narrat: Et ascendente eo in naviculam, secuti sunt eum discipuli ejus : et ecce metus magnus factus est in mari, ita ut navicula operiretur fluctibus; ipse vero dormiebat. Et accesserunt ad eum discipuli ejus, et suscitaverunt eum

dicentes: Domine, salva nos, perimus. Et dicit eis Jesus: Quid timidi estis modicae fidei? Tunc surgens imperavit ventis et mari, et facta est tranquillitas magna.

[22] *Transcendere muros.* — Has preces ab Psal. XVIII, *Diligam te Domine*, desumpsimus. 30. Quoniam in te eripiar a tentatione, et in Deo meo transgrediar murum. 40. Et praecinxisti me virtute ad bellum, et supplantasti insurgentes in me subtus me. 29. Quoniam tu illuminas lucernam meam, Domine; Deus meus illumina tenebras meas.

[23] *Est locus.* — In Scripturis infernus passim vocatur Locus irae Dei magnus, stagnum ignis et praesertim *Abyssus.* Lucae VIII, 31, daemones negant Christum, ne illos in abyssum mitteret. Apoc. XX. 3: Angelus misit eum in abyssum et clausit: 9: Diabolus missus est in stagnum ignis et sulphuris, ubi et bestia et Pseudopropheta cruciabuntur die ac nocte.

[24] *Astaret.* — Quamvis de Angelorum creatione nullus sit dubitandi locus, celebris tamen illa quaestio est, quandonam Angeli creati fuerint, num ante res omnes adspectabiles, totumque illud opificium, quod initio Geneseos traditur, an post caelum terramque conditam? Licet in hac re duae sint veterum opiniones, nos eam sequimur, quam antiquissimi patres, Graeci praesertim, et ex Latinis quamplurimi habuere, ut ante hanc rerum universitatem conditi fuerint. Verbum *adstandi* adhibuimus, haustum e Job. XII. Ego sum Raphäel Angelus, unus ex septem qui astamus ante Dominum.

[25] *Lucifer.* — Hoc nomen principi daemonum dat Isaias, XIV, 12: Quomodo cecidisti de caelo, Lucifer? In scripturis passim princeps Angelorum perduellium *diabolus* audit et *Satan*, quod item *adversarium* sonat, siquidem et Dei sui consiliis, et hominum saluti adversatur.

[26] *Praestare beatum.* — S. August. XII, de civ. 1. de Angelis dixit: Sua potestate delectati, velut bonum summum sibi esset, a superiori communi omnium beatifico bono ad propria defluxerunt. Primum Angelorum peccatum juxta communem Theologorum sententiam fuit illud superbiae. Huc pertinet quod Isaias, ib. sub figura Regis Babylonis de diabolo dicit: Detracta est ad inferos superbia tua. Revera aequalitatem cum Deo appetiit, et Ezechielis XXVIII, irridetur, quod dixerit, *Deus ego sum.* Et Apost. I, ad Timoth. III: Ne in superbiam elatus in judicium incidat diaboli.

[27] *Aethera conscendam.* — Apud Isaiam XIV, 13. sunt ejusdem Luciferi verba: In caelum conscendam; super astra Dei constituam solium meum, sedebo in monte testamenti, in lateribus aquilonis; ascendam super altitudinem nubium: similis ero Altissimo.

[28] *Certare Tonanti.* — Eadem consuetudo apud nos invaluit, ut Michäel nunquam nisi scuto armatus dipingatur, in medioque scuto carmen inscribitur: Quis ut Deus?

[29] *Umbrarum princeps.* — Ex Isaiae loco *Luciferi* nomen principi daemonum vindicatur, non tanquam propria appellatio; sed ad comparationem

et similitudinem, quod, phosphori instar, eximio splendore nitesceret. Sed in tenebras, splendore amisso, evasit, ita ut non Lucifer sed vera caligo dicendus sit. Sic Hierony. Comm. in Isai. Vesper e Lucifero factus; et Greg. Nazianzenus Orat. de Nati. Ille ob splendorem Lucifer, qui propter superbiam caligo et effectus est, et nominatur. Hinc in sacris litteris *princeps hujus mundi, princeps tenebrarum, princeps potestatis aëris hujus*.

[20] *Culpa mors.* — Paul. ad Rom. V, 12.: Sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit in quo omnes peccaverunt. Paul. ad Rom. VI, 23: Stipendia enim peccati mors.

[21] *Pro meritis flammae.*—En gehenna ignis, de qua sermo est XV Marci. Idque S. Judas affirmat in sua Epist. v. 9: Angelos vero qui non servaverunt suum principatum sed dereliquerunt suum domicilium, in judicium magni diei, vinculis aeternis sub caligine reservavit. Aeterna sunt daemonum, et aliorum reproborum supplicia: idque de fide est, et Scripturae aperte significant. Isai. XXX. Quis habitabit ex vobis cum igne devorante? cum ardoribus sempiternis? Matt. XXV, 41: Discedite a me, maledicti, in ignem aeternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus.

[22] *Et nunc Ammerice.* — Caelestes Spiritus, quos Angelos vocamus, in rerum natura esse, nemo nisi in meridiana luce caecutire velit, inficiari poterit. Veritatem adeo certam exploratamque sacrae non modo litterae, sed totius Ethnicae antiquitatis, ac fere ipsius naturae testimonium confirmat. Sed veluti inter Judaeos antiquissima secta, Alexandri Magni tempore exorta, Sadoko auctore, neque resurrectionem fore credebat, neque Angelum esse neque Spiritum (Luc. Act. Apost. XXIII, 18), sic saeculo elapso praesertim Volterius, Sadducaeis protervior alteram ex impietatis penu calumniam adversus Christianam fidem depromens, Angelorum existentiam hominum figmentum a Chaldaeis primum excogitatum, mox ad Persas perlatum, ab Hebraeis demum adscitum esse contendit. Volteriana contages permulta ejusdem notae ingenia polluerat, illacrymante Ecclesia, priscis nebulis veritati offusis, bonisque omnibus iniqua vafritie indignantibus. In his morabamur, et ecce foederatas Americae respublicas nescio quae insania cum Spiritibus colloquendi arripuit, interposito scitae mulieris ministerio, quae inter homines spiritusque media habebatur. Admirabile novitatis spectaculum, enavigato confestim Atlantico, Europam perculit, eaque, ut cetera omnia e transmarinis illis regionibus advecta, allatum prodigium suspexit. Itaque nullum occidentis regnum, nulla provincia, nulla urbs, quo manuum contactu aut oculorum imperio inopinum rebus circumjacentibus motum injicere nova scientia initiati non sategerint. Demum ea constitit sententia, spiritus per aëra circumvolantes et sisti vocatos, et respondere ictuum repercussione; eorumque ope lances tabulasque de loco moveri. Nunc denique et lances, et tabulas quievisse vidimus: utinam levitatis inconstantiam in veri-

tate consistere videamus! Persuadeant sibi profecto Eterodoxae nationes, et inclament cum Tullio: Nos veri juris, germanaeque justitiae solidam, et expressam effigiem nullam tenemus: umbra et imaginibus utimur: eas ipsas utinam sequeremur! Cic. de off. III, 17. Sed variis errorum ambagibus circumerrabunt, donec ad Petri Cathedram, quae veritatis arx est, conveniant.

[33] *Si mentem, et corpus.*— Daemones igne vero et proprie dicto cruciantur, isque ignis non spiritualis, et metaphoricus, sed materialis et corporeus. Omnibus idipsum luculentius adstruit S. August. lib. XXI. de Civ. Dei, cap. 10: Adhaerebunt spiritus incorporei corporeis ignibus cruciandi miris et ineffabilibus modis. Quomodo autem id fiat, ut explicarent Theologi, alii aliam institere viam. Potueruntne innumeris concertationibus Metaphisici enucleare, qua ratione anima corporis motibus, atque actionibus afficitur? Quod tamen mutuum inter se commercium exercent; quomodo fiat, ignoratur, et cum Alligherio dicendum:

Vuolsi così colà dove si puote
Ciò che si vuole, e più non dimandare.

[34] *Agnovit caelum.*—Sic S. Gregorius tom. 10 in Evang. Omnia quippe elementa auctorem suum venisse testata sunt . . . Deum hunc caeli esse cognoverunt, quia protinus stellam miserunt; mare cognovit, quia sub plantis ejus se calcabile praebuit; terra cognovit, quia eo moriente contremuit; sol cognovit, quia lucis suae radios abscondit; saxa et parietes cognoverunt, quia tempore mortis ejus scissae sunt; Infernus cognovit, quia hos quos tenebat mortuos, reddidit.

[35] *Tentare aggreditur.* — Ignorasse daemones pleraque gratiae mysteria, et potissimum quae ad Christi divinitatem pertinent, est exploratissimum. Augustinus lib. IX, de Civ. Dei: Qui tantum daemonibus innotuit, quantum iis terrendis innotescendum fuit, nimirum per temporalia quaedam suae virtutis effecta et occultissima signa praesentiae ...Denique quando illa paulum supprimenda judicavit, et aliquando altius latuit, dubitavit de illo daemonum princeps, eumque tentavit, an Christus esset explorans. Hinc Leo Magnus Ser. II, de Pass. Saevienti, ait, diabolo praesentiam suae majestatis occuluit, et infirmitatem nostrae humanitatis objecit. Facit ad rem Beati Martyris Ignatii sententia, asserentis, eatenus Christum a desponsata conceptum, ut partus ejus celaretur diabolo, dum eum putat non de virgine, sed de uxore generatum.

[36] *Libertas.*—Diabolicarum fraudum toti hominum generi illatarum, ut a Deo conditore averteretur, plenae sunt Scripturae. Sufficeret et miserandam primorum parentum ruinam, et Jobi calamitates acerbissimas inspicere. Sed Christus Dominus, Joan. XII, 31, *principem* hujus mundi ejecturum foras promisit; quod eo pacto est intelligendum, non ut ei omnis nocendi facultas sit adempta, sed per gratiam Christi Salvatoris nobis arma suppeditentur, quibus adversus insidias stare valeamus. Secundum enim Apostoli doctrinam

I, Cor. X, 3 Fidelis Deus, qui non patietur, vos tentari supra id quod potestis. Adde huc Hieronymi verba. Liberi arbitrii nos condidit Deus; nec ad virtutem, nec ad vitia necessitate trahimur; alioquin, ubi necessitas, nec corona est.

[37] *Lucifugas pestes.* — Moses in Deut. innuit Michäelem judaico populo praepositum fuisse: et ex Daniele constat, alium ex Angelis Persas moderari, alium Graecos: quos quidem bonos Angelos fuisse constans est Patrum opinio. Quamvis non esse divinae bonitatis videatur nonnullis, ut homines naturae vitio satis ad peccatum propensos unumquemque daemonis machinationibus abjiciat, tamen nequioris notae Angelos gentibus praefuisse, praesertim in gentilicia antiquitate, nisi patrum auctoritate firmatur, a poeticae veritatis arbitrio non discrepare nemo sanus ibit inficias.

[38] *Mens manet obsita.* — Eccles. IX. 10. Neque opus, neque ratio, neque sapientia, neque scientia erunt apud inferos. Et Ign. ad Philipp.: Sapiens est daemon ad male faciendum, bonum autem, quid sit, ignorat.

[39] *Obfirmata voluntas.* —Daemonum voluntas ita est in malo obstinata, ut nusquam revera ad justitiae statum sit revocanda, et nequeat malo non adhaerere, unde *Spiritus mali*, et Spiritus *nequam* passim in scripturis audiunt. Quo convenit insignis Fulgentii Locus III cap. lib. de fide ad Petrum: In quo igne omnes illi praevaricatores Angeli nec mala unquam possunt voluntate carere, nec poena, sed permanente in eis injustae aversionis malo, permanet etiam justae retributionis aeterna damnatio.

[40] *Terramque perambulat omnem.* — Jobi cap. I, Satan dicit se circuisse universam terram, et ab Apost. ad Eph. II. Princeps potestatis aeris hujus adpellatur. A Petro habes Ep. I, 5. Sobrii estote, et vigilate, quia adversarius vester diabolus, tanquam leo rugiens circuit quaerens quem devoret.

[41] *Molossum* — E Patribus hausta similitudo. Sicut enim paterfamilias noctu canem laxat ad custodiendam domum, et arcendos latrones, ita Deus ex inferno carcere daemones solvit, tum ad excitandam electorum sollicitudinem, tam ad plectendam peccatorum socordiam et impietatem.

[42] *Aegrotum.* — Quamdiu Satan in aere isto versatur, nihil quidquam ejus poena minuitur. Vener. Bedae locus Comm. in cap. III, Ep. 5, est insignis: Suarum secum ferunt tormenta flammarum, instar febricitantis, qui etsi in lectis eburneis, etsi in locis ponatur apricis, fervorem tamen vel frigus insiti sibi languoris evitare non potest.

[43] *Convicia Patris.* — Gen. IX, 23. Maledictus Chanaam, servus servorum erit fratribus suis.

[44] *Astaroth.* — Idem est, quem Graeci, inflexo nomine, Astarten vocitarunt. Phoenicium numen praecipue fuit, et Sidone positum magnificentissimum templum a tota erat Syria celebratum. Sed et Judaea impurissimo simulacro sua sustulit altaria, Acab et Jezabele regnantibus, et Asia Minor Hierapoli ejus sacra omnigeno superstitionis genere inquinabat.

[45] *Foedus Moloch.* — Et phoenicius Deus erat, sed potissimum apud Chananaeos atque Ammonitas colebatur: III, Reg. II, 5. Moloch idolum Ammon. Lev. XX, Mortem per Moysen Dominus comminatur impii simulacri adoratoribus: Si quis dederit de semine suo idolo Moloch, morte moriatur; populus terrae lapidabit eum. Sed hoc non impediit, quominus Salomon a justitia desciscens apud Jerusalem, in Oliveto monte templum erexerit, ubi simulacrum erat, et varia conclavia noctu diuque igne succensa, quibus sacra comburenda inferebantur.

[46] *Delphica.* — Praecipua achaicae superstitionis oracula collecta habes. *Delphi*—urbs Phocidis hodie *Delfi*, *Castri* o *Solona* ad Parnasum montem. Templum ibi amplissimum fuit Apollini dicatum, ubi responsa dabat, gentesque ex toto orbe terrarum consulturae de suis rebus confluebant. Oracula reddebantur annulo obsignata, ea lege ut post triduum resignarentur. *Dodonaeus-Dodona* urbs Epiri, in Thessaliae confinio, ubi ingens silva fuit querna, et templum Jovis: quercus ipsae faticinae credebantur. *Trophonî-* Trophonius, insignis architectus qui in Lebadaea, Boeotiae regione subterraneum fanum construxit, quod Trophonii antrum ab ipso cognominatum est, ibique aliquandiu oracula reddidit. *Taurica* — Tauri, sive Tauroscythae Chersonesum incoluere, quae chersonesus taurica, hodie *Crimea*, dicta fuit. Hospites omnes Dianae immolare solebant; immanissi ma Sacerdos sacro praesidebat. *Cumaea* — Nemo qui Mantuani carmina volverit, ignorat *cumaeum carmen*, Ecl. et Sibyllae Cumanae glorias lib. VI, Aen. descriptas.

[47] *Taenara.* — Quantopere graecae poeseos figmenta in romana ingenia influxerint, licet ex Inferorum nomenclatura, si mille alia deessent argumenta, haurire. Paludosa stagna, et vulcanica spiracula tot inferorum ora illi credidere, nomenque Inferorum fecere. *Taenara* — Taenarus et Taenara promontorium Peloponnesi in Laconia, ubi specus horrendum, et profundissimus hiatus, quo descensum esse ad inferos existimarunt. Hor. I, od. 34. Styx, et invisi horrida Taenari. *Styx* fons Arcadiae ex Nonacri monte manans et in fluvium evadens. Homerus prior finxit Stygiam Inferni esse paludem. Sed styx moerorem significat, idemque apud nos *stygius* sonat, ac moestus. *Acherusidos-Acherusia* palus est Epiri, unde *Acheron* fluvius, qui in sinum Ambracium decurrit. Ex crassae paludis similitudine Poetae finxerunt flumen apud Inferos. *Amsancti* — *Amsanctus* locus in Hirpinis hodie *Val di Frigenti* ubi aquae sulphureae undique silvis angustiisque clauduntur. *Avernus* — Locus Campaniae cujus aquae adeo pestiferae creditae, ut aves supervolitantes quasi deciderent, unde factum nomen. Quae nomina omnia sive paludum, sive fluminum, sive vulcanicarum exhalationum a Grajis primum, mox a Latinis pro *inferis* adhibentur. Adeo prima illa Religio de peccati poena patrum sermonibus consignata populorum mentibus inhaesit, ut e naturae sinu horrentia quaeque loca ad aeterna supplicia indicanda, mutuarentur.

[48] *Gaudia tangunt* — Petri primatus honoris et jurisdictionis satis superque e secundi et tertii libri narratione patet.

[48] bis *Virtutem.* — De Neronis tempore Tac. Hist. I, 52. Ipsa vitia pro virtutibus interpretabantur. Ann. XVI, 21. Nero virtutem ipsam excindere concupivit.

[49] *Graecia sive oriens* — Quam Graeci *goetiam* sive *Theurgiam* vocant, innuimus, quae Daemonum invocationibus infandisque incantationibus constat, quamque Plinius XXX, 1, artem intestabilem vocat, irritam et inanem. Ipse penitioris eruditionis auctor eam in oriente prognatam autumat: Ita possessis hominum mentibus, in tantum fastigii adolevit, ut hodieque etiam in magna parte gentium praevaleat, et in oriente regum regibus imperet. Et 3. de Ostane quodam narrat: Quod ad rabiem, non ad aviditatem scientiae hujus Graecorum populos egit.

[49] bis *Jactura pudoris* — Idipsum Ethnici Scriptores sentiunt, et fatentur. Liv. de Lucretia: Quid enim salvi est mulieri, amissa pudicitia? Pariter Tac. IV. 3. Neque femina, amissa pudicitia, alia abnuit.

[50] *Plautilla.* — Sanctissima haec vidua a beato Petro sacro baptismate lustrata fuit. Memorant Boll. *Flaviam Domitillam* ejus filiam cum suis eunuchis Nereo, et Achilleo, cumque Theodora et Euphrosyna collactaneis, Auspicii educatoris, et Caesarii diaconi ministerio, in Christi fide firmatam fuisse, omnesque Tarracinensem Ecclesiam Martyrii gloria nobilitasse.

[51] *Mite ministerium viduae* — Paul. 1, Tim. V, viduae praeconium recitat, et exemplar describit. Jam nos de Plautilla diximus *quod erat mortua deliciis, quas perdita Roma colebat*, et ex illo ejusdem Apost. hausimus: 5. Quae autem vere vidua est, et desolata, speret in Deum, et instet obsecrationibus et orationibus nocte et die. Nam quae in deliciis est, vivens mortua est. Et 7, eam honestissimam praedicat viduam, si filios educavit, si hospitio recepit, si sanctorum pedes lavit, si tribulationem patientibus subministravit, si omne opus bonum subsecuta est.

[52] *Tegmineque alarum vestit.* — Matth. VI, 26. Respicite volatilia caeli, quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea, et Pater vester caelestis pascit illa. Et X, 31 : Nolite ergo timere : multis passeribus meliores estis vos.

[53] *Templa Minervae.* — *Pallas,* sive *Minerva* habita ab Atheniensibus fuit ejus arcis praecipue fabricatrix, quae in summa urbis parte posita Acropolis dicta fuit, qua magnificentissimum extabat deae templum. Sic Virg. Ecl. II, 62.

Pallas quas condidit arces
Ipsa colat.

[54] *Panathenaeis.* — *Panathenaea* Palladis festa dicebantur quae quinto quoque anno in honorem Palladis Athenis fiebant. Solemni carmine per tubicinem, et praeconem indicebantur, peplumque Deae ferebatur.

[55] *Cytheron.* — Tota haec Atticae ora omnium veterum Scriptorum laude celebratur. Hic subiit in mentem illud Cic. ep. 5, lib. IV ad Sulp. Ex Asia rediens cum ab Aegina Megaram versus navigarem, coepi regiones circumcirca prospicere. Post me erat Aegina; ante Megara; dextra Piraeus; sinistra Corinthus: quae oppida quodam tempore florentissima fuerunt, nunc prostrata et diruta ante oculos jacent. Legesis Propertii Lib. III, eleg. XV, ubi suum iter Athenas describit. *Hymettus* mons est prope Athenas, ubi mel optimum, apes lectissimae. *Salamin* sive *Salamina* est insula et urbs maris Aegaei, e regione Atticae, Telamonis regia. *Cytheron* mons Boeotiae sacris Bacchi celeber, quae tertio quoque anno, unde *trieterica*, idest *triennalia* dicta, fiebant, et ab Atheniensibus mulieribus frequentabantur.

[56] *Dissociare potens.* — Sic fere Caecil. apud Lact. Latebrosa et lucifugax natio in publico muta, in angulis garrula, templa ut busta despiciunt, deos despuunt, rident sacra, si fas est, sacerdotum honores et purpuras despiciunt ipsi seminudi. Haec dabat Christianis crimina, quae vera primae Ecclesiae gloria est.

[57] *Coetus vitabis amicos.*—His Caecilius in Christianos invehitur, II, 5. Non spectacula visitis, non pompis interestis, convivia publica absque vobis.

[58] *Cajus.* — Puteolanas has pilas, seu substructiones hodiedum incolae appellant *i ponti di Caligola.* Nos opinionem loci sequimur, quamvis Svet. in Caligulae vita 19, narrat eum mare totum Bajarum navibus contabulasse. Neptuno vero sacrificasse de ponte dejectis comitibus, ex Dione accipimus.

[59] *Languida membra cient.* — Hinc illae Pauli querelae, Ep. ad Rom. VII, 15. Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meae, et captivantem me in lege peccati.

[60] *Sanasti arbitrium.* — Liberum humanae voluntatis arbitrium originali peccato infirmatum, non extinctum: ita ut primigenia justitia spoliatus, factusque diaboli captivus nihil quidquam supernaturalis boni suis ipse viribus homo possit agere; possit vero cum gratia domini nostri Jesu Christi, quae pristinam illam infirmitatem reparavit, estque omnino ad amissae justitiae recuperationem necessaria. Ita August. lib. I. ad Bonif. III, Haec voluntas, quae libera est in malis, quia delectatur malis, ideo libera in bonis non est, quia liberata non est; nec potest homo boni aliquid velle, nisi adjuvetur ab eo, qui malum non potest velle, hoc est gratia Dei per Jesum Christum dominum nostrum.

[61] *Defensoremque ministrat.* — Vetus est et communis etiam ethnicorum opinio cuilibet mortalium regundo, servandoque a Deo custodes fuisse destinatos. Hinc illa fluxit de Geniis doctrina ita frequens apud poëtas: unde Horat. Lib. II, Ep. 2.

Scit Genius, natale comes qui temperat astrum
Naturae deus humanae, mortalis in unum
Quodque caput vultu mutabilis, albus et ater.

Vides profecto, nì ipsos ex rationis usu id eruisse credere velis, universam hanc doctrinam, uti cetera multa, ex sanctis Libris esse suffuratos. Apertissimam et peremptoriam de Angelis, deque eorum ministerio habes confessionem. Ps. XC. Angelis suis Deus mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis.

[62] *Margine gramineo Cephisi.* — *Cephisus* Atticae fluvius, juxta Athenas ad occ., et in sinum Saronicum se exonerat prope Piraeum portum.

[63] *Pictaque incedere zona.* — Quae de Venere, pulchritudinis atque amorum dea, meminerint poetae, omnes profecto norunt, qui vel a limine classicos scriptores salutarunt. Voluptatum matrem, e spuma maris coortam finxerunt, unde Graecis dicta fuit Aphrodite; currum dederunt tractum columbis, et Homerus zonam sive cingulum addidit, voluptariam sedem cupidinum.

[64] *Atque diis auctoribus.* —Cypr. ad don. Exprimunt impudicam Venerem, adulterum Martem, Jovem illum suum non magis regno, quam vitiis principem . . . Deos suos quos venerantur, imitantur; fiunt miseris et religiosa delicta.

[65] *Cui vitis nixa recumbit* — Psal. CXXVII. Uxor tua sicut vitis abundans, in lateribus domus tuae. Filii tui sicut novellae olivarum, in circuitu mensae tuae.

[66] *Numinis instar.* — Hil. lib. IX, de Trinit. Proprium Deo, quid aliud est, quam cognitio futurorum?

[67] *Quae fortis mulier.* — De parab. Salomonis XXXI. Mulierem fortem quis inveniet? Procul et de ultimis finibus pretium ejus. Confidit in ea cor viri sui, et spoliis non indigebit. Reddet ei bonum et non malum omnibus diebus vitae suae. Quaesivit lanam et linum, et operata est consilio manuum suarum. Facta est quasi navis institoris, de longe portans panem suum. Et de nocte surrexit, deditque praedam domesticis suis, et cibaria ancillis suis. Manum suam misit ad fortia, et digiti ejus apprehenderunt fusum. Manum suam aperuit inopi, et palmas suas extendit ad pauperem. Non timebit domui suae a frigoribus nivis. Omnes enim domestici ejus vestiti sunt duplicibus... Surrexerunt filii ejus et beatissimam praedicaverunt; vir ejus, et laudavit eam. Multae filiae congregaverunt divitias, tu supergressa es universas. Fallax gratia et vana est pulchritudo: mulier timens Deum ipsa laudabitur: date ei de fructu manuum suarum, et laudent eam in portis opera ejus.

[68] *Ignota profanis.* — Ps. LXXXVII. Quia melior est dies una in atriis tuis super millia. Elegi abjectus esse in domo Dei mei, magis quam habitare in tabernaculis peccatorum.

PETREIDOS

LIBER V.

ARGUMENTUM

Cum omnia hac lege creata sint, ut morte deleantur, supremam hanc rerum omnium necessitatem ne magna quidem imperia effugiunt — Deus ipse, unus immutabilis, alia evertit, alia instaurat—Illud ethnicis praesertim nationibus constitutum vitae curriculum, ut primum, contra incursationes vimque hostium, suae incolumitati prospiciant — Tum soli natalis oblectatae dulcedine in patriam mirabili caritate inflammantur, eamque gloriae plenis et fortitudinis facinoribus illustrare conantur — Itaque pulcherrima reipublicae imago efflorescit — Verum si vitalis ille spiritus, quo prima res coalescere coepit, ingravescente aetate, oblanguescit, desident primum mores, mox eunt praecipites — Cumque vita corpore et spiritu continetur, spiritu contaminato, corpus manet quantocyus moriturum — Sic Roma crevit, concordia ordinum mirabiliter in unum conspirante, ut domi tuta, foris praeclaro imperio potiretur — Eaque Respublica potentissima et gloriosissima post hominum memoriam evasit, Deusqne ipse imperium propagavit, ut egregiae genti mercedem exolveret, quod *pro uno vitio, idest amore laudis, multa alia compressit* [1] —Verum ubi pro re communi privatae res diligi coeptae, duoque in

[1] Aug. de Civ. Dei: in adnotationibus plura.

una urbe populi invicem armati pro sua quisque utilitate depugnarunt, Roma sensim dilapsa — Cumque nullus discordiis finis nisi aut interitus aut victoris dominatus, Pharsalica acie plebei triumpharunt; in Caesarem unum plebis armatae potentia collata, extincta est Respublica — Quatuor imperatores romanae majestatis internecionem absolvunt—Dumque corporis voluptatibus unice cives famulantur, anima illa romanarum rerum procreatrix paullatim evanescit—Deterrimus Nero se unum Romae romanoque imperio praetulit — Ethnicam Romam extremum spiritum agentem contemplatur, non sine lacrymis, vates, unoque solamine mirifice recreatur, quod Roma Petri jactis fundamentis, in dies clarior exurgit — Solon in parricidas nullas irrogaverat leges, quod tantum crimen in humanum genus cadere non posse arbitrabatur — Verum Roma nequior, qua in parricidas gravissima rogatio lata fuit, et imperatoria aula immanissimum spectaculum exhibet — Nero conciliatae amicitiae gratia Bajas matrem vocat — Dumque, convivio celebrato, Romam reditura pulcherrima navi Puteolos versus enavigat, navis, medio mari, dissolvitur — Agrippina e mediis fluctibus a naviculatoribus sublata ad Lucrini stagnum exponitur — Dumque in sua villula a metu paullulum respirat, armata phalanx irrumpit thalamo, eamque, *uterum feri*, exclamantem confodit — Sed aulica assentatio in Agrippinam mortis causam vertit, quippe quae extremam filio calamitatem machinaretur — Itaque vicinis municipiis Romaque ipsa Bajas adveniunt legati, Principi gratulatum, quod maternas insidias vitasset — Verum suas ipsa injurias Natura ulciscitur — Et, patrato facinore, Nero sceleris magnitudinem intellexit — Loca ipsa Bajarum caedis conscia perterrefaciunt — Ipse noctu solus Romam petit, in Palatina domo optata tranquillitate fruiturus — Male ominata domus! Quae ab Hortensio, Caesare, et Augusto, aequo cum ceteris jure in civitate viventibus, primum habitata, mox per Tiberium, Caligulam, Claudium aucta mediam Romam occupavit, crevitque Neronis ope — Ita porro factum, ut quo magis ea cresceret, eo magis romanae majestatis auctoritas diminueretur — Ea domus omni luxus magnificentia praefulgens, omnium vitiorum domicilium evasit, ut nulla fuerit terris aula funestior — Nulla aulae penetralia, quae horrendum aliquod facinus non foedaverit — Caesarea gens, facta Octaviae, Domitiae, Claudiae, clarissimarum Reipublicae gentium, accessione, non modo instaurari nequit, verum deterior evasit — Caesarum extremus et deterrimus, Nero, vivida romanae et humanae improbitatis effigies — Qui omnium malorum artifex cum Deo, natura, totoque humano genere praeliatur — Ipse, a bajano scelere, hujus aulae latibula ingressus gravioribus conscientiae stimulis excruciatur — Septem illum Stygiae

pestes circumsepiunt, noxae lethiferae, teterrimae visu species, quae peragrato orbe universo, Romam obsederunt, et potissimum ad aulam imperatoriam stabulantur — Sed vix per urbem de imperatoris reditu Romam etsi subobscura manat fama, partim metu, partim assentatione commoti ad aulam volitant proceres, Caesarem salutatum —Senatus frequens pro Reipublicae et principis incolumitate ad omnia Deorum templa supplicationem, et pulvinaria, et sacrum epulum decernit — Qua capta occasione, Aegyptiacas, Syriacas, Phrygias Religiones Satanas excitat, commotis sacerdotibus —Nero ipse, Senatu comitante, populoque plaudente, Capitolium ascendit, romana sacra maximarum hostiarum immolatione celebrat, inque Jovis genibus, qui omnem periculi procellam a se prohibuerit, auream coronam deponit —Mox maternam memoriam in odium atque invidiam trahere nititur, insolita clementiae jactatione revocatis in patriam viris clarissimis ab ea in exilium actis, justisque de more persolutis, si qui vitam miserrime finierint — Sed neque procerum assentationes, neque populi plausus maleferiatae conscientiae stimulos obtundere potuerunt — In aulae solitudine abditus omnia timet, omnibus timetur — Inter aculeos, quibus, facinorum recordatione, noctu diuque compungitur, Eunae meminit — Muliercula aulicam majestatem diffugit, quod nisi multis consciis fieri nequit, quoque delituerit, hactenus ignoratur — Sed ecce Tigellinus, e liberto aulae arbiter, ut ea ferebant tempora, eum convenit — Quem sueta assentatione ejus gratiam colligentem gravissimis verbis objurgat, quod tanta potentia armatus graecae virgunculae recessus explorare nequiverit — Sed Tigellinus ejus clementiam in crimen vocat, qui Hebraeos a Claudio expulsos in urbem revocasset — Se Paulum Tarsensem, Hebraeae arrogantiae antesignanum, apud insulam Tiberinam deprehensum in vincula conjecisse — Quo nuncio Nero recreatus suam animi conditionem miserrimam et luctuosissimam aperit — A matre interfecta, angi et perterreri taedis ardentibus furiarum — Nocturna imagine matris teterrima cuncta interminantis exagitari—Horrenda insomnia certissimum periculum capitis atque imperii ostentare —Perfidiae suspiciones ubique internoscere — Demum de Plauto, de Sylla, de Burro, de Seneca, de Plebe, de Senatu conqueritur—Quibus respondet Tigellinus Matrem jure caesam, pestem solio nefarie molientem, jamque Romae fastu nimio, et insolentia intolerabili detestatam — Plautum et Syllam quamprimum morituros — Burrum e praetoriis armis amovendum, Senecam ruri vivere tranquillum — Senatum renovatum, et terrore semianimum — Plebem in una Neronis spe luxuriose vivere — Ab hostibus externis imperium Romanis legionibus conquiescere—Urbem praetorianis armis.

cohortium obsequio et germanicis copiis perterrefactam tremiscere — Unum ex oriente periculum imminere — Orientis contagem, Hebraeos ex urbe exterminandos, peregrinos usus comprimendos — Conquievit Nero; sed futurarum rerum divinatione exardescens Simonem Magum arcessit — Qui a Petro Samariae, gravissimis verbis reprehensus, Syriam, Aegyptum, Graeciam peragraverat, in christianos infensissimus, novaeque doctrinae dogmata procusa per orbem disseminans — Romam ipse praestigiarum suarum miraculo commoverat, et inter instrumenta regni ab Nerone est habitus — Ansam capit Satanas christiano nomini majores invidiae faces subjiciendi – Dumque, Nerone inspectante, magicis sacris operatur Simon, inopina vox insonuit *Eunem Romae inter hostes latere* — Sacrum turbatur — Nero gravissimo metu exanimatur.

Mutatus veluti interdum renovatur amictus,
Mutatur senio caelum mutataque terram
Forma superveniet: caeli terraeque creator,
Ipse manes unus, nullo mutabilis aevo [1].
Non ignota cano: populus sua munia quisque
Sortitur, tenditque via, quam monstrat eunti
Ingenium, fatumque datum, caeloque vocatum
Auxilium. Tandem, perfecto munere vitae,
Quae prior ardebat sociali corpore flamma,
Languescit moriens. Populus tum junior alter
Ingrediturque viam, socio praeeunte, relictam,
Et quem trita solo signaverat orbita gyrum,
Latior audaci gestit percurrere gressu.
Digerit arcano caeli Rex omnia motu:
Lex eadem cunctis: cives ea cura quietos
Sollicitat primum jactos attollere muros,
Propagare genus, externas pellere fraudes.
Vix tutos statuere focos, operataque pubes
Connubiis primam cernit consurgere prolem,
Et foecunda suis flavescere messibus arva;
Continuo surgens patriae ridentis imago
Exhilarat, natale solum vis ignea cogit
Trajicere; imperii trahit irrequieta cupido,
Atque foris bellare, domi firmare quietem.

Tum demum ingenti scintillans gloria luce
Affulget, laudisque ciens vaga somnia spirat
Audaces animos et inexuperabile robur.
Vincit amor patriae; generosae ostendere praestat
Virtutis speciem, populis juvat addere jura,
Parcere subjectis, et debellare superbos.
Atque utinam his staret metis saturata libido!
Elatos animos tandem damnosa voluptas
Invadit, partoque juvat depascere luxu
Curas degeneres, sensusque instare rebellis
Caecis consiliis: tunc lapsum cuncta minantur [2].
Nam socialis amor, quo vitae volvitur orbis,
Tergeminum peragens spatium, ratione ministra,
Intus agit vitam, et pleno se corpore miscet.
Ast ubi jam ternae revoluta volumina formae,
Si quando sensus contactu singula foedo
Polluit (ipsa sibi satis est, et sufficit uni
Indita materiae virtus), pars maxima rerum,
Pars hominis melior, socians in foedera coetus
Spiritus oblanguet senio consumptus inerti [3].

Ah! tibi ego accedo illacrymans, mavortia Roma:
Ethnica ubi virtus majoribus excita flammis
Emicuit [4]? foedum vel luxum exosa rigescens
Paupertas? ubinam majora exempla severae
Justitiae in cives ipsos, sociosque receptos?
Laudis amor patriaeque potens vitia omnia [5] vicit:
Et Pater omnipotens, virtuti praemia solvens,
Non illaudatam liquit torpescere gentem.
Utque nequit summus Judex super aurea ferre
Sidera sordenti illuvie, veterisque veneni
Crimine devotam stirpem caelestibus iris;

Imperium dedit in reges, populosque subactos [6].
Civica sed triplicem perfecit machina gyrum,
Visque animae interior senio tenuata recessit.
Heu! heu! funesto misere circumdata coeno
Materies hebetat mentem, terrenaque membra
Aetherium semen miserando pondere tardant [7].
Totius illa potens mundi Respublica crevit
In melius, sed prisca dedit concordia motum [8].
Primum censebant Patres, populusque jubebat.
Summa fuit patribus rerum concessa facultas,
Majestas populo [9]. Consul decreta Senatus,
Jussa sequebatur populi, lectique tribuni [10]
Patricias contra insidias pro plebe cavebant.
Sic pactis rerum alternis communia pacis
Munia firmata, et divisa pericula belli [11].
At, simul ac victa veluti dominarier urbe
Patricius coepit, romano parta cruore
Florida regna Asiae, ipsiusque aeraria Romae
Exhausere equites, et plebs pessumdata magno
Fenore, spe nulla auxilii, rerum omnium egena
Errabat triviis; periit concordia Romae.
Scinditur in geminas pollens Respublica partes,
Et populus duplex [12] una consurgit in urbe
Adversis animis: duplici tentoria campo
Metantur, sua quisque ducis vexilla secuti.
Hinc fera nobilitas stricto mucrone tuetur
Uni nata sibi sanctarum oracula legum,
Hinc plebs, atque italae sociato foedere gentes
Prolata antiquae Romae pomoeria poscunt,
Gentemque, auspiciumque potens, dominasque secures [13].
In Comitî campo, popularia pectora, Gracchi

Nequicquam orarunt: civilia bella coorta.
Roma vetus ruere, et retro sublapsa referri.
Si Marii asperitas truculento messuit ense
Patricios, sociosque italos in sceptra remisit;
Sylla ferox veterum defendit jura Quiritum,
Sanguineo delens plebeiam flumine Romam [14].
Extremam horrescens vidit Pharsalia [15] pugnam,
Qua Caesar plebem iratam, nudosque colonos
Exacuit. Patrum devicta superbia cessit,
Atque triumphatrix domita regnavit in urbe
Plebes, Imperiumque manu victrice creavit [16].
Ipsa suo dejecta gradu Respublica, motu
Deerrans vario, veterum neque jura tueri
Libera, nec cives sine more, sine ordine legum
Amplius injectis potuit compescere frenis.
In se dum versis luctantur turpiter armis,
Si cui prompta manus fuerit, nec inane sagacis
Pectoris indicium, et rerum prudentia major,
Gentibus ille praeest cunctis, et temperat iras.
Contigit, Octavi, tibi sors: tuque omnia mutas,
Nomina sola tenens, et dictus Caesaris haeres,
Imperium statuis: magno regis omnia nutu,
Divus et augustus princeps dominusque paterque.

Tum vero in terras Saturnia regna redisse
Crediderunt gentes: sed sensim decolor aetas
Ingruit, et partae delet vestigia pacis.
Caesareum nomen Julique exempla secutos
Quatuor imperii retulit malesuada cupido,
Qui prisco ingentem labefactant cardine molem.
Eloquar, an sileam Tiberî [17] execrabile nomen?
Perfidiae insueta effigies simulataque! vocem

Impius hic Romae extremam et coëuntia delet
Civica consilia, et ferali clade senatum
Deminuit: quamvis stimulante libidine monstrum
Se cohibet Capreis, adeo suspicio terret,
Horrida squalentem pessumdant funera Romam:
Atque loqui atque tacere nefas, gaudensque dolensque
In crimen trahitur: stat delatoribus unis
Commissum imperium, maculosaqua panditur aula.
Si quae restat adhuc pietas mortalibus aegris,
Impuri Caji [18] sileamus facta. Cadentis
Militiae effigies caliga produxit agresti
Quem furere humano delectat sanguine, seque
Adsimilem monstrare ferae: e praesepibus altis
Demens quadrupedem superas eduxit ad aedes
Et fasces dedit, et primo illustravit honore
Consulis. Excepit malefirmus Claudius [19], aulae
Ludibrium obscoenae quondam, risusque jocusque.
Claudius impuros mala per contagia mores
Spargit, et attonitam replet terroribus urbem.
Et nunc (quae superant foedae argumenta ruinae?
Quantaque servitii funesta exempla?) Neronem
Roma tremens patitur. Pudor eheu! Roma Catonis
Fracta metu, monstrum colit exitiale Neronem.
Quamvis innocuas contristant horrida musas
Crimina virgineo suetas errare recessu,
Qua pietas castis immulgens ubera labris
Eduxit, turpesque dolos, immundaque facta
Oderunt, crassam satagent transire paludem
Intacto pede: mortiferum impallescere coenum
Spectantes, pura exultabunt laetius aura.
Dum Petri Roma omniparens Ecclesia crescit,

Aurea Christiadûm soboles virtute coruscat
Insolita, tenditque ad sidera; Roma Quirini
Procidit in praeceps vasta convulsa ruina
Primaque caesarea pestis bacchatur in aula.
Heu! quo bajanae incestantur crimine ripae?
Qui cruor exundat? Naturae oracula matrem
Nequicquam fecere pium et venerabile nomen?
Infirmi funus Claudî properârat acerbum
Agrippina [20] potens, vacuamque effecerat aulam
Ocyus, ut solio natus regnaret opimo.
Oderat ipsa omnes proceres, temerataque turba,
Aulica nequities, reginam odere superbam:
Oderat ipse Nero, nec detestabile quibat
Perferre imperium dominae, fastumque protervum.
At Poppaea [21] fuit manifestae causa ruinae.
Foemina non humilis Poppaeo ab consule sumpsit
Materno cognomen avo, famamque triumphi
Splendoremque domus, sed formosissima mater
Palladii addiderat decoris mirabile lumen.
Olli comis erat sermo, variisque politum
Artibus ingenium, et perrara modestia vitae.
Vidit, deperiitque Nero, nuptamque marito,
Quem tartessiacas legatum misit ad oras,
Abstulit, et secum foedam transduxit ad aulam.
Extemplo mala communis contagia vitae
Poppaeam rapiunt: primae ornamenta juventae
Omnia servavit, sed honestas defuit una.
Furtivae fallax veneri indulgebat adulter,
Et dominum tanto moecha illaqueârat amore,
Ut dejecta gradu conjux Octavia, Claudî
Filia, nequicquam populari adjuta favore

Iret in exilium: inde redux clamore secundo
Romulidûm rursum ejicitur, mox jussa malignis
Cautibus emoritur, caput e cervice revulsum
Affertur Romam, et turpi ridetur in aula [22].
Uxore amota, taedas Poppaea jugales
Legitimumque torum ambibat: sed vota fuere
Irrita. Romano in solio Agrippina manebat
Incolumis tumidaque diu ambitione laborans.
At Poppaea gradu cunctis praecurrere, cunctis
Editius sola cupiens dominarier aula,
(Quidnam regnandi, venerisque insana cupido
Liquerit intactum?) sibi quam obstare videbat,
Totius in matrem vertit molimina belli,
Implacata serens odia, insanabile virus.
Ergo maternos Princeps vitare frequentes
Congressus [23]; si qua incideret, transversa tueri
Et rapere in pejus facta omnia, fasque nefasque
Miscere. Indignatum animum, natumque bilinguem
Agnovit genitrix, et amoena vireta petebat
Tiburis irrigui, suspectam rarius aulam
Invisens. Studio tamen instigare sequaci
Aemula, corruptamque diu praevertere mentem.
Graecia Cecropium vidit siluisse Solonem,
Cum variis poenas noxis imponeret aequas,
Quod terrae nequeant partus afferre nefandos,
Qui se sacrilega macularent caede parentum.
Atque utinam, venerande senex, sis verus aruspex!
Falsum mendacemque futura redarguet aetas [24],
Vix pauca humanae servans vestigia formae.
Ac veluti interdum gravioris imagine belli
Bellipotens ductor simul hostica castra sagaci

Observat studio, varias simul apparat artes,
Praetentosque solo cervos foveasque latentes;
Haud aliter diro conceptos corde furores
Caesar agit, meditans dubios qua dirigat arcus
Tutius, et tanto aspiret fortuna labori.
Pocula mortiferis primum saturata venenis
In mensis adhibet: fraudes Regina malignas
Praemetuens, biberat medicamina plurima contra
Thessalicas fraudes. Ubi nil conamina prima
Succedunt, ferro incautam superâsset in ipsa
Luce aulae; sed Roma fremens exterruit ausu
Infando, dirique sequax infamia facti.
Addit se comitem, incertoque supervenit ingens
Hortator scelerum, quondam libertus Anices [25],
Tum latiae ductor miseno in littore classis.
Impius accessit juveni, certoque furentem
Consilio accendit: Princeps, fidei accipe nostrae
Eximium pignus, quo invisae taedia matris
Avertas. Mihi mens magnam componere navim;
Sic tamen extremasque trabes, curvamque carinam
Digerere, ut fluctu in medio resoluta dehiscat,
Et rerum ignaram tumidos demergat in aestus.
Quis vero valeat casus numerare marinos?
Quis mare, surgentesque Euros in crimina raptet?
Sic ubi mortales aversa refugerit auras,
Ipse deam facies [26]; monimentum et pignus amoris,
Templum constitues, mystasque atque annua sacra.
Consilium placuit. Sed qua fas arte parentis
Incertum firmare animum, Bajasque vocare
Tam diffidentem suspectaque cuncta timentem?
Dissimulat Caesar: mutatisque ilicet iris

Matrem convenit, noctemque diemque moratur
Omnibus obsequiis. Odium implacabile vultu
Contegit: interiore aula, magnoque senatu
Induperatricis [27] primos concedit honores.
Tandem inimicitiam, et famae mala murmura credens
Delevisse, parat tempusque locumque nocendi.
Quandoquidem urbanae fugiens fastidia vitae,
Littora Bajarum laeto submota recessu
Visere consuêrat; longum mentitus amorem,
Persuasit matri natum comitare latenti
Hospitio, et paulum villa secedere amoena.
Foemineae usque adeo faciles ad gaudia [28] mentes!
Obsequitur nato Genitrix, Romamque relinquit.
Ipse Nero praeiens solemnes ordine pompas
Apparat, utque dicarchaeis erumpere portis
Regalem vidit fastum, notasque quadrigas,
Ultra progressus Lucrini languida stagna,
Obvius occurrit venienti, aque oscula dextrae
Adjicit, illacrymansque avidis complexibus haeret.
Tum Baulos ambo veniunt: quo nomine stabat
Villula, caesareis jampridem conscia furtis,
Misenum et Bajas inter submota, jugoque
Consita in aërio, et fluctus speculata remotos.
Hic magis atque magis crescit fiducia matris.
Nec visu facilis, nec dicto affabilis ulli
Caesar, praetexens simulati nomina honoris
Luxu exquisito convivia magna parârat,
Milliaque umbrosis rerum spectacula in hortis.
Decipitur mulier pesti devota futurae,
Elatoque animo sibi dulcia somnia fingit.
Perfidiae urget opus princeps fabricator iniquus:

Et seras ducens longis sermonibus horas
Nunc hilares lusus miscet juveniliter, et nunc
Vertit maternas ad publica commoda curas.
Hora propinquabat caedi condicta nefandae.
Agrippina parat reditum, jamque ebria magna
Laetitia falso postrema dat oscula Nato,
Excupiens avidam quamprimum invisere Romam.
At Nero laetatur dextram prensare, diuque
Maternis oculis, maternoque ore pependit [29],
Seu peteret fictae pietatis imagine pravum
Condere consilium, periturae sive supremus
Vultus barbariem obscoenam, quateretque ferinum
Ingenium. Trepidans summo diffugerat axe
Sol; at sidereo noctem splendescere peplo
Donârant Superi, et trepidae sub lumine Lunae
Per sudum fluctus interlucere marinos,
Ne scelus horrendum intempesta obnuberet umbra.
Navis magnifico stabat selecta paratu
(Tantus honor matri), quae praetergressa sonantis
Miseni caput ad Lucrini stagna referret.
Insurgunt nautae remis, pelagoque secundo
Laeti pervolitant: coetu comitantur amico
Augustam duo vix famuli, Crepereius, et quae
Altrix nutrierat regalem Agenoria alumnum.
Et nunc illa sedens pedibus cubitantis anili
Narrabat cura pietatis millia signa.
Jam mare contigerat medium ratis; inde Dicarchus,
Hinc Bajae magno complêrant littora coetu;
Totaque prodierat populoso e vertice Cuma.
Velivolae interea tranquilla per aequora cymbae
Gestierant longa navim stipare corona.

Continuo data signa: ruit grave pondere plumbi
Fundus navigii: magno Crepereïus ictu
Occubuit: Augusta parens et sedula nutrix
Abietibus tectae incurvis fugere ruinam,
Attonitaeque manent. Neque jam malesarta dehiscunt
Robora: tum vero latus inclinatur in unum
Totum navigium: ast operi consensio defit:
Contra stant alios alii; fit jactus in undas
Lentior. Assurgit clamans Agenoria: Nautae,
Eja agite, huc properate omnes, succurrite matri
Principis; at contis et quae sors obtulit ultro
Conficitur telis navalibus: aestuat unda:
Agrippina humero accepit male cognita vulnus.
Naufragam, et in medio jactantem brachia fluctu
Cymbula collegit, ripa exposuitque propinqua,
Qua domus Augustae, et lectissima villa manebat [30].
Interea Nero vicini de vertice montis
Omnia contemplatur avens. Simul audiit ictu
Evasisse levi, tremefactus inhorruit, ipsam
Affore quamprimum metuens, seu foeda vocaret
Servitia ulcisci crimen, fortesque colonos,
Seu Romam irrueret, populum invisumque senatum
Hortata, et certae monstrans conamina cladis.
Quod sibi subsidium? quoniam nil cetera prosunt,
In ferrum ruere, et scelerato absumere letho
Seminecem jubet. Haud segnes ad jussa ministri.
Terribili villam statione irrumpit Anices.
Tum fractis foribus, qua se fert obvia cumque
Servorum stipata phalanx, dextra urget iniqua:
Donec vociferans secreta cubilia venit.
Agrippina maris miseris defuncta periclis,

Attonitae similis, lectoque affixa jacebat.
E tanto quondam strepitu [31], plausuque sequentum
Unica vix ancilla manet, deserta silescunt
Omnia: vix humilis languenti lumine lychnus
Rumpit nocturnas tetro fulgore tenebras.
Fit fragor: incurrunt thalamo, ductorque micantem
Intorsit dextra gladium, laevaque prehendit
Longam caesariem. Illa videns in vulnera dextram
Sublatam, atque uterum [32] monstrans: Huc dirige ferrum,
Exclamat: plures feriere, natatque cruore
Tota superfuso, atque inhonesto vulnere foeda.
At natura parens ictu labefacta nefando
Dat gemitum: gemitu concussa perhorruit omnis
Miseni tellus, Prochytesque juga, Inarimesque
Matres contremuere, piosque ad pectora natos
Pressere. Immundus gaurano [33] vertice Daemon
Substitit, exiluitque ferox rumore sinistro
Bajanam excutiens oram trepidamque Dicarchum,
Linternosque sinus: stupet ipsa exterrita Roma:
Quid faceret patriae, meruit si talia mater?
Faticinas sortes, Chaldaea oracula poscens
Audierat: Nero regnabit, perimetque parentem.
Illa autem: Moriamur, ait, partoque fruatur
Filius imperio. Respondent cetera vati:
Quaesitum scelere imperium scelus inquinat omne.
At tanto Princeps temeratus crimine demum
Horrendum agnoscit factum, execrabile: visu
Terribilis pudibunda solo, et stupefacta revolvit
Lumina per noctem, nec dictu affabilis ulli
Sola petit loca: vix tandem lux crastina coelo
Emicat, invisa heu! nimium, scelerique latronique

Effugienda, domo egreditur, nemorisque cavernis
Delitet horrificis, caelumque refugit et auram
Aethercam. Haud aliter primo qui sanguine frater
Infecit terram, foveaque recondit in alta
Extinctum fratrem, ipse Deum si fallere posset,
Per sylvas agitur, lustrisque vagatur opacis,
Praetrepidans justa ignotae formidine poenae.

Quo magis ipse tamen commissa piacula sentit,
Tanto Roma magis nativi exuta pudoris
Relliquias, scelus excusat, mendacia jungens:
Maternas reprobat furias, caput omne malorum.
Primores venere: dolo praeit ipse senatus,
Servitumque ruunt patres equitesque: benigno
Alloquio recreant, gratantur murmure laeto,
Quod salvus fuerit, manifesto munere divûm,
Fraudibus innumeris, quas femina dira pararât;
Et Romae exemplo campanis proxima terris
Mittunt legatos, et fuso multa cruore
Victima sinceros populi testatur amores [34].
Ast homines vultum mutant animumque: locorum
Una manet facies nullo mutabilis aevo.
Dum fictis satagunt verbis solarier aegrum,
Bajani aspectus maris et cava littora terrent
Irrequietam animam: rerum portenta sequuntur;
Horrificae resonare tubae per inane propinquis
Collibus auditae, et gemitus lacrymabilis imo
Auditus tumulo tristes portendere casus [35].
Ergo funereo cernens nigrescere luctu
Omnia, sanguineae refugit loca conscia caedis,
Nocturnisque silens tenebris, perque avia vulgo
Incomitatus abit, romana ad moenia tendens.

Magna Palatini subeo fastigia clivi,
Qua Romae dominus fulgenti regnat in aula.
O domus, o Romae casus imitata vicesque
Mutatas domus! His crevit penetralibus ingens
Orator, quicum crescens sapientia Tullì
Aemula certavit. Magnae praeconia famae
Aedes ornabant modicae, qua marmora nulla,
Nullum ebur aut aurum: tantum suffulta columnis
Porticus Albanis conclavia laeta coronat.
Sedibus his crevit regnatrix gloria gentis
Augustae [36], fatisque domus ducentibus omen
Caesareum sequitur. Simul obsequiosa recepit
Curia suggestum, mutavit nomina mensis;
Addita divino veluti fastigia tecto [37].
Auspiciis felix patriis Augustus eadem
Majestate stetit manes ulturus Julî,
At non deseruit privatae sortis honores [38].
Ex oculis postquam Respublica prisca recessit,
Imperium aequavere lares. Qua navita quondam
Exiguo nabat Velabri stagna phaselo,
Expatiata domus aequataque machina caelo.
Ardua mens Tiberî, dominique auxere sequaces.
Utque domus magna crescebat latius urbe,
Cedere jus populi visum, civesque potenti
Unius imperio visi parere minores.
At non suffecit moles augusta Neroni;
Crevit opus: Romam praesenti numine complet.
Urbe jacet media velut omnipotentis olympi
Romuleo Jove digna domus, mirantibus ingens
Prodigium, periturae ultra conamina sortis.
At, quamvis raro praefulgent omnia luxu,

Omnes thesauros fudit natura creatrix,
Miraque ingenium expoliit feliciter arte;
Si mores hominum, si purae semina quaeris
Virtutis, quae sola potest praestare beatos
Terrigenûm coetus, pollutis effuge tectis:
Nulla fuit nec erit terris funestior aula [39].
Antiquae gentes [40], mira radiantia luce
Nomina Silani et Domitî Claudîque potentis,
Quos vetus ingenti Roma illustravit honore,
Et qui romanas felix Octavius arces
Restituit, quemque e tenebris primum actia bella
Protulerunt Agrippa gener, nova nomina Romae
Atque novae gentes, commixto sanguine, stirpem
Jamjam degenerem peste infecere recenti.
Qualis ubi quondam ingenio mutata priori
Arbor degenerat campis, ignavaque fronde
Luxuriat sterili, dissecto caudice cultor
Inseruit juvenem peregrina ex arbore foetum,
Una concreto sperans inolescere libro:
At frustra alterius ramis, cultuque frequenti
Antiquum plantae sperat reparare vigorem:
Infoecunda manet, corruptaque semine in ipso
Aegrescit sylvestri anima, contactaque moeret
Deterior, vitioque perit consumpta maligno;
Haud secus adscita imperio firmamina Romae
Jamjam casurae extremam traxere ruinam.
Quodnam flagitium sedes polluta refugit?
Hic Romae gravis illa parens, graviorque noverca
Caesareae domui, juvenilia pectora, natos
Sustulit Agrippae: muliebribus effera curis
Livia canitiem Augusti turbavit honestam [41].

Julia [42] ter nupsit major, ter pacta resolvit
Foedera connubii: genitor miserabilis urbe
Ejecit macieque dedit tabescere longa.
Heu! fuge crudeles auras, Germanice, ductor
Armipotens, Romae meliori vivere saeclo
Dignior: at foedae insidiae per cuncta sequuntur,
Et Syria in magna tabes funesta peredit.
Altera adulterii damnatur Julia: nudus,
Informis Trimeri scopulus spumante coërcet
Aequore: Calvina incesto maculata peregre
Pellitur Italia, Cajus delicta sororum
Eluit exilio, dum condit templa Drusillae.
Exilioque domos, et dulcia limina muta,
Silane, aut Romae fatum te triste manebit.
Posthumus Agrippa ignarus jugulatur, inermis.
En specus immanis, quo saeva morte peremptus
Occubuit Cajus: tenebris et carcere caeco
Junior hic periit Drusus: triclinia cernis,
Qua mensae accubuit, pateraque Britannicus aurea
Hausit, quae dira infecit Locusta venena.
Tali intus templo scelerum, nec majus in orbe
Nutritus crevit Claudî deterrimus heres.
Annaeus Seneca assuetus lustrare reposta
Lumina doctrinae, et Burrus, cui totius aulae
Tradita praetorîque vigil custodia, magnis
Rexerunt curis vestigia prima Neronis.
Quamvis interiore aula perrara potentum
Tempus in omne fuit concordia, munere magno
Hi mansere pares [43]. Romano more severa
Militia imbuerat Burrus duraque palaestra,
Musarum studiis Seneca eloquiique diserti.

Ambo luctari, ne lubrica principis aetas
In pessum rueret. Magnum certamen utrique
Contra Agrippinam, quae fastu elata superbo
Et Natum et Romam moderari sola putabat.
Paulatim abrupit Nero detestabile matris
Imperium: fraeni impatiens mox cuncta relaxat
Lora cupidinibus: scelus est clarescere [44] magna
Virtute aut opibus, ferrum et crudele venenum
Praesto adsunt: crebro incestatur funere Roma.
Dum Seneca et Burrus urbis mala gliscere cernunt,
Subsidia imminui, nullam apparere medelam,
Funesta incipiunt paullatim excedere ab aula,
Tutius et credunt amotis vivere in hortis.
Horrida romani patet induperatoris imago.
Detestata mali species: implacabilis extra
Contemtus hominum, atque intus veneratio demens,
Caeca sui, humanosque ausus audacia supra,
Atque Deum contra insanae molimina luctae.
Quo tamen incumbit solium bene cardine nixum?
In sabulo aedificata levi stetit ardua turris,
Quo traheret casu immensas graviore ruinas.
Ergo ubi Bajarum effuso saturata cruore
Littora diffugiens regalem allabitur aedem,
Semotus longe media se protrahit urbe,
Et supra cives romanaque cuncta locatus,
Ipsam hominis formam fugiens, humanaque temnens
Vincula terrificus magnis spatiatur in aulis.
Qui comites olli? per iniqua silentia quaenam
Excubat insomnis foribus custodia ahenis?
Terribiles visu species, informia monstra,
Quae portentifero foetu concepta creavit

Incauti fraus prima patris, varioque remiscens
Semina concubitu aggessit numeroque modoque.
Devia jamdudum et totum errabunda per orbem
His sedem posuere locis. Stabula alta ferarum,
Dedecus infandum! crassa caligine septa
Vulgares latuere oculos, portentaque foeda
Romulidae adsimili contecti nube tueri
Hactenus effugiunt. Soboles sata sanguine Christi
Largifluo, diaeque facis lustrata nitore
Monstrosos novit partus, saniemque perhorret
Impurumque nefas: sanctos fugere vicissim
Monstra, nec aspectum possunt tolerare nitentem.
Informem ducit malesuada Superbia coetum,
Quae prior aetherium maculavit lumen et auras.
Nam quondam horrisono percussus fulminis ictu
Ales sidereae custos pulcherrimus aulae,
Ut primum cecidit foedum damnatus ad orcum,
Improba progenies partu prognata nefando
Infecit diro modo natum semine mundum.
Foedo laeta satellitio frontem ipsa severam
Hirsutumque supercilium fastumque tumentem
Attollens, frustra flentes aversa tuetur
Orantesque diu, funestoque ebria fumo
Infra se posita adspectat mortalia, fasque
Despectatque nefas, aut si quae ficta feruntur
Numina, caeca suo credit famulantia regno.
Nec procul irrequieta stupet soror aemula, coeno
Obsita avarities: exanguia membra perennis
Depascit macies, defosso illa incubat auro
Immoriturque tuens. Media ceu Tantalus unda
Arescit moriens, et labris roscida lympha

Effugit, effugiunt beneolentia poma propinquis
Pendula ab arboribus; penitus defossa talenta
Caelati argenti cernit, phrygioque tyranno
Tristior inventas trepidat contingere gazas.
Saepe animas stimulans in aperta pericula viles
Praecipitat: quos cura patrum irrequieta locavit
Thesauros, immensum argenti pondus et auri,
Unde senatores, equitesque ignava sequuntur
Otia, seu nimium indulgent popularibus auris,
Obliqua insidiis furtim praedatur opertis,
Nocturnisque domos perfundit caedibus, audens
In vacuam, occiso domino, perrumpere sedem.
Ah! quo Luxuries inhonesto laeta triumpho
Compita pervolitat, curruque astringit ovanti
Nescio qua praeter solitum dulcedine captos,
Illa olim rudia at formissima corda, Quirites?
At quamvis syrio distillant tempora nardo,
Atque interlucens gemmis auroque monile
Pectora distinguit, pastae praesepibus altis
Lactantes asinae beneolentia balnea praebent,
Arte laboratae vestes, ostroque rigentes
Sidonio tamen effoeto manantia tabo
Corpora mendaci nequeunt abscondere velo.
Turpius haud quidquam aetas insidiosa parentum
Terris parturiit miseris. Corrumpitur atque
Omnia corrumpit [45], contactuque omnia foedat.
Servitia immunda obscoeno famulantia regno
Et Ninive et Babylon et Persis subdita Grajo
Exceptum virus funesta morte luere,
Pergamaque occubuere fero collisa duello [46].
Hinc ubi praecipitem florentia regna ruinam

Traxere, occiduam meretrix contendit ad oram,
Per foedas urbes contagia dira propagans.
Graecia praesentit prima execrabile virus,
Primaque succubuit pellaeo victima ferro.
Et jam, victa Asia, argolicis laetata triumphis,
Barbara romana pellex superastitit urbe.
Illa gravem evertit populum populoque subacto,
Induperatorum plena spatiatur in aula,
Unde manu citharam tentans, myrtoque decora
Dira per incautum sevit contagia vulgus.
Hinc fas atque nefas vertit, thalamosque genusque
Polluit, atque domus vetito incestavit amore [47].
Quin etiam formae humanae ingeniique virilis
Poenitet amentem: pessumdata more ferino
In caecam venerem, sineret pavor, obvia abiret:
At quis naturae posset pervertere leges?
  Quae vero illa autem flammis accensa nefandis
Ardentes oculos objecta nube recondit?
Ora recognosco, atque habitum implacabilis Irae.
Praecipitem gressum, furibundaque vulnera cerno,
Vulnera, quae infelix animi primo impete jecit,
Omnia distorquens sensu rapiensque maligno.
Eheu! quae imperio, quae Romae saeva ruenti
Incubuere mala, ut primum furialis Erynnis
Regnandis populis sine lege, sine ordine demens
Incidit! heu quantos injuria suscitat ignes!
Poena praeit, sequiturque nigrae formidinis ora,
Fraudesque insidiaeque gradum comitantur euntis.
Interdum indomitus furor, immedicabile vulnus
Alta mente manet, poenaeque in imagine flagrat,
Ulcisci impatiens, neque juris sentit habenas.

Nec porro infernas comitari turpe sorores
Agmen respuerit, quae cura pallet inani
Invidia alterius rebusque macrescit opimis.
Nata humili ignotoque loco sibi cuncta reposcit
Debita, nec quidquam patitur praecurrere majus.
Quin etiam magna in melius procedere coepta
Conspiciens, lectumque omni florescere honore
Ingenium, magnaeque domus concrescere felix
Auspicium, longi sentit tormenta doloris.
Ipsa inimica ruit demens per compita, mentemque
Incautam populi rumore accendit amaro,
Si fors crescentis deformet nomina famae.
Una regit fraus, una nocentes sufficit artes.
Quod Deus omnipotens venis impressit in imis
Et natura suum ingenium proprio impete pandit,
Ut quisque auxiliis junctis concurrat in unum
Et commune bonum, partisque fruatur amice,
Foederis ipsa decus secat admirabile, seque
Unice amat, tantumque sibi vix cognita vivit.
At quae Scylla vorax, et nunquam explenda Carybdis
Exitiale gulae damnum, aequabitque ruinas
Indecores? Centum fauces alit ipsa reclusas,
Nec contenta novos etiam sibi poscit honores.
Post partum imperium, sophiae post vana reperta,
Post Asiae regna indignis spoliata rapinis,
Ecquis erit finis? quae meta novissima vitae?
Una gulae ratio cunctis, erit una voluptas.
Nec modo quae frugum mater fuit itala tellus,
Exquisita epulis solatia sufficit; orbis
Victus Romulidûm mensis quaesita ministrat
Munera. Vina Chios mittit, lectasque volucres

Phasis; per lybicum quaeruntur nota profundum
Ostrea. Cuncta vorans, barathroque exhausta profundo
Omnia consumens comedit, saturata vomitque [48]
Ocyus, et lautis repetit convivia mensis.
Ultima stat segnis dejecto Ignavia vultu.
Nuda pedem, nudos humeris effusa capillos,
Atque soporiferum senium, nubemque veterni
Fronte tegit, somnoque trahit languentia membra.
Si quid amor patriae, laudumque arrecta cupido
Suaserit, illa alacri geminans obstantia menti
Impedit; illa viam omnigenae demonstrat iniquam
Virtutis, partesque suas qui fungitur, ore
Obscoeno insultat, risuque inspergit amaro.
Otia lenta sequi, placidae dare membra quieti,
In medios dormire dies, nîl cuncta morari
Cetera, magna jubet foedae sapientia Romae.
Talia per medias stabulantur monstra columnas
Ipso in vestibulo: cumque horrida turba Neronem
Ausu tartareo, caedisque recentis onustum
Opprobrio cernunt subeuntem moenia, plausu
Exiluere novo circum, rictuque protervo
Infremuere: sui melius namque omina regni
Infernas late spectant adolescere lauros.
Turbatam interea praenuncia fama per urbem
Diditur extemplo Romam rediisse Neronem:
Hos metus, hos amens movet assentiatio ad aulam.
Nec minus ipse jubet Praetor, auctore senatu,
Majora aeditui properent praepandere templa,
Circumeatque frequens populus, Divosque salutet,
Exolvens justas romano nomine grates [49].
Nec mora: suppliciter per pulvinaria Roma

Omnia versatur: cunctis donaria templis
Matronae affigunt votivis vestibus albae,
Romanaeque tribus festivo gaudia vultu
Prae se declarant: uruntur mascula thura.
Tunc Pater umbrarum tota motavit in urbe
Tartareas pestes, mendacia mille Deorum,
Omniaque impuri explicuit mysteria regni.
En Syriae [50] famulata Deae densissima turba
Fertur: tardipedis gressum comitatur aselli
Cui caput atque humeros intortis taenia vittis
Plurima, et umbrosis vestit frons verna corymbis.
Numinis impositam effigiem (seu regia Juno
Seu Venus illa fuat tenerorum mater amorum,
Incertum est) Mystae innumeri clamore secundo
Circumdant, choreisque vacant, et carmina dicunt.
At mox horrendum Corybantes [51] aere canoro
Increpuere, Phryges patria sed nomine Galli.
Crinibus effusis, raucarum murmure vocum
Attonitum sistunt vulgus: stat vertice celso
Sacrifer insultans, isque aenea tympana vincit
Clamore horrendo exululans: mox corpora nudat
Membraque districto secat immiserabilis ense.
Manantem tepidum per vulnera secta cruorem
Excipiunt comites pateris; digito ille refuso
Asseclas humiles per frontem et tempora pingit.
Ecce autem devota ciet patrium agmina sistrum.
Linigera advenit candens in veste sacerdos
Isidis [52], et capite abraso: Dea condita velo
Arcano quondam dignata invisere Tibrim
Induit humanam effigiem: stat cetera Virgo,
Corpore virgineo vituli caput extat opimi.

Tum vero Mystes: Per Anubidis ora verendi,
(Ecquis latrantem non deveneretur Anubim ?)
Ite sub auriferam Meroën, Nilumque fluentem
Haurite, isiacique effundite limine templi.
Districtus vestris cervicibus imminet ensis.
Omne nefas Nilus lustralibus eluit undis.
Patriciam sed celsa vocant Capitolia Romam,
Qua prior aequaevis concrevit moenibus urbis
Romula Relligio [53]. Collis saturnius olim,
Cum veterem sedes excepit rustica regem,
Et mox Tarpejus, cum auro corrupta sabino
Virgo munitas hosti male prodidit arces,
Surgenti fuit augurium admirabile Romae.
Fama refert, multis sed fama obscurior annis,
Hetruscum Tolum, dederat cui Vulcia stirpem,
Conatum patriae solium usurpare supremum,
Foedifragum expendisse suo cum sanguine crimen.
Truncatum exposuere caput, nomenque profana
Fronte fuit sculptum, justum ambitionis iniquae
Supplicium, et cunctis instar memorabile saeclis.
Tullius illustri prognatus gente, capessens
Romanum sceptrum, cineri funebria solvit,
Et cum Tarquinius fundamina vasta superbus
Effodienda loco jussit, qua coeperat alter
Priscus, disrupta caput e cervice revulsum
Emicuit. Regem tetigit mirabile monstrum,
Et Tusci vates arcem et Capitolia magni
Imperii rerumque caput cecinere futurum.
Nec stetit hic species venturae nuncia sortis.
Dum plana ingenti consurgeret area campo,
Cunctaque cessissent templo delubra recenti,

Terminus abdixit, propria neque sede Juventas [54]
Mutari passa. Acciti responsa tulerunt
Vates, immotumque Deum portendere firmum
Et stabile imperium, atque Deam cui laetior aetas,
Et solidum robur, semper juvenilia regna
Monstrare, atque mares animos, viresque vigentes.
Ingens tum templum fatali desuper arce [55]
Extructum, magnaeque stetit venerabilis urbi
Moles, aeterni effigies tutissima regni.
Jupiter in medio templum cellamque tenebat:
At binis eadem servant laquearia cellis
Hinc Juno Regina deûm, hinc Tritonia Pallas.
Jamque nitescentis sub limina solis, aventes
Tercentum famuli simulacra insignia honestant.
Plurimus ante Jovem virgas, durasque bipennes
Saevus habet lictor: stat nomenclator in aures
Numini adorantum adventus et nomina dictans.
Nec minus et tecti duplex custodia Divae
Mercato ornantur cultu; pars, arte magistra,
Fucata inducit rigidis pigmenta capillis,
Pars totam assyria properat perfundere myrrha,
Eoaeque sinus tenues circumdare vestis.
Mox epulum extructum dìs servatoribus: ipse
Jupiter in lecto accumbit sellisque Minerva
Et Juno: lectum et sellas pulcherrima vestis
Stragula, condecorantque auro gemmisque tapetes
Intexti: lautoque parat convivia luxu
Septemvir: cunctas stat victima major ad aras
Plurima, placatura deos lustralibus extis.
Mutati o mores [56]! mutataque tempora! Quondam
Insignis rediens victo bellator ab hoste,

Ipse et bellatrix acies sistebat ad urbem,
Augusta expectans rigidi mandata senatus.
Armigerae tum templa Deae conferta petebat
Turba patrum, sancto expendens examine jura,
Nec quaesita dabat meriti decora alta triumphi,
Nì justum numerum càmpo stravisset aperto
Victor, et imperium domito firmasset in orbe.
Interfectori matris nunc pompa triumphi
Indicta. Id patribus sanxit romana vocatis
Curia (solus abest Thraseas [57], victusque recedit),
Et jam Roma parat solemnes ducere pompas.
Ipse Nero victor Tyrio conspectus in ostro,
Laetaque pacifera redimitus tempora lauro,
Quadrijugo invehitur per maxima compita curru,
Dum laeti applaudunt populi rumore secundo;
Perque viam graditur Sacram, et Capitolia summa
Conscendit, solidam gemmis auroque coronam
Laturus. Praeeunt patres, crebrique coronant
Ad delubra deûm solemnia dona ferentem,
Pontificesque choris variis, et ovantia gyro
Agmina, magnificis omnes in vestibus, omnes
Caesariem impliciti vittis ramisque decoris,
Quatuor eximios praestanti corpore tauros
Ante aras statuunt: tibi Caesar maxima sacra,
Jupiter, ipse tibi mactat, totidemque juvencas
Cervice intacta vobis, Juno atque Minerva.
Interea totus suavi modulamine collis
Assonat: innumerae gentes glomerantur in altis
Porticibus, rapidisque vident adolescere flammis
Viscera, votivumque sacrum rapiuntque feruntque.
Vae Romae! quondam felicibus hostia dextris

Procubuit benefacta Deûm, eventusque secundos
Testatura urbis: nunc impia funera, caedes
Nunc miseras, vice mutata, testantur agendae
Numinibus grates illataque munera templis [58].
Tum vero matri invidiam atque odia aspera movit,
Effera rescindens luctus decreta recentis.
Extorres alios ignota per oppida fines
Advocat ad patrios; aliis, quos impius ensis
Messuit, inferias miseras, nomenque sepulchri
Obtulit, et cupiens facilis clemensque videri
(Sic abolere sui credit perjuria facti)
Carnifices laqueumque abolet. Quae territa Roma
Barbariem Tiberî immanem, Cajique furores
Indomitos perpessa diu, vix fulgere vidit
Qualia sublucent fugiente crepuscula sole,
Et tot materna illatos feritate dolores
Audivit, sceleri Roma exhilarata pepercit:
At laesa exuperat Natura, ultura nocentem.
Si cui fas fuerit patefacta mente tyrannum [59]
Inspicere, atque imas cordis lustrare latebras,
Non equidem dubitem, quin saevo livida morsu
Vulnera mortiferosque ictus, luctumque metumque
Perlegeret. Ceu corporeos diverberat artus
Intortum verber, feritate, libidine, fraude
Tunditur impatiens animus: sua crimina sonti
Supplicia: ipse aulae splendor taciturnaque tecta
Non lenire queunt: curae comitantur edaces.
Impius ipse suam poenam et tormenta fatetur.
Sic quondam veri non tota effoeta vetustas
Alludens finxit Tytium [60] omniparentis alumnum
Telluris rabido depasci vulture; at illi

Immortale manet pectus, foecundaque poenis
Viscera; nec requies fibris datur ulla renatis.
Improba certatim trepidum simulacra Neronem
Circumeunt, urgentque: velut si forte maligna
Nocte viatori fraus implacata latronum
Incubuit, tumidasque minas gladiosque ferentes
Horrisonis laniant flagris, foedisque cruentant
Vulneribus; seu forte lupum per ovilia plena
Grassantem irrequieta canum vis aemula sistit,
Deprensumque agitant morsu et latratibus; omnis
Excutitur caula, et montana cacumina circum.
Tum vero lux illa animo memoranda recurrit,
Cum teneram vidit ludis juvenalibus Eunen;
Caelesti obstupuit forma, raptaque potiri
Excupiit frustra! Sublustri noctis in umbra
Territa diffugit penetrali e sede puella:
Nulla fugae ratio apparet, vestigia nulla:
Ipsi etiam attoniti casu trepidique ministri
Deficiunt. Animo violati injuria amoris
Acrior insurgit, vacuamque perambulat aulam.
Non secus ac laterum saevis cruciatibus aeger,
Si quando gravis accedit dolor, uritur aestu
Per thalamum infelix, atque huc versatur et illuc,
In partesque ruit varias, frustra ille levamen
Quaerit, nulla patet saevo medicina dolori;
Sic olli caecum, stimulante cupidine, pectus
Uritur: has tandem auditus geminare querelas:
Ventum est ad finem: somni sine munere luces
Sollicitasque traho noctes: loca plena timoris
Omnia: quid faciam? me despicit ipsa fugitque
Foemella infelix: miseris abstrusa latebris,

Maluit ipsa mori quam ingentem ferre Neronem.
Me, video, tellus odit caelumque: relinquor
Undique: me fugere exoptem: praesentius at me
Sentio adesse mihi; vivens saevo immoror orco.
Quid loquor, aut ubi sum? nostram quis circumit aulam?
Hostis adest, mediaque domo et penetralibus ipsis
Insultat. Totane parum metuemur in urbe?
Talia flammato secum dum corde volutat,
Tigellinus [61] adest. Ex quo Respublica retro
Sublapsa, inque manum unius venere timendi
Imperii vires, magna dominarier aula
Suêrant ignota lecti de plebe ministri.
Ollis jam primum concredita summa regundi
Caesareae interiora domus, sed gratia crevit,
Magnis criminibus quaesita potentia crevit
Usque adeo, ut sensim graviora negotia Romae
Ad sese traherent. Coeptis immanibus omnes
Anteiit Tigellinus, rexitque potentis
Imperii clavum. Miserae post funera matris
Praecipue, primos aditus et tempora quaerit,
Quî possit rabida turbatum mente Neronem
Fidus consultor vacua ditione tenere.
Ergo dum vario curarum fluctuat aestu
Princeps, improvisus adest, reficitque dolentem:
Romani specula imperii, solioque locatus,
Quo nihil in terris majus surgensque cadensque
Sol contemplatur, Deus optime maxime Romae,
Solus et incertus magnae penetralibus aulae
Semper carpere? anne Tibi quid defuit? illum
Acclinem genibus tristis, torvusque tuetur
Caesar: mox imo ducens suspiria corde

Praetulerim quod ego cunctis, hoc defuit unum
Pax mihi, respondit. Quî fas mihi pace potiri?
At tibi longa fuit promissi copia semper,
Ventosa lingua cunctis cane jurgia: verbo
Devoveas animam famae capitique Neronis.
Quid virtus tua magna egit? quo graja virago
Delituit, quave esse putes? tua magna facultas
Per totum imperium, tantisque exercita curis
Quo tandem valuit? Mihi nulli fidere tutum.
Contremuit verbi rumore incensus amaro
Molitor scelerum; longa experientia rerum
Edocuit, quanto distet discrimine caedes.
Ut vero attonitus vires mentemque recepit:
Conquereris merito, sed ego, sanctissime Princeps,
Praedixi toties, ne quae jactura potenti
Imperio fiat, romanum dedecus, omnem
Hebraeam gentem nostra procul urbe fugandam.
Claudius ejecit: tua cum clementia longo
Exilio revocat, benefactum insigne rependit
Seditione? dolis? Omnis manifesta patescit
Proditio Hebraeûm. Thalamum servabat herilem
Calvus; nonne gravi fidissima munere semper
Calvi dextra fuit? Calvo concredita virgo.
Novimus at nuper tanta novitate sacrorum
Illectos primae noctis fugisse tenebris,
Et Calvum frustra, frustra quaesivimus Eunen.
At mihi ne credas tua jussa oblita; latebras
Virginis argolicae immensis erroribus urbis
Hactenus, invitus fateor, cognosse nequivi:
Tarsensis senior, confidentissimus inter
Hebraeos meritam ipse luet cum sanguine poenam.

Constans ingenium, praepollens gratia linguae
Terretur nulla objectae formidine mortis.
Quam fortuna sinat privata, audentior ipsum
Judeaeae regem Agrippam, judaeaque movit
Agmina, et argolicas urbes, aulamque penetrans
Cecropiam patrum non formidavit acumen.
Credidit alloquio missus pro consule Cyprum
Sergius, et Syria et Judaea et Graecia ad usque
Illyrium audierunt fantem: comitantur in urbe
Judaeus Graecusque frequens, et barbarus: ille
Concilium celebrat multis cum millibus, omnes
Unanimes praesto jurare in verba magistri.
Qua rectum Tyberis disterminat insula callem,
Dum variis famulos morbis senioque gravatos
Sollicitat, nostri metuenda militis arte
Captus, in horrendo servatur carceris antro.
Tum Nero confidens animi meliora ferentem
Mitior adspexit, sed vultu supplice fatur:
Tigelline, tui nunquam fiducia cessit:
At non aggrediere tuum servare Neronem?
Ah! quae nocturnam tenus hac turbare quietem
Assuêrunt, gravius me nunc insomnia terrent.
Prima quies aderat, cum curis fessa diurnis
Corpora laxabam, pacata per aequora ponti
Ingentem navim velis remisque videbar
Dirigere: extemplo ignota virtute revulsum
Cerno gubernaclum [62]. Venit ecce Octavia conjux.
Per loca senta situ, per luce carentia regna
Pertrahit invitum, et latebrosa in vincula claudit.
Et mox pennipotens densis exercitus alis
Formicae [63] incubuere: gravi me turbine pressum

Volvunt, et validis nequeo me exolvere nodis.
Cetera quid memorem? Pompeja theatra sategi
Indugredi, at statuae quae limina vasta coronant,
Gressu circumeunt me primo adituque repellunt.
Quam metui, quorsum malefaustus cesserit annus!
Omnia prospicio manifestae signa ruinae.
Praeterea ante oculos semper fera matris imago
Errat, et imperium converso cardine turbat.
Crede mihi; nigra vix caelum circumvolat umbra,
Terribiles visu species, larvaeque feroces
Cunctantem exagitant; sed forma horrentior omni
Agrippina parens sese fert obvia: qualis
Heu! facies, quantum specie mutata priori!
Caesaries inculta jacet pallaeque nigrantis
Discerptum induitur tegmen, nudataque monstrat
Viscera, et ardentes oculos, maculisque trementes
Interfusa genas flammantem lampada quassans
Persequitur natum: ipse miser penetralia in alta
Effugio; sed pone subit crudelior umbra,
Indignata, fremens, et verba minacia jactans.
Dormis, increpitat furialiter; impie, dormis?
Ecce ferum capiti exitium supereminet: ecce
Hostis romanos victor perrumpit in agros,
Et vastat loca cuncta tibi. Quid demoror hostes
Externos? media impatiens conjurat in urbe
Diruere imperium populus: tremit icta dehiscens
Tellus sub pedibus: truculenta ab fronte corona
Excidet, infandae daberis fera victima morti,
O malesane . . . Tacet super his, et nocte profunda
Solvitur: interea vastis ululatus in aulis
Personat, et longos gemitus inclusa remittunt

Atria: sic misero superest pax nulla Neroni.
Quid sibi tot portenta petunt? an credere quibo,
Quod me romano e solio detrudere certent?
Non ego dissimulem. Quot cerno vivere Romae,
Tot saevos hostes cerno metuoque: salutant
Omnia in obsequia effusi: comitantur euntem
Per plateas strepitu laeto, et clamore secundo.
Ast odium latet intus, ineluctabile cerno
Serpere discidium, et flammas ardere minaces [64].
Me juvat austeram Burro didicisse magistro
Militiam: at quantum Burrus diversus ab illo est
Bellica qui puero veterum documenta Quiritum
Tradidit? ad magnos per me deductus honores
Fors majora cupit, vastique affectat habenas
Imperii. Seneca ingenuae qui Palladis arte
Edocuit juvenem, uberibus ditissimus arvis [65]
Atque auro tutae nocturna per otia villae
Luxurians celebrat dubio convivia coetu.
Quid memorem urbanam plebem? granaria Romae
Absumpsi modo: donavi sextertia centum
In capita: an plebem linguis animisque faventem
Crediderim? semper queritur mutabile vulgus.
Turbida foedifrago conjurat Curia motu [66]:
Jamdudum admirans Gracchos tumidosque Catones
Inclyta suspirat veteris miracula Romae,
Jura sibi poscit veterum sublata Quiritum.
Massilia Sylla exitium, Plautusque minatur
Ex Asia [67]. Ille fremit duris in rebus egenus,
Deposuitque suam regni novitate salutem:
Hic gravibus Sophiae studiis acrique timendus
Ingenio, dubiae conjuratoribus urbis

Pacta ligat. Gemini se jactant sanguine junctos
Caesaribus, cupiuntque thronum affectare supremum.
Hic Nero conticuit; toto sed vertice crinis
Horret turbatus, stant tristia lumina flammae;
Pallida mox lacrymis humectat grandibus ora.
Tale viro ingenium, quavis formidine mollis
Flere instar pueri, atque preces descendere ad imas.
Dumque dolet, metuitque, tamen geminata recrescit
Saevities, animoque malo mens impia saevit [68].
Quid faciamus, ait? quanto circumdamur hoste,
Tigelline, vides: Romana Palatia serva.
Inventus puer in trivio, cunisque notatum:
Exposui puerum, matrem ne occidere vellet [69].
Quis non extimeat? tu Romae cuncta quieta,
Non ego crediderim: sunt qui mea facta maligno
Observant oculo atque notant: fortasse silescunt,
Poenas namque timent, et inevitabile fulmen:
Atque utinam fallar! tali ne crede quieti;
Suppositus cineri latet ignis, fomite flammam
Corripiet, totamque ruent incendia Romam.
Ad quem sic aulae fallaci instructus in arte:
Tu quodcumque jube: mihi jussa facessere fas est.
Attamen indignus timor hic; tete aspice circum.
Jus omne imperii in te uno: sors prospera vertit,
Si qui caesarea consanguinitate propinqui
Securam imperii poterant turbare quietem [70].
Quaesitos meritis titulos adsume superbis.
Tu vatum princeps [71]: augusta palatia scandunt,
Si quae Phoebaeus flammis ardentibus ignis
Educat ingenia, et sera sub nocte repostas
Exercent musas et carmina millia pangunt,

Fontes quae invideant Aganippidos Hippocrenes.
Ipse oratorum princeps [72]: tibi mellea Pitho
Insedit labris, victusque recederet ipse
Arpinas, fora vel misces aulamve senatus.
Judicium solemne tibi decrevit honorem
Eloquii palmam, nullo simili atque secundo.
Tu Sophiae princeps [73]: lautis accumbere mensis
Saepe Sophos vidi praecepta austera Zenonis
Proferre in medium: te stoica turba loquentem
Obstupuit, simul ac mira dulcedine vocis
Doctrinae nebulas tectae, ambagesque resolvis.
Tu pictor sculptorque potens [74]: quas rustica Roma
Agris assueta incultam traducere vitam
Illustres artes sprevit, perpessa decoros
Artifices humili in triviis decumbere coeno,
Squalenti ipse situ revocas, moresque venustos
Efficis, et Romae civilia lumina praebes,
Saltare et canere, atque fides tractare canoras,
Atque aurigare. Ipse choros attollis ovantes
Ad splendorem aulae, pubesque incognita agrestis
Gaudia concepit stupuitque Neronia Roma.
Ah! ego si qua tibi fors liberiora profabor,
Da veniam, Caesar, neque viribus amplius aude
Indubitare tuis. Alieno vivere suêrat
Claudius imperio. Famae generosa paternae
Nobilitas, lectae cognata superbia formae,
Et celsa ambitio, atque auri irrequieta cupido,
Foemineam extulerant mentem: mox ebria summi
Arripit imperii fastigia. Principis uxor
Hactenus unius muliebria foverat aulae
Consilia: Augustae titulos ingentibus aequans

Factis Agrippina virum Romamque gubernat;
Assidet illa throno graviora negotia tractans;
Legatos illa hospitio regesque receptat,
Utque potens virtus etiam manifesta pateret
Gentibus externis, Ubios [75], germanica castra
Queis genita, ingentem populum, veteresque colonos
Transtulit, atque suo dixit de nomine gentem.
Jamque supergrediens mortalia cuncta, sacrato
Inclyta carpento exultans Capitolia scandit.
Quid mirum, si Roma jugum muliebre perhorrens
Allata caede exiluit? Nunc crimina cuncta
In foedum conficta caput plebs territa novit.
Novit Agerinum [76] materna fraude per hortos
Deprensum, et strictum gladium sub veste tegentem,
Novit regnandi longa assuetudine captam
Romani imperii consortia sceptra petentem,
Et juraturas tentasse in verba cohortes
Foeminea: utque fides stetit inviolata vetusto
Foedere, militibus donum plebique negasse.
Publica fortuna et Romae felicior aetas
Foedifragam extinxit. Communi voce nefastum
Natalem dicunt. Statuit sententia Patrum
Quod lux insidiis foret urbi sacra retectis.
Curia paciferae simulacrum insigne Minervae
Accepit, juxtaque deam veneranda locata est
Principis effigies [77]. Quidnam reminiscere matrem?
Solus et omnipotens vacua dominaris in aula:
Heic tu patricios memoras, magnumque senatum?
Quae vetus antiquos jactabat Curia patres,
Jamdudum renovata tuo de numine pendet;
Nutantes latitant turpi formidine capti.

Ex quo Romulidûm tenui pendentia filo
Omnia cognôrunt, depressa superbia sensim,
Omnes edidicere uni parere Neroni,
Qui partitur opes fidis, partitur honores.
Et Burrum metuis? praetoria deserat arma,
Nec te suspectum vana formidine ludet.
Finibus imperii legionum exercitus ingens [75]
Sparsus abest, absitque diu, ne insidiosa propinquum
Proditio, aut foedae vitient contagia Romae.
Militia Italiae deerret dispersa per amplum
Romae circuitum, aut vicina per oppida castris
Cunctetur positis: legio praetoria nostros
Ambulet ante oculos, et totam deterreat urbem
Armis instructis. Satis haec custodia nobis:
Invita pretiis animos, et praemia pone;
Et si romanam urbani contage veneni
Militiam metuis, veniet germanica pubes [76]
Auxilio. Externis confidere tutius armis.
Annaeum Senecam Sophiae incubuisse sinamus
In tenebris: procul hinc nubes et inania captet.
Plebs plura optaret? Princeps an largior alter?
Per te jam poterit regali vivere more
Desidie in molli: quae vectigalia nulla [77]
Solvit; frumentum dant horrea publica: saepe
Argentum donas: thermas extructaque pandis
Balnea, frigentes uberrima flumina Romam
Ducis aquas, surgunt ingenti mole theatra,
Indiga qua properat nullo plebecula sumptu.
Et mirum! plaudente choro proscenia scandis,
Et canis, et choreas ducis [78]. Quid Roma Neroni
Debeat, ostendit nuper, cum longius isses.

Quis plebi cererem dedit aut spectacula sueta?
Quin etiam saevo inclementis frigore caeli,
Cum tua vox dono divûm concredita Romae
Rauciret [79], plebes magno timefacta periclo
Omnibus accurrit templis divûm, omnibus aris.
Exultantis adhuc vocem vultusque recordor,
Nuper ubi Bajas linquens tutique recessus
Otia, romanam remeasti sospes ad oram.
Municipes ibant, qua proxima meta viarum,
Ut te spectarent propius; sed moenia Romae,
Compitaque innumera, et fastigia summa domorum
Opplêrat plebes, quae te clamore secundo
Praesidiumque, patremque, salutiferumque vocabat.
Ergo cuncta domi requiescunt tuta forisque.
Unum restat opus: magni capita ardua monstri,
Quod Judaea vomit legem indignata latinam,
Extinguenda igni, et valida excindenda securi.
Evellenda mali ratio ab radicibus imis.
Tum porro contentus eris. Neque dicta refuto,
Tigelline, tua: hisce Nero fidentior orsus.
Quae fera diluvies nostras irrupit in aedes,
Nescio: at Hebraeos ingenti fervere motu
Conspicio, et secum majores jungere coetus.
(Qua faciant causa, ignotum) documenta serentes
Insolita adsciscunt socios terraque marique.
Audistin? certus retulit mihi nuncius aedes
Graecinûm noctu ingenti crebrescere coetu.
Plautius anne potens nimium, victisque Britannis
Clarior imperium meditans discordia miscet
Murmura? Funestis ne quid deterrima turba
In tenebris agitet, toto nunc marte cavendum.

Maxima sed cautum dictat prudentia morem.
Namque sua perstant ita Relligione tenaces,
Ut lethum malint tanta pro laude pacisci.
Si ferro et flammis per totam ulciscimur urbem,
Augescit numerus: imitari nobile lethum
Audebunt omnes; erit illis gloria maior.
Hoc ego permetuo, estque malum in medicamine pejus.
Privatim praestat potius cognoscere cuncta.
Victori per me mulier permissa marito
Prisco more patrum, judexque domesticus ipse
Arguerit sontem, poenamque e crimine poscat.
At me nunc graviora vocant. Mihi nulla, fatebor,
Relligio est: nostri penitus tuque intima cordis
Agnoscis. Primos ex quo toto orbe timorem
Novi parturiisse Deos, et numina nostra
Pressa jacent senio, tota de mente fugavi
Somnia jampridem. Syriae [80] dea magna roganti
Visa diu adjutrix: neque si male cesserat olim,
Decurrebam alio; sed falsam tempore laevo
Deprendi, poenaeque loco graveolente merentem
Gurgite projeci. Mihi nunc icuncula [81], raro
Quam mihi plebejus donavit munere vates,
Numinis instar erit cultu servata decenti.
At me cura tamen coquit irrequieta futuri [82].
Numina securus contempsi vana deorum;
Sed nequeo abstrusos magices contemnere ritus,
Queis rapiam invite naturae arcana repostae.
Sic clavum imperii, tot jam refluentibus undis,
Dirigere in melius potero, circumque minaces
Insidias solio semper depellere avito.
At Tibi prae cunctis, graviori voce minister

Inclamat, Simon prae cunctis sufficit unus.
Eoas artes, incantamentaque cuncta,
Thessala quae jactat regio, exitiosaque Colchis,
Unus cognovit, neque quis praevertere possit.
Ille reluctantem versu deducere Lunam
Quiverit, atque ipsum tenebris abscondere Solem:
Ille citos fluvios fraenare, obliquaque cursu
Flumina, deque loco sylvas et saxa movere.
Per tumulos errat tristes, manesque sepultos
Elicit: obscuro depellit nubila caelo,
Cum libet, atque nives medio coacervat in aestu.
Talia jampridem ingenti sermone feruntur;
Nec tu me falsi argueris; manifesta patebunt
Omnia, cum Simon magica doctissimus arte
Virginis argolicae poterit vulgare latebras.
Vix ipse accepit sanctissima jussa, profanis
Ignotas herbas, et lecta venena paravit,
Ossaque lecta cado, spirantiaque exta ferarum
Excoquit, atque diu solo meditatur in antro
Horrendum carmen, quo Tartara nigra fatiget.
Mox ubi nosse dabit verum, pro tempore prudens
Consilium capies. Dixit, missusque repente,
Incantatorem superas qui arcessat ad aedes.
Postquam judaea Simon discessit ab ora;
(Illum namque Stator fidei morumque magister
Conferto in populo dictis reprendit acerbis;
Hinc primum simoniacae data nomina labi,
Quod pretio primus sanctos quaesivit honores.)
Non tamen exactae cepere oblivia vitae:
At puduit patriae: samaritaque rura relinquens,
Quotquot Alexandria suis nova dogmata ludis

Procudit, prava sequitur ratione, novatque
Omnia. Jampridem gaudens popularibus auris
Judaeus graecusque simul Christique dolosus
Assecla caelestem caeco pessumdedit ausu
Doctrinam, Sophiae placitis componere tentans
Christiadûm gazam, verisque obvolvere falsa.
Hinc nova prosiluit graeco cognomine Gnosis [83];
Hinc coepit rudis errorum indigestaque moles
Haereseon, Christi Sponsam quae crimine foedo
Polluere, et sanctam visae discerpere vestem,
Posteraque aeternis macularunt saecula bellis.
Inde fluit pestis foedi devota Sabelli,
Qui Triadi sanctae tantum tria nomina, Patrem
Et Natum aequaevum, caelesteque Flamen, et unam
Personam dedit: hinc pariter sceleratus Arius
Aeonas mentitur, et his mirabile Verbum
Inferius: scelere hoc Nestorius, et quot
Aut hominem Verbum, aut Christum per iniqua negarunt
Esse Deum: hinc etiam caeci venere Docetae,
Qui Christi aërio cingunt velamine corpus.
Quod foeda abscondit dirum novitate venenum!
Numinibus falsis Mosen aliosque prophetas
Miscens, seque Jovem magnum, uxoremque Minervam
Jactans Aegypti populosas circumit urbes.
Nec satis haec: modo qui fastu tumefactus inani
Bellavit Christo, Christum se dicere, seque
Siderea venisse Deum mentitur ab aula,
Ut totum miseris pollutum sordibus orbem
Purgaret, purumque poli deferret ad axem.
Intulerat pestem cunctas orientis in oras;
Successu exultans laeto, jam jamque triumphans

Concepit majora animo, Romamque petivit,
Artibus anquirens magicis sibi quaerere famam.
Ergo thessalicae primum simulamine fraudis
Mirabunda dedit triviis, humilemque popellum
Incantator inauditis terroribus implet.
Seu vim naturae exercet, mixtisque venenis,
Triste magisterium! populos frustratur hiantes;
Seu cum tartarea pepigit stygе foedera pacis
Improba, quo sanctum liceat tardare triumphum,
Et verae fidei mendacem offundere fucum;
(Tartareus dedit ipse suum pater esse ministrum)
Ipse brevi totam fama conterruit urbem.
Collis aventini cavea remoratur opaca
Saepius occultus: sedem vicinia tota
Infestam metuit, fugiunt pueri atque puellae.
Mira Nero audierat, magnamque vocârat ad aulam
Incantatorem. Per noctes saepe silentes
Si quando miseram terrerent turbida mentem,
Ipse idem visus trepidum descendere ad antrum,
Quo Magus infernos torquebat carmine manes.
At jam patricia ut numen venerabile Roma
Illum habet, et merito dios festinat honores,
Quaerebatque timens rebus responsa sinistris.
Infelix monstrum! caeco decepta furore
Verum Roma Deum fugit exaudire loquentem
Et magicas per vana petit commercia sortes!
Nec longum, agnovit trepidi mysteria regni
Simon, privatusque brevi consultor, et inter
Regni instrumenta [84] est habitus, rexitque Neronem.
Ergo compulsus timefacti voce ministri
Ocyus aulaï spelaea obscura relinquens

Venerat. Hirsutus crinis, prolixaque barba
Atque supercilio nebula agglomerata minaci,
Incessusque gravis, ferrugine tristis ibera
Vestis romanum conturbavere tyrannum.
Ille autem pavidum primum firmare sategit:
Romulidûm Princeps, tuto requiescere somno
Jam poteris. (Nostris ea tanta potentia sacris)
Exorata Parens verbisque coacta tremendis
Umbra ferox iterum stygios subsedit ad amnes.
Et nunc qua lateat virgo, tua nosse cupido?
Ne dubita, infernas vincam incantamine vires.
Tum vero foedas, quas defert graeculus ollas
Pestifero undantes tabo, virusque recoctum
Stare jubet medio, circumque locavit in orbem
Obscoenos comites nigris in vestibus omnes.
Mox circumspiciens: Princeps, mihi cuncta parata,
Inquit: Agon'? Nero contremuit, dixitque trementi
Ore: Age. Tum Simon sacra incipit orgia. Turbo
Ceu quondam per plana citus loca verbere torto
Curvatis fertur spatiis, libamina circum
Execrata amens cursat, cursuque furorem
Concipit infernum, passimque ignita sinister
Lumina contorquet. Subito mox impete raptus
Constitit in medio, terque exorientia solis
Lumina conspectat trepidoque immurmurat ore,
Terque manus ictae crepuere, sacrumque volumen
Foederis antiqui caperata fronte recludit,
Terque profanato legit ore, avidusque volutat
Arcano commissa libro, verbisque repertis
Exultans, imo vocat ex acheronte tremendos
Exululans lemures. Motu tremit excita tellus,

Funereae pallent taedae. Quatit ille solutis
Ter pedibus terram, et subito venit obvia monstri
Tartarei species. Satanas nanciscitur ansam,
Ipse vocatus adest. Obscoeno nigricat ore
Larva procax, pullo seseque obvolvit amictu
Frendens, taenaria nubes caligine cingit.
Attoniti perstant comites; fremit ore furenti
Simon, et: Quo se mulier fugitiva recondit,
Dic age, fide comes? paucis sic Umbra locuta:
Haud procul hinc quaeras: meus illam possidet hostis.
Illa fugit subito, et priscae rediere quieti
Omnia. Ceu noctu aegrotam deterrima mentem
Somnia sollicitant, si informis imago tremendis
Torva tuens oculis, habituque horrenda minaci
Spectanti incubuit, formido concutit aegrum
Pallida, maturare fugam molitur, at ingens
Ex insperato invasit praecordia terror,
Genua labant, trepidos quatit aeger anhelitus artus,
Vellet clamare, at clamor frustratur hiantem,
Atque olli vano recidunt coepta omnia nisu;
Impia non aliter trepidum simulacra Neronem
Terrificant: Simon fugit ilicet: ipse nefasto
Caesar se rapuisse loco peteret, sed tota labascit
Vis animi, obriguit sanguis, steteruntque tenaci
Torpida membra gelu. Per pessima cuncta minister
Circumstat trepidum, et dictis solatur amicis:
Quae mora? Christigenae graecam rapuere puellam.
Quid plura optamus? Scelus, auctoresque tenemus.

NOTÆ

[1] *Mutabilis aevo.* — Ps. Cl. 27. Ipsi peribunt, tu autem permanes: et omnes sicut vestimentum veterascent. 28. Et sicut opertorium mutabis eos, et mutabuntur; tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient. Quod non aeque de imperiis dicendum est, quae continenti motu, per varias rerum vicissitudines feruntur. *Populus sua munia.* — Cic. lib. III, de Rep. Respublica est res populi: populus autem non omnis coetus multitudinis, sed coetus juris consensu, et utilitatis communione sociatus. *Ea cura quietos* — Just. Hist. 1. de prima populi aetate: Fines imperii tueri magis, quam proferre mos erat. Intra suam cuique patriam regna finiebantur. *Atque foris bellare* — De altera aetate, et juvenili satis apte idem Hist.: Domitis proximis cum accessione virium fortior ad alios transiret, et proxima quaeque victoria instrumentum sequentis esset. Tunc profecto illud Sallust. Cat. 7. Igitur talibus viris non labor insolitus, non locus ullus asper, aut arduus erat, non armatus hostis periculosus: virtus omnia domuerat. Tunc illud evenit quod Cicero de Senect. XVI: Curio ad focum sedenti magnum auri pondus Samnites cum attulissent, repudiati ab eo sunt. Non enim aurum habere, praeclarum sibi videri dixit; sed iis qui haberent aurum, imperare. *Curas degeneres* — Verum si laudis cupido et potentiae oblanguescit, unaque voluptas dominatur, rerumque ordine immutato, praeclarius videbitur aurum habere, quam aurum habentibus imperare, omnia ad perniciem profligata atque perdita festinant.

[2] *Lapsum cuncta minantur.* — Senec. Ep. XXXIX. Desinet esse remedio locus, ubi quae fuerint vitia, mores sunt. Id ipsum in operis sui primordio profitetur Livius, Praef.: Per quos viros, quibusque artibus domi militiaeque et partum et auctum imperium sit; labente deinde paullatim disciplina, veluti desidentes primo mores sequatur animo; deinde ut magis magisque lapsi sint; tum ire coeperint praecipites; donec ad haec tempora, quibus nec vitia nostra, nec remedia pati possumus, perventum est.

[3] *Consumptus inerti.* — Juris consensus, et utilitatis communio civiles coetus consociat, qua, mutuis dissentionibus, et privatis utilitatibus dissipata, etsi reipublicae maneat adhuc species, anima quidem evanuit.

[4] *Emicuit.* — Quod justa quadam superbia praegestiens ipsemet adnotat. Patav. ib. Hoc illud est praecipue in cognitione rerum salubre, ac frugiferum omnis te exempli documenta in illustri posita monumento intueri; inde tibi tuaeque reipublicae, quod imitere, capias; inde foedum incoeptu, foedum exitu quod vites. Ceterum aut me amor suscepti negotii fallit, aut nulla unquam respublica nec major, nec sanctior, nec bonis exemplis ditior fuit. Nec in quam civitatem tam sero avaritia luxuriaque immigraverint; nec ubi tantus ac tam diu paupertati ac parcimoniae honos fuerit: adeo quanto rerum minus, tanto minus cupiditatis erat.

[5] *Vicit.* — Romanae amplitudinis caussas eloquenti admodum tractatione prosequitur suo more Augustinus de Civit. Dei. Sublata enim fati quaestione et inanium deorum cultu, romanum imperium propagatum, et servatum attribuit *uni Dei summi potentissimae voluntati :* Cum igitur veteres Romani, laudis avidi, pecuniae liberales erant, gloriam ingentem, divitias honestas volebant, (haec Sallustii verba mutuatur August.) patriam ardentissime dilexerunt, propter hanc vivere voluerunt, pro hac emori non dubitaverunt. Ceteras cupiditates hujus unius ingenti cupiditate presserunt. Ipsam denique patriam suam, quoniam servire videbatur inglorium, dominari vero atque imperare gloriosum, prius omni studio liberam, deinde dominam esse concupierunt.

[6] *Populosque subactos.* — Augustini mens est : Cum diu fuissent regna orientis illustria, voluit Deus et occidentale fieri, quod tempore esset posterius, sed imperii latitudine et magnitudine illustrius, idque talibus potissimum concessit hominibus ad domanda gravia mala multarum gentium, qui causa honoris, laudis et gloriae consuluerunt patriae, salutemque ejus saluti suae praeponere non dubitaverunt, pro isto uno vitio, id est amore laudis, pecuniae cupiditatem et multa alia vitia comprimentes. Non est, quod de summi et veri Dei justitia conquerantur : perceperunt mercedem suam.

[7] *Tardant.* — Qui romanae magnitudinis causas protulit, idem Patav. ib. ruinae initia lamentatur : Nuper divitiae avaritiam, et abundantes voluptates desiderium per luxum aeque libidinem pereundi perdendique omnia invexere. Audi Catonem apud Sallustium, Cat. LII. Alia fuere quae illos (majores nostros) magnos fecerunt quae nobis nulla sunt domi industria, foris justum imperium, animus in consulendo liber neque delicto neque libidini obnoxius. Pro his nos habemus luxuriam atque avaritiam, publice egestatem, foris opulentiam : laudamus divitias, sequimur inertiam, inter bonos et malos discrimen nullum : omnia virtutis praemia ambitio possidet. Neque mirum : ubi vos separatim sibi quisque consilium capitis, ubi domi voluptatibus, hic pecuniae aut gratiae servitis ; eo fit, ut impetus fiat in vacuam rempublicam.

[8] *Concordia.* — Sallust. X. Concordia res parvae crescunt, discordia maxumae dilabuntur. Idipsum clarissime Tullius, Cat. IV, 17. Prima causa inventa est, in quo omnes consentirent . . . quam conjunctionem si . . . perpetuam in rep. tenuerimus, confirmo vobis nullum malum civile aut domesticum ad ullam reip. partem esse venturum. Et eamdem ordinum concordiam in Catilinae conspiratione eluenda notat Cic. Att. I, 17. 18. 19. Tueor ut possum conglutinatam concordiam.

[9] *Censent.* — Liv. XXXI, 7. Ite in suffragium, bene juvantibus diis, et quae patres censuerunt, vos jubete. *Majestas.*— Majestas populi, senatus auctoritas dicebatur. Cic. Phil. 3. Ut omnes ad auctoritatem hujus ordinis, majestatemque P. R. defendendam conspirasse videantur.

[10] *Lectique tribuni.* — Lex Junia sacrata, quam tulit L. Junius Brutus:

Ut plebi sui magistratus essent sacrosancti, quibus auxilii latio adversus consules esset, neve cui Patrum capere eum magistratum liceret.

[11] *Divisa pericula belli.* — Quod praecipue factum serviana classium distributione, omnisque in civitate discriminis ordinumque, quibus inter gradus dignitatis fortunaeque aliquid interlucet. Liv. I, 43. Omnia in dites a pauperibus inclinata onera: belli pacisque munia non viritim ut antea, sed pro habitu pecuniarum fierent: et vis omnis penes primores civitatis esset.

[12] *Duplex.* — Liv. II, 24. Duas ex una civitate discordia fecerat. Et ib. 44, aeternas opes esse Romanis, nisi inter semetipsi seditionibus saeviant: id unum venenum eam labem civitatibus opulentis repertam, . . . duas civitates ex una factas: suos cuique parti magistratus, suas leges esse. Idemque auctor IX, 46. Factiones fuere, et erunt populis magis exitio, quam bella externa, quam fames morbique. Et X, 22. Nihil firmius ad tuendam rempublicam concordi collegio. Sed paucis rem omnem aperit Sallust. Cat. XLI. Namque coepere nobilitas dignitatem, populus libertatem in libidinem vertere: sibi quisque ducere, trahere, rapere. Ita omnia in duas partes abstracta sunt; respublica quae media fuerat, dilacerata. *Nobilitas.* — Factionum duces sic enumerat Sallust. Jug. 42.: postquam Tib., et C. Gracchus quorum majores punico atque aliis bellis multum reipublicae addiderant, vindicare plebem in libertatem et paucorum scelera patefacere coepere; nobilitas noxia atque eo perculsa, modo per socios et nomen latinum, interdum per equites romanos, quos spes societatis e plebe dimoverat, Gracchorum seditionibus obviam ierat: . . . Igitur ea victoria nobilitas ex libidine sua usa multos mortales ferro aut fuga extinxit; plusque in reliquum sibi timoris, quam potentiae addidit.

[13] *Dominasque secures.* — Hinc assidua inter patres plebemque certamina. Sed plebs omnia obtinuit; jus Connubiorum cum patribus lege *canuleia*; Consulatum lege *sextia licinia*, ut consulum alter e plebe crearetur; jus Civium Rom. lege *porcia:* Ne quis magistratus civem Rom. virgis caederet, noceretque: Religionem, lege *ogulnia*: Ut quatuor pontifices, quinque augures de plebe adderentur.

[14] *Flumine Romam.* — Cic. Att. XI, 10. Sullaturit animus ejus: et proscripturit diu. Sic de Caesare Tullius: nomen Syllae idem est ac proscriptio. Qui bello civili cum C. Mario certavit, eoque oppresso, urbem infesto exercitu ingressus, in Campo Martio interfici jussit omnes marianarum partium fautores. Proscriptionis tabula proposita Equestris et Senatorii ordinis florem extinxit; dictator ita Rempublicam oppressit, ut teste Cic. in Verrem, nemo illo invito nec bona, nec patriam, nec vitam retinere posset.

[15] *Pharsalia pugnam.* — Quod C. Julius Caesar Gracchos et C. Marium secutus sit, apertissime patefacit Svet. cum c. 1. narrat: Satis constat, Syllam cum deprecantibus amicissimis et ornatissimis viris aliquandiu denegasset,

atque illi pertinaciter contenderent, expugnatum tandem proclamasse sive divinitus, sive aliqua conjectura: « vincerent ac sibi haberent; dummodo scirent, eum quem incolumem tanto opere cuperent, quandoque optimatium partibus quos secum simul defendissent, exitio futurum: nam Caesari multos Marios inesse ». Quo vero statu communis res fuerit, post aciem Pharsalicam, a Tullio accipe. Cic. Att. VIII, 4. Me de republica nunquam nisi divine cogitasse, et ea tempestate eversam, quam XIV annos ante praevideram. Et Fam. IV, 5. Ea nobis erepta quae hominibus non minus quam liberi cara sunt, patria, honestas, dignitas. Et Fam. V, 15. Quod perfugium spoliato et domesticis, et forensibus ornamentis et solatiis? At IX, 15. Sedebamus in puppi, nunc vix in sentina sumus.

[16] *Imperium.* — Tac. I, 1. Pompeii, Crassique potentia cito in Caesarem, Lepidi atque Antonii arma in Augustum cessere, qui cuncta discordiis civilibus fessa nomine *principis* sub *imperium* accepit. — Quomodo, quibusque de causis Respublica in Imperium fuerit immutata, coaevis ipsis scriptoribus facem praeferentibus judicabimus. — *Sine ordine legum.* Sic Tac. I, 2. Suspecto senatus populique imperio ob certamina potentium, et avaritiam magistratuum, invalido legum auxilio. *Temperat iras.* — Tac. I, 2. Augustus cunctos otii dulcedine pellexit ... Tuta enim et praesentia, quam cetera et periculosa maluere. — *Octavi.* Gentem Octaviam Velitris praecipuam olim fuisse, multis declarat Svet., principio vitae Aug. — *Prudentia.* Sic Augusti vita apud prudentiores extollebatur. Tac. I, 9. Necessitudine reipublicae, in qua nullus tunc legibus locus, ad arma civilia actum... non aliud discordantis patriae remedium fuisse, quam ut ab uno regeretur. Et postea. Unum esse reip. corpus unius animo gerendum. — *Omnia mutas.* Tac. I, 2. Insurgere paullatim, munia senatus, magistratuum, legum in se trahere, nullo adversante. Idque prudenter factum minuendae invidiae gratia, quia erat princeps Senatus Et deinde: Non regno tamen, neque dictatura, sed nomine Principis constitutam rempublicam: inde *principatus,* et apud Svetonium *principium* pro imperatoria dominatione usurpari coepit. — *Caesaris heres et Augustus.* Qua de causa utrumque nactus sit nomen, explicat Svetonius, vita Aug. 7. Postea Caesaris, et deinde cognomen Augusti assumpsit; alterum testamento majoris avunculi; alterum Munacii Planci sententia, quum quibusdam censentibus Romulum appellari oportere, quasi et ipsum conditorem urbis, praevaluisset, ut Augustus potius vocaretur, non tantum novo, sed etiam ampliore cognomine, quod loca quoque religiosa, et in quibus augurato quid consecratur, augusta dicantur, vel ab avium gestu gustuve, sicut etiam Ennius docet, scribens:

Augusto augurio postquam inclyta condita Roma est.

Nomina sola. Domi res tranquillae; eadem magistratuum vocabula: quotusquisque reliquus qui rempublicam vidisset? Igitur verso civitatis statu,

nihil usquam prisci et integri moris; omnes, exuta aequalitate, jussa principis expectare . . . pauci bona libertatis incassum disserere, plures bellum pavescere, Tac. I, 4.

[17] *Execrabile.* —*Simulataque.* Tac. IV, 72. Nullam aeque Tiberius ex virtutibus suis quam dissimulationem diligebat. Apertius ejus vafritiem narrat Tac. I, 8. Ad introspiciendas etiam procerum voluntates, inductam dubitationem: nam verba, vultus in crimen detorquens recondebat. — *Concilia.* Tac. I, 15. Tum primum a campo comitia ad patres translata sunt: nam ad eam diem, etsi potissima arbitrio principis, quaedam tamen studiis tribuum fiebant. — *Delator.* Svet. In Ner. 32. Instituit, ut lege majestatis tenerentur facta dictaque omnia, quibus modo delator non deesset. Et Tac. VI, 7. — Quod maxime exitiabile tulere illa tempora, cum primores senatus infimas etiam delationes exercerent, alii propalam, multi per occultum, neque discerneres alienos a conjunctis, amicos ab ignotis, quid repens aut vetustate obscurum, perinde in foro, in convivio, quaque de re locuti, incusabantur . . . pars ad lubridium sui, plures infecti, quasi valetudine et contactu.

[18] *Caius.* — Tac. Annal. VI, 20. Immanem animum subdola modestia tegens, non damnatione matris, non exilio fratrum rupta voce. Et I, 41. Infans in castris genitus, in contubernio legionum eductus quem militari vocabulo *Caligulam* appellabant, quia plerumque ad concilianda vulgi studia eo tegmine pedum utebatur — *Quadrupedem.* Svet. Calig. LV. Incitato equo... praeter equile marmoreum et praesepe eburneum praeterque purpurea tegumenta, ac monilia e gemmis, domum etiam et familiam et supellectilem dedit quo lautius nomine ejus invitati reciperentur; consulatum quoque traditur destinasse.

[19] *Claudius.* — Svet. Cl. V. Ex contubernio sordidissimorum hominum, super veterem segnitiae notam, ebrietatis et aleae infamiam subiit. Tac. VII, 28. Subibat sine dubio metus, reputantes, hebetem Claudium, et uxori devinctum, multasque mortes jussu Messalinae patratas.

[20] *Agrippina.* — Veneno Claudium extinxit. Tac. XIII. 67. Infusum delectabili cibo boletorum venenum nec vim medicaminis statim intellectam, socordiane Claudii an vinolentia.

[21] *Poppaea.* — Ingenium et formam mulieris sic pingit Tacit. Erat in civitate Sabina Poppaea, T. Ollio patre genita, sed nomen avi materni sumpserat, illustri memoria Poppaei Sabini, consulari, et triumphali decore praefulgentis . . . Sermo comis, nec absurdum ingenium: modestiam praeferre et lascivia uti: rarus in publicum egressus, idque velata parte oris, ne satiaret aspectum vel quia sic decebat. Famae nunquam pepercit, maritos et adulteros non distinguens: neque affectui suo aut alieno abnoxia; unde utilitas ostenderetur, illuc libidinem transferebat. Lib. XIII, 45.

[22] *Ridetur in aula.* — Tac. X, 64. Additurque atrocior saevitia, quod caput amputatum, latumque urbem Poppaea vidit.

[23] *Congressus.*— Tac. X, 3. Igitur Nero vitare secretos ejus congressus: abscedentem in hortos aut Tusculanum, vel Antiatem in agrum laudare, quod otium lacesseret; postremo ubicumque haberetur, praegravem ratus interficere constituit hactenus consultans veneno an ferro, vel qua alia vi.

[24] *Redarguet aetas.* — Inst. lib. IV, tit. XVIII, p. 6. lex Pompea de parricidiis: Ut insutus culleo cum cane, et gallo gallinaceo, et vipera et simia et inter eas ferales angustias comprehensus vel in vicinum mare, vel in amnem projiciatur, ut omnium elementorum usu vivus carere incipiat, et ei coelum superstiti, et terra mortuo auferatur.

[25] *Anices.*— Tac. ib. Obtulit ingenium Anicetus libertus classi apud Misenum praefectus et pueritiae Neronis educator.

[26] *Ipse deam facies.* — Tac. ib. Additurum principem defunctae et templum et aras, et cetera ostentandae pietati.

[27] *Induperatricis.* — Liceat hoc abuti nomine, quod melius quam *Regnatrix* Agrippinae dignitatem indicat. In neroniana aula aderat res, deest in Latio nomen, uti in re nova, neque neronianis moribus ferenda.

[28] *Foemineae.* — Tac. X, 4. Facili foeminarum credulitate ad gaudía.

[29] *Ore pependit.* — Tac. ib. Arctius oculis et pectori haerens sive explenda simulatione sive periturae matris supremus adspectus, quamvis ferum animum retinebat.

[30] *Villa manebat.* — Tac. ib. Agrippina nando, deinde occursu lenunculorum, Lucrinum in lacum vecta, villaeque infertur. Si Taciti verba expendimus, Agrippinae sepulchrum positum sciemus, ubi nunc dicitur *Mercato del Sabato*, haud procul villa dictatoris Caesaris.

[31] *Strepitu.* — Tac. X, 8. Cubiculo modicum lumen inerat, et ancillarum una.

[32] *Uterum ferias.* — Tac. ib. In mortem Centurioni ferrum destringenti protendens uterum, *ventrem feri*, exclamavit, multisque vulneribus confecta est.

[33] *Gaurano vertice.* — Gaurus, et Gaurani montes hodie *Monte barbaro*, apud Puteolos, cujus radices olim ad Avernum usque lacum, et ex alia parte ad Baianum protendebantur, sejungebatque Puteolanum a Baiano agrum. De ostreis Gauranis mentionem facit Juvenalis Satyr. X. Hodiedum mons ob sterilitatem Barbarus salutatur. *Vaticinas sortes* – Tac. X, 9. Hunc sui finem multos ante annos crediderat Agrippina, contempseratque. Nam consulenti super Nerone, responderunt Chaldaei fore ut imperaret, matremque occideret. Atque illa, *occidat,* inquit, *dum imperet.*

[34] *Testantur amores.* — Audi Tac. X, 10. Sed a Caesare, perfecto demum scelere, magnitudo ejus intellecta est; reliquo noctis, modo per silentium defixus, saepius pavore exurgens, et mentis inops lucem opperiebatur tanquam exitium allaturam. Atque eum, auctore Burro, prima centurionum tribunorumque adulatio ad spem firmavit, prensantium manum gratulantium-

que quod discrimen improvisum et matris facinus evasisset. Amici dehinc adire templa, et coepto exemplo, proxima Campaniae municipia victimis et legationibus laetitiam testari. *Servitumque ruunt.*—Tac. At Romae ruere in servitium, consules, patres, equites; quanto quis illustrior, tanto magis falsi et festinantes, vultuque composito.

[35] *Vultus.*—Quia tamen non, ut hominum vultus, ita locorum facies mutantur, obversabaturque maris illius, et littorum gravis aspectus (et erant qui crederent sonitum tubae collibus circum editis, planctusque tumulo matris audiri) Neapolim concessit, literasque ad senatum misit, Tac. X, 11.

[36] *Augustae.* — Haec omnia de Augusto refert Svetonius LXXII. Habitavit primo juxta romanum forum . . . postea in palatio, sed nihilominus aedibus modicis Hortensianis; et neque laxitate, neque cultu conspicuis, ut in quibus porticus breves essent Albanarum columnarum, et sine marmore ullo, aut insigni monumento conclavia.

[37] *Fastigia.*—Fastigii nomine signa tecto imposita intelligebantur, quod insigne fuit templorum. Cum vero Senatus consulto Caesaris aedibus fastigium concessum fuit, divinus honor ei tribui creditus est. Itaque Florus IV, 2. Omnes unum in principem congesti honores ... suggestus in curia, fastigium in domo, mensis in caelo.

[38] *Privatae sortis honores.* – Svet. Oct. 73. Vix privatae elegantiae.

[39] *Funestior aula.* — Tac. X, 15. Inde gliscere flagitia, et infamia: nec ulla moribus olim corruptis plus libidinum circumdedit, quam illa colluvies.

[40] *Antiquae gentes.*—Quatuor gentes sese invicem miscuerunt, cumque dictatore Caesare Julia, cum Augusto Octavia, cum Tiberio Claudia, cum Nerone Domitia, imperium quasi manu per quatuor familias transiit; cum Nerone Caesarum stirps, adoptionibus continuata tandem extincta fuit. — *Firmamina.* Tac. vocat Subsidia dominationi, quo pluribus munimentis insisteret, Sv. Subsidia aulae, Senec. Adminicula Augusti. Invaluerat enim quod Tacit. ipse innuit, V. Hist. Non legiones, non classes, perinde firma imperii munimenta, quam numerum liberorum.

[41] *Turbavit honestam.* — De domestica Augusti infelicitate paucis Svet. LXV. Sed laetum eum atque fidentem et sobole et disciplina domus fortuna destituit. Julias filiam et neptem omnibus probris contaminatas relegavit. Julias et Agrippam nepotem dicere solebat tres vomicas, aut tria carcinomata sua. — *Livia.* Tac. Gravis in Rempublicam mater, gravior domui Caesarum noverca.

[42] *Julia.* — Tac. XI, 53. Augusti filia, ob impudicitiam olim a Patre Augusto Pandataria insula, mox oppido Rheginorum, qui siculum fretum accolunt, clausa. Fuerat in matrimonio Tiberii, florentibus Caio et Lucio Caesaribus, spreveratque ut imparem, nec alia tam intima Tiberio causa, cur Rhodum abscederet; imperium adeptus extorrem, infamem et post inter-

fectum Postumum Agrippam, omnis spei egenam, inopia ac longa tabe peremit, obscuram fore necem longinquitate exilii ratus.— *Calvina*. Tac. Calvina soror ejus (Silani) Italia pulsa est. — *Germanice*. Tac. 11, 72. Neque multo post (in Syria) extinguitur, ingenti luctu provinciae, et circumjacentium populorum. Indoluere exterae nationes, regesque: tanta illi comitas in socios, mansuetudo in hostes; visuque et auditu juxta venerabilis cum magnitudinem et gravitatem summae fortunae retineret, invidiam et adrogantiam effugerat. — *Altera Julia*. Tac. IV, 71: Per idem tempus Julia mortem obiit, quam neptem Augustus convictam adulterii damnaverat, projeceratque in insulam Trimetum, haud procul Apulis littoribus; illic viginti annis exilium toleravit, Augustae ope sustentata, quae florentes privignos cum per occultum subvertisset, misericordiam erga afflictos palam ostentabat.—*Drusillae*. Caji soror, quam narrat Svet. Caj. XXIV, in modum justae uxoris propalam habuit. Eadem defuncta, justitium indixit... Nec unquam postea, quantiscumque de rebus, ne pro concione quidem populi, aut apud milites, nisi per numen Drusillae dejeravit. *Silane* — Svet. Cl. XXIX. Silanus abdicare se praetura, morique initio anni coactus. Die ipso Claudii et Agrippinae nuptiarum in quinque et triginta senatores, trecentosque amplius equites animadvertit—*Cajus* Svet. LVIII. Cum in crypta, per quam transeundum erat, pueri nobiles ex Asia ad edendas in scena operas evocati praepararentur, restitit. In eaque crypta triginta vulneribus confectus. *Drusus* — Tac. VI, 23. Drusus deinde (Germanici filius) extinguitur, cum se miserandis alimentis, mandendo e cubili temento, nonum ad diem detinuisset. *Postumum*. — Tac. I, 3: Livia senem Augustum devinxerat adeo, ut nepotem unicum, Agrippam Postumum in insulam Planasiam projiceret, rudem sane bonarum artium et robore corporis stolide ferocem, nullius tamen flagitii compertum. Et I, 6: Primum facinus novi principatus fuit Posthumi Agrippae caedes, quem ignarum inermemque quamvis firmatus animo Centurio aegre confecit. — *Britannicus*. Innoxia adhuc et praevalida et libata gustu potio traditur Britannico, dein postquam fervore aspernabatur, frigida in aqua affunditur venenum, quod ita cunctos ejus artus pervasit, ut vox pariter et spiritus ejus raperetur. Tac. IX, 16. Ubi adjicit inter sacra mensae, ne tempore quidem ad complexum sorori dato, in illum supremum Claudiorum sanguinem stupro prius quam veneno pollutum. — *Locusta*. Tac. IX, 15. Parari venenum jubet (Britannico) ministro Pollione Tullio, praetoriae cohortis tribuno, cujus cura attinebatur damnata veneficii nomine Locusta, multa scelerum fama... Cubiculum Caesaris juxta decoquitur virus, cognitis antea venenis rapidum.

[43] *Hi mansere pares*. — Tac. IX, 2. Ibaturque in caedes, nisi Afranius Burrus, et Annaeus Seneca obviam essent. Hi rectores imperatoriae juventae, et rarum in societate potentiae, concordes, diversa arte, ex aequo pollebant. Burrus militaribus curis, et severitate morum; Seneca praeceptis

eloquentiae et comitate honesta, juvantes invicem, quo facilius lubricam principis aetatem, si virtutem aspernaretur, voluptatibus concessis retinerent. Certamen utrique unum erat contra ferociam Agrippinae.

[44] *Scelus est clarescere.* — Tac. IX, 47. Hactenus Nero flagitiis et sceleribus velamenta quaesivit. X, 13. Deterrimus quisque, quorum non alia regia fecundior extitit. Et postea: In omnes libidines se effudit, quas male coërcitas qualiscumque matris reverentia tardaverat. *Subsidia imminui.* Tac. X, 51. Sed gravescentibus in dies publicis malis, subsidia minuebantur. Et 14. Evulgatus pudor non satietatem, ut rebantur, sed incitamentum attulit. — *Cuncta relaxat.* VII, 37. De Tib. Tac., VI, in fine. Postremo in scelera simul, et dedecora erupit, postquam remoto pudore et metu, suo tantum ingenio utebatur. Animo per libidines corrupto nihil honestum inerat.

[45] *Corrumpi.* — Tac. Ann. X, 20. Abolitos paulatim patrios mores, funditus everti per accitam lasciviam, ut quod unquam corrumpi, et corrumpere queat, in urbe visatur, degeneretque studiis externis juventus, gymnasia et otia et turpes amores exercendo, principe et senatu auctoribus, qui non modo licentiam vitiis permiserint, sed vim adhibeant: proceres romani, specie orationum et carminum scena polluantur. Quid superesse, nisi ut corpora quoque nudent, et caestus assumant, easque pugnas pro militia et armis meditentur?

[46] *Collisa duello.* — Hor. Epist. II, 2.

Fabula qua Paridis propter narratur amorem
Graecia Barbariae lento collisa duello.

Et Satyr. I, 3.

Nam fuit ante Helenam mulier teterrima belli
Causa; sed ignotis perierunt mortibus illi,
Quos venerem incertam rapientes more ferarum.

[47] *Incestavit amore.* — Hor. Od. III, 6.

Foecunda culpae saecula nuptias
Primum inquinavere et genus et domos:
Hoc fonte derivata clades
In patriam populumque fluxit.

[48] *Vomitque.* — Celebris est apud Romanos dicta *Commissatio*, quae fuit post legitimam altera coena ad multam noctem producta. Profecto de Vitellio narrat Svet. 13. Epulas trifariam semper, interdum quadrifariam dispertiebat, in jentacula et prandia et coenas commessationesque. Senec. ad Helv. Vomunt ut edant; edunt, ut vomant.

[49] *Proceres.* — Tac. X, 12. Miro tamen certamine procerum decernuntur supplicationes apud omnia pulvinaria.

[50] *En Syriae.* — Dea apud Syros culta, quam Sacerdotes circumferentes, quasi divino quodam perciti spiritu, multa phanatice jactabant: cujus ri-

tus meminit Apul. 8, Asi. Au. sub finem. Hanc Deam singulari veneratione aliquandiu coluit Nero.

[51] *Corybantes.*— Sacerdotes erant Cybeles, qui aera, sive aereas pelves ac lebetes, aeneaque tympana pulsabant, rotabantque corpus furentium instar. Etiam Galli cognominabantur, vel ab Gallo primo Sacerdote, vel a Gallo Phrygiae flumine ut ait Ovid.

Inter, ait, viridem Cybelen, altasque Celaenas,
Amnis it, insana nomine Gallus aqua.
Qui bibit inde, furit; procul hinc discedite, queis est
Cura bonae mentis; qui bibit inde, furit.

D. Hieronym. in c. 4. Asiae Gallos hosce Sacerdotes fuisse appellatos autumat, quod Romani homines gentis gallicae deae Cybelae mancipare et effoeminare consueverint. Sed Romani ipsum nomen a Gallis et sacra acceperunt. Princeps Sacerdotum Archigallus utebatur tunica virgulis purpureis. His solis Sacerdotibus stipem colligere licebat.

[52] *Isidis.* — Isis Aegyptiorum Dea: Sacerdotes isiaci raso capite incedebant, quae *Pharia* turba dicebatur ab *Pharo*, oppido apud Alexandriam. Lineis etiam vestibus obtecti in aedis vestibulo assidebant, unde Mart. XII, 29.

Linigeri fugiunt calvi, sistrataque turba.

Ubi sistrati dicti a *sistro* quod erat aereum crepitaculum. Sic Lib. I, 2.

Quid tua nunc Isis mihi Delia? quid mihi prosunt
Illa tua toties aera repulsa manu?

[53] *Romula Relligio.*— Liv. I, 55. Hoc perpetuitatis auspicio accepto, secutum aliud magnitudinem imperii portendens prodigium est: caput humanum integra facie aperientibus fundamenta templi dicitur apparuisse. Quae visa species haud per ambages, arcem eam imperii, caputque rerum fore portendebat, idque ita cecinere vates, quique in urbe erant, quosque ad eam rem consultandam ex Etruria acciverant. Capta Suessa Pometia, Tarquinius, Liv. I, 53. concepit animo eam amplitudinem Jovis templi, quae digna deûm hominumque rege, quae Romano imperio, quae ipsius etiam loci majestate esset. Hinc pro romana ipsa amplitudine *Capitolium* accipi solitum. Hor. I, Od. 31, de Cleop.

Dum Capitolio
Regina dementes ruinas
Funus et imperio parabat.

Et III, 5. de Crassi milite:

Anciliorum et nominis, et togae
Oblitus, aeternaeque Vestae
Incolumi Jove et urbe Roma?

In Capitolio erat arx romana, ne a Gallis quidem occupata.

[54] *Juventas.* — Liv. I, 55. Inter principia condendi hujus operis movisse numen ad indicandum tanti imperii molem traditur Deos: nam cum omnium sacellorum exaugurationes admitterent aves, in Termini fano non addixere. Id omen auguriumque ita acceptum est, non motam Termini sedem, unumque eum deorum non evocatum sacratis sibi finibus, firma stabiliaque cuncta portendere. Hanc nanciscitur sacrorum amplitudinem Camillus, ut Romanos ab consilio Vejos transmigrandi dehortaretur, Liv. X, 54. Hic Capitolium est, ubi quondam capite humano invento, responsum est eo loco caput rerum, summamque imperii fore: hic cum augurato liberaretur Capitolium, Juventas, Terminusque maximo gaudio patrum nostrorum moveri se non passi.

[55] *Desuper arce* — Sic Proculus Julius (Liv. I, 16) sollicita civitate desiderio regis (Romuli) ipsummet prima luce obviam delapsum Romanis nunciabat: Abi, nuncia Romanis, caelestes ita velle, ut mea Roma caput orbis terrarum sit; proinde rem militarem colant, sciantque, et ita posteris tradant, nullas opes humanas Romanis resistere posse.

[56] *Mutati o mores.* — Val. Max., II, 8. 1. Lege cautum erat, ne quis triumpharet, nisi qui quinque millia hostium una acie cecidisset. Incredibilia sed vera. Tac. X, 13. Promptiora quam promiserat, inveniunt, obvias tribus, festo cultu senatum: conjugum ac liberorum agmina per sexum et aetatem disposita; extructos qua incederent, spectaculorum gradus, quo modo triumphi visuntur. Hinc superbus, et publici servitii victor Capitolium adiit, grates exolvit, seque in omnes libidines effudit.

[57] *Solus abest Thraseas.* — Tac. X, 12. Thraseas Poetus, silentio, vel brevi assensu priores adulationes transmittere solitus, exiit tum senatu: ac sibi causam periculi fecit, ceteris libertatis initium non praebuit.

[58] *Illataque munera templis.* — Sic Tac. X, 64. ab Octavia extincta. Dona ob haec templis decreta; quod ad eum finem memoravimus, ut quicumque casus temporum illorum nobis vel aliis auctoribus noscent, praesumptum habeant, quoties fugas, et caedes jussit princeps, toties grates Deis actas; quaeque rerum secundarum olim, tum publicae cladis insignia fuisse. — *Matris invidiam.* Tac. X, 12. Ceterum quo gravaret invidiam matris, eaque demota, auctam bonitatem suam testificaretur, foeminas illustres Juniam et Calpurniam, praefectura functos Valerium Capitonem, et Licinium sedibus patriis reddidit, ab Agrippina olim pulsos.— *Carnificem, laqueumque* Tacit. X, 48. Poetus Thrasea multo cum honore principis, acerrime increpito Antistio, non quidquid nocens reus pati mereretur, id, egregio sub principe, et nulla necessitate obstricto senatu statuendum, disseruit, carnificem et laqueum pridem abolita. — *Laesa exuperat Natura.* Svet. 34. Neque tamen conscientiam sceleris, quanquam et militum et senatus populique gratulationibus confirmaretur, aut statim, aut unquam postea ferre potuit, saepe con-

fessus, exagitari se materna specie, verberibusque furiarum, et taedis ardentibus. Quin et facto per magos sacro, evocare manes, et exorare tentavit.

[59] *Tyrannus.* — Sic Tac. de Tib. VI, 6: Adeo facinora atque flagitia sua ipsi quoque in supplicium verterant. Neque frustra praestantissimus sapientiae firmare solitus est, si recludantur tyrannorum mentes, posse aspici laniatus et ictus, quando ut corpora verberibus, ita saevitia, libidine, malis consultis animus dilaceretur: quippe Tiberium non fortuna, non solitudines protegebant, quin tormenta pectoris, suasque ipse poenas fateretur. Quis vero est praestantissimus ille sapientiae praeses? nullus dubito, quin hoc eloginm Socrati sit jure tributum, neque certe omnino dubitandum, si Platonis nonus liber de Rep. legitur, ubi quasi eadem verba, atque eadem tyranni effigies.

[60] *Titium.* — Eosmet Virgilii versus expressimus, fabulamque explicavimus.

[61] *Tigellinus Sophonius.* — Audi Tac. X, 51. Caesar duos praetoriis cohortibus imposuerat, Fenium Rufum ex vulgi favore, quia rem frumentariam sine quaestu tractabat, Sophonium Tigellinum, veterem impudicitiam, atque infamiam in eo secutus. Validior Tigellinus in animo principis, et intimis libidinibus assumptus.

[62] *Cerno gubernaclum.* — Sveton. 46. Nunquam antea somniare solitus, occisa demum matre, vidit per quietem navim sibi regenti extortum gubernaculum; trahique se ab Octavia uxore in arctissimas tenebras.

[63] *Formicae.* — Svet. ib. Et modo pennatarum formicarum multitudine oppleri, modo a simulacris gentium ad Pompeji theatrum dedicatarum circumiri, arcerique progressu, Asturconem quo maxime laetabatur, posteriore corporis parte in simiae speciem transfiguratum, ac tantum capite integro hinnitus edere canoros.

[64] *Ardere minaces.* — Quod idem indignabunda dicebat Poppaea. Tac. X, 61. Arma illa adversus principem sumpta; ducem tantum defuisse, qui motis rebus facillime reperiretur . . . Et 62. Varius sermo, et ad metum atque iram accommodatus terruit simul audientem et accendit. Et XI, 36, quamvis alia occasione ipse Nero dictitabat: Vidisse civium moestos vultus, audire secretas querimonias.

[65] *Arvis.*—Tac. X, 52. Haec inter varias criminationes Senecae objiciebantur: quod nempe hortorum amoenitate, et villarum magnificentia quasi principem supergrederetur. Et 57. Seneca instituta prioris potentiae commutat: prohibet coetus salutantium; vitat comitantes; rarus per urbem, quasi solitudine infensa aut sapientiae studiis domi attineretur.

[66] *Curia motu.* — Tac. IX, 28. Manebat nihilominus quaedam imago Reipublicae.

[67] *Plautus et Sulla.*—Tac. X, 57. Validior in dies Tigellinus, et malas artes quibus solis pollebat, gratiores ratus, si principem societate scelerum

obstringeret, metus ejus rimatur, compertoque Plautum et Sullam maxime timeri, Plautum in Asiam, Sullam in Galliam Narbonensem nuper amotos, nobilitatem eorum et propinquos huic Orientis, illi Germaniae exercitus commemorat.

[68] *Mens impia saevit.* — Tac. IX, 25. Nero autem metuentior in posterum milites sibi, et plerosque gladiatores circumdedit, qui rixarum initia modica, et quasi privata sinerent; si a laesis validius ageretur, arma inferrent.

[69] *Ne occidere vellet.* — Svet. Ner. 39. Mirum, et vel praecipue notabile inter haec fuerit, nihil eum patientius, quam maledicta et convicia hominum tulisse; neque in ullo leniorem quam qui se dictis aut carminibus lacesissent, extitisse. Multa graece lat neque proscripta aut vulgata sunt.

[70] *Quietem.* — Haec eadem apud Tacitum Nero IX, 17. Tanto magis fovendum patribus populoque principem, qui unus superesset e familia ad summum fastigium genita.

[71] *Tu vatum princeps.* — Svet. Nero 10: Recitavit et carmina non modo domi, sed et in theatro, tanta universorum laetitia, ut ob recitationem supplicatio decreta sit, eaque pars carminum aureis litteris Jovi Capitolino dicata. Svet. 12. Orationis, carminisque latini coronam, de qua honestissimus quisque contenderat, ipsorum consensu concessam sibi recipit; citharam autem ab judicibus ad se delatam adoravit, ferrique ad Augusti statuam jussit.

[72] *Oratorum princeps.* — Tac. X, 21. Eloquentiae primas nemo tulit, sed victorem esse Caesarem pronuntiatum. Graeci amictus, quos per eos dies plerique incesserant, tum exoleverant.

[73] *Tu Sophiae princeps.* — Tac. X, 16. Etiam sapientiae doctoribus tempus impertiebat post epulas, utque contraria asseverantium discordiae cruebantur.

[74] *Pictor sculptorque potens.* — Nero puerilibus statim annis vividum animum in alia detorsit, coelare et pingere, cantus aut regimen equorum exercere et aliquando carminibus pangendis inesse sibi elementa doctrinae ostendebat. Tac. IX, 3. — Sic antea Horat. II, ep. 2.

Venimus ad summum fortunae, pingimus, atque
Psallimus et luctamur Achivis doctius unctis.

Et, ib.

Mutavit mentem populus levis, et calet uno
Scribendi studio. Pueri, patresque secuti
Fronde comas vincti coenant, et carmina dictant.
Scribimus indocti, doctique poëmata passim.

Saltare et canere. — Flagitantibus cunctis caelestem vocem, respondit quidem, in hortis se copiam volentibus facturum . . . utque constitit, peracto principio, Niobem se cantaturum per Clavium Rufum consularem pronunciavit, et in horam fere decimam perseveravit. Svet. 21.

[75] *Ubios.*—Tac. VIII, 7. Versa ex eo civitas et cuncta foeminae obediebant, non per lasciviam, ut Messalina, rebus romanis illudenti. Adductum et quasi virile servitium ; palam severitas, et saepius superbia, nihil domi impudicum nisi dominationi expediret, cupido auri immensa obtentum habebat, quasi subsidium regno pararetur. 26. Augetur et Agrippina cognomento Augustae. De colonia vero Agrippina, idem auctor 27. In oppidum Ubiorum, in quo genita erat, veteranos coloniamque deduci imperat, cui nomen inditum ex vocabulo ipsius. — *Carpento.* 42. Suum quoque fastigium Agrippina extollere altius: carpento Capitolium ingredi, qui mos sacerdotibus et sacris antiquitus concessus, venerationem augebat foeminae, quam imperatore genitam, sororem ejus qui rerum potitus sit, et conjugem et matrem fuisse, unicum ad hunc diem exemplum est. — *Plebecula.* Tac. Hist. I, 4. Plebs sordida, et circo ac theatris sueta, simul deterrimi servorum, aut qui adesis bonis per dedecus Neronis alebantur.

[76] *Novit Agerinum.* — Criminationes in Agrippinam effictas Tac. refert, X, 11. Repertum cum ferro percussorem Agerinum, ex intimis Agrippinae libertis, et luisse poenas conscientia, qua solus paravisset ... Adjiciebat... Quod consortium imperii, juraturasque in foeminae verba praetorias cohortes, idemque decus senatus et populi speravisset, ac postea quam frustra optata sint, infensa militi patribusque et plebi, dissuasisset donativum et congiarium, periculaque viris illustribus instruxisset. *Publica fortuna* — Sunt ipsamet Tac. verba, ib. Cuncta ejus dominationis flagitia in matrem transtulit, publica fortuna extinctam referens.

[77] *Effigies.*—Tac. X, 11. Utque Quinquatrus, quibus apertae essent insidiae, ludis annuis celebrarentur ; aureum Minervae simulacrum in curia et juxta principis imago statueretur: dies natalis Agrippinae inter nefastos esset.

[75] bis. *Legionum exercitus ingens.* — Coorto post Caesaris mortem bello, Triumviri, dominationis suae firmandae gratia plures secum praetorias cohortes habuerunt. Quarum numerum auxit Augustus, et *praefectum praetorio* creavit. Sic tempore imperii *Cohortes praetorias, praetorianos milites et praetorium* invenies, genus militum, robore ac genere longe ceteris praestans, quodque ad custodiam principis perpetuam semper in urbe manebat. Contra autem *romanae legiones.* Ut enim provinciae tum *imperatoriae*, tum *senatoriae*, Roma procul, tum in oriente, tum in occidente, romanis legibus parerent, ad supremam imperii amplitudinem, et quietem romani exercitus excubabant. — *Urbani.* Tac. Hist. I, 5. Miles urbanus, longo Caesarum sacramento imbutus, et ad deserendum Neronem arte magis, et impulsu quam suo ingenio traductus.

[76] bis. *Germanica pubes.* — Tac. IX, 54. Earum gentium legatis id honoris datum, quae virtute et amicitia romana praecellerent, nullos mortalium armis aut fide ante Germanos esse, exclamant degrediunturque, et inter patres considunt.

[77] bis. *Vectigalia.*— Svet. Ner. 10. Graviora vectigalia aut abolevit, aut minuit ... Divisis populo viritim quadringenis nummis, senatorum nobilissimo cuique sed a re familiari destituto, annua salaria et quibusdam quingena constituit: item praetorianis cohortibus frumentum menstruum gratuitum. Tac. IX, 50. Dubitavit Nero, an cuncta vectigalia omitti juberet, idque pulcherrimum donum generi mortalium daret. Sed eam dissolutionem imperii patribus docentibus, 51: Mansit tamen abolitio quadragesimae quinquagesimaeque et quae alia exactionibus illicitis nomina publicani invenerant. — *Donas.* Largitiones Neronianae in amicos frequentissimae. Tac. IX, 18. Domos, villas, id temporis quasi praedam divisissent: alii necessitatem adhibitam credebant a principe, sceleris sibi conscio, et veniam sperante, si largitionibus validissimum quemque obstrinxisset.

[78] *Et canis, et choreas ducis.* — Svet. Nero 22. Mox et ipse aurigare, atque spectari saepius voluit; positoque in hortis inter servitia et sordidam plebem rudimento, universorum se oculis in circo maxime praebuit. Svet. 10. Instituit et quinquennale Romae certamen primus omnium Romae, more graeco, triplex, musicum, gymnicum, equestre, quod appellavit Neronia. Magistros toti certamini praeposuit consulares sorte, sede praetorum, deinde in orchestram senatumque descendit. — *Quid Roma Neroni.* Svet. Nero 53. Maxime autem popularitate efferebatur, omnium aemulus, qui quoquo modo animum vulgi moverent. Tac. lib. XI, 36. Haec atque talia plebi volentia fuere, voluptatum cupidine, et rei frumentariae angustias, si abesset, metuenti.

[79] *Rauciret.* — Svet. 20. Ibidem (Neapoli) saepius et per complures cantavit dies, sumpto etiam ad reficiendam vocem brevi tempore. Et ib. Ipse meditari exercerique coepit, neque eorum quidquam omittere, quae generis ejus artifices, vel conservandae vocis causa, vel augendae, factitarent.

[80] *Syriae.* — Svet. 56. Religionum usquequaque contemptor praeter unius Deae Syriae. Hanc mox ita sprevit, ut urina contaminaret; alia superstitione captus, in qua sola pertinacissima haesit.

[81] *Icuncula.* — Svet. 56. Siquidem icunculam puellarem, quum quasi remedium insidiarum a plebeo quodam et ignoto munere accepisset, detecta conjuratione pro summo numine, trinisque sacrificiis colere perseveravit, volebatque credi monitione ejus futura praenoscere.

[82] *Irrequieta futuri.* — Svet. 55. Erat illi aeternitatis, perpetuaeque famae cupido sed inconsulta . . . Mensem Aprilem Neroneum appellavit: destinaverat et Romam Neropolim nuncupare. — *Magices.* Pl. XXX, 5. Primumque imperare diis concupivit, nec quidquam generosius voluit. Neque unquam ulli artium validius favit. Ad haec non opes ei defuere, non vires, non discentis ingenium, aliaque non patiente mundo . . . Saevius sic nos replevit umbris.

[83] *Gnosis.* — Hoc nomen, quod graece est *cognitio,* sive *scientia,* fami-

liarissimum Platonicis et Pythagoricis primi patres libentissime usurparunt, ut christianam doctrinam, sive philosophiam intelligerent, quae vera γνῶσις idest vera sapientia. Verum et ante Christum natum, et prioribus ipsis Ecclesiae saeculis, altera *gnosis* praesertim alexandrinis scholis erupit, quae res divinas cum platonicis philosophiae placitis componens in errores turpissimos ruit. Inter eos qui a Christi lege desciverunt, Simonem facile antesignanum dixeris.

[24] *Instrumenta regni.* — Taciti locutio est, qui VIII, 66. de venefica muliere ait: Diu inter instrumenta regni habita.

PETREIDOS

LIBER VI.

ARGUMENTUM

Eune atque Hermus, per varios humanarum rerum fluctus, undarumque saevientium fragores circumlati, in Romanae Ecclesiae sinu conquiescentes, veluti in portu navigabant — Quid vero Iphitus? Infelicissimus pater, ubi diu frustra obluctatus, ad aulam imperatoriam abreptam filiam sensit, inopina caligine menti offusa, veluti exanimis corruit — Simul ac spiritum recepit, et insanabilis pernicies ob oculos versatur, acerba et luctuosa oratione Eunes suae exitium lamentatur — Mox spectantium irrisione, in rabiem actus, Romam et Neronem, et cuncta ipsius Graeciae numina diris execrationibus detestatur — Demum e vulgo se proripiens apud Epicharin, quam primo adventu Romam noverat, diversatur — Rerum magnarum appetitione, animique mascula fortitudine Lacaena isthaec sese in potentiorum amicitiam insinuaverat — In primisque familiari consuetudine fruebatur C. Cassii — Qui, desperatis publicis rebus, a civili frequentia abhorrebat — Sed in domestica solitudine, pulcherrima tamen romanae Reip. tempora venerabatur — Et antiquiorum virtutum igniculos quotidianis sermonibus fovebat, in selecto honestissimorum virorum coetu — Qui saepe in Cassiam domum de summa Repub. commentandi causa veniebant — Hujusmodi conciunculis aderat Epicharis, eaque capitali odio Neronem

prosequebatur — Quin etiam Caesarem Bajis temere agentem, per classiarios de medio tollere tentaverat — Ubi igitur inustam grajo nomini ignominiam audivit, Iphitum praeterea ingenti moerore consternatum videt, novas incendio faces admovet — Ille autem Harmodii et Aristogitonis gloriam aemulatus occulto sub vestem gladio ad Palatinum pergit, Caesarem interempturus — Sed aula praetorianis militibus circumsepta, diu multumque frustra evagatur — Tandem lacrymis janitorem vicit — Qui misericordia commotus de graja quadam virgine meminit intra Juvenalia in aulam vi invecta, primaque nocte cum custode ipso elapsa — Nullum adhuc effugii indicium compertum, nisi persuasorem abitus fuisse Christianum — Quibus verbis, velut e caelo tactus, manet Iphitus, Deoque Christianorum, quem hactenus despexerat, primas precationes nuncupat — Interea cuncta urbis compita inopino strepitu circumsonuere — Frumentariae classis ex Aegypto venientis nuncio, e cunctis regionibus excitata plebs ad Tiberim confluit — Neque multo post Nero ipse germanicis cohortibus circummunitus accurrit — Sed pro frumento, chrysocollam ad circense ludicrum triremibus advehentibus, Nero omnium contumeliarum coeno obrutus ad Palatinum rediit — Frustra animi aegritudinem dissimulantem Tigellinus ad consuetas libidines detorquet, eumque ad villam suam invitat — Eoque consultore, Caesar liberaliori largitione plebeculam conciliat — Quae inopinis gaudiis effusa per urbem discurrit, festis acclamationibus principem, patriae patrem salutans — Iphitus primum armatorum concursu exterritus, mox mutatae plebis adulationibus indignatus, in aulae vestibulo consistit, quo Neronis colossus extollitur, eumque omnibus probris onerat — Itaque a praetorianis militibus comprehensus, ad portam tiburtinam in praetoria castra defertur — Quo in tenebris, et paedore expiråsset, nisi Tigellinus, ut clementiae famam Principi aucuparetur, captivum educi, inque Graeciam sub custodia militari devehi jussisset — Augustus, pace parta domi forisque, et romanam concordiam firmare sategit, et Romam totius orbis terrarum caput omni splendore et magnificentia condecorare — Neque solus huic operi incubuit, sed amicorum opulentissimos thesauros in publica commoda transtulit — Agrippa potissimum, novarum rerum auctor, magnificentissima opera aedificavit — In romana urbe, omnium nationum domicilio, *omnium Deorum* templum constituit, ut omnes populi, Deorum exemplo, romanae civitati assuescerent — Deliciarum causa et voluptatis, pone templum, hortos fecit thermarum abundantia, ambulationum varietate, arborum amoenitate et omni topiaria arte exquisitissimos — Populum romanum, quem tantopere vivens dilexerat, moriens scripsit heredem —

Sed Nero imperatorias delicias Tigellino largitur — Qui fortunae indulgentia ad lasciviam abutens, lustris atque helluationibus polluebat — Die praestituta, ganeonibus flagitiosissimis stipatus Nero voluptariam stationem adire gestiebat, sed eccum inter caesa et porrecta Poppaea iracundior — Quae, ab funere primum tristem et reconditum, mox coenatoria veste indutum offendens, quasi ad intermissas libidines redeuntem acerbissima objurgatione increpat — Suamque infelicitatem lamentatur — Sed Nero primum minis perterrefecit, deinde blanditiis delinivit, praecipue futuri partus laetitia, et abiit — Interea celeberrimas luxu, famaque epulas paraverat Tigellinus ad lacum Agrippae — Ubi mira omnia et humanam audaciam egressa — Secundis mensis, Sophonio modimperatore, ad Neronem Deum facta est libatio — Exinde munus gladiatorium super ripas editum — Demum (invito quidem animo, Christianus vates ad hanc ethnicae impietatis corruptelam accedit), mero cerebris incalescentibus, per hortos effusi, per illicita omnia foedantur — Et Nero uni ex illo contaminatorum grege, cui nomen Pythagoras, in modum solemnis conjugii denupsit, Paride inhumanas nuptias concinente, exemplo Jovis olympii, cujus infamias recitat — Hos inter motus in inferiorem palatinae domus carcerem Paulus languebat, novissimum supplicium in dies opperiens — Sed inopina Dei providentia, qui prioribus illis saeculis adolescentem Ecclesiam propiori numine juvabat, ex intentiori custodia Paulus liberatur — Poppaea, Eunes elapsae causa Tarsensem captum intelligens, ex loco inculto, et tenebris horrido eductum, in patentiori aula, inter majestatis et perduellionis reos, versari permisit — Quam nactus liberiorem custodiam Paulus, de Christi regno inter sontes disserere occoepit, multosque christianae spei lucrifacit — Absente Nerone, Seneca et Burrus ad aulam conveniunt — Poppaea multa de solitudine sua, plura de imperii calamitate conqueritur — Ad extremum viris clarissimis Paulum ignota quadam misericordia commota commendat — Qui dominae jussis libentissime ambo obtemperant, et Burrum praetorio praefectum Seneca evincit, ut Judaeum hominem insigni sapientiae fama celebratissimum secum invisat — Inter eundum, de conjuratione contra Neronem colloquuntur — Stoica Philosophia, et Epicuraea, altera quae in Rep. animos severiori disciplina extulit, altera, quae voluptuosa remissione emolliit, collatis viribus contra Imperium insurgere parant.

Quis vero ille autem argivo contectus amictu
Circum errat minitans Romana palatia? demum,
Ceu si immota silex, stat spe frustratus inani?
Ora recognosco, atque tuum, Pater Iphite, novi
Consilium. Infelix genitor! quo opprobria foeda,
Quo rabidi effraenes praeportas pectoris iras?
Urbano procul ab strepitu undisonisque procellis
Nata suam reperit sancta inter moenia pacem;
Et gener arcano deductus numine Romam
Invenit longo medicamina prima dolori:
Quae furvas inopina tibi vox ruperit umbras?
Quis feret auxilium? lateri immedicabile vulnus
Crudescit magis atque magis. Tibi nulla refulget
Spes, quae Christiadûm ambrosiis consistit in arvis.
Iphitus, exactis ludis Juvenalibus, Eunen
Ut sensit raptam saevi praedonis ad aulam,
Nec patrias valuisse preces, moestosque ululatus;
Restitit attonitus, trifidi ceu fulminis ictu,
Procubuitque solo. Vix tandem reddita menti
Sera quies, recolitque animo irreparabile damnum,
Ingentem attollit gemitum, quo lecta corona
Congemuit, patris miseri infortunia cernens.
Sed juvenum stipata phalanx circumstetit, actum
In medium illudunt risu et ludibria miscent:

Egregiam vero laudem et spolia ampla referto,
Graje, domum: parto felix laetare triumpho.
Grajus at obscoeno risu, linguaque proterva
Accensus fremit, et verbis castigat acerbis
Insanam turbam: Vos et de gente Quiritum,
Vos ego Romanos dicam gentemque togatam?
At non immerito vos execrabile pressit
Imperium, oblitos priscum genus atque pudorem.
O Roma infelix! domino despecta superbo
Servis, et quereris frustra; servire mereris [1].
Sic ait, et foedis se proripit aedibus. Ingens
Instigat furor, et flamma vindicta minaci
Praecipitat mentem, et tota bacchatur in urbe:
Haud aliter taurus nativo eductus ab arvo,
Quem longum excivit per iter glomerata juventus,
Si mediam ingreditur colluctaturus arenam,
Et circum subitis vigilans latratibus urget
Ira canum, ferroque immansuetumque ferumque
Venantes stimulant; rabies furibunda minanti
Fulgurat ex oculis agitatque ingentia caelo
Cornua, et horrendis rumpit mugitibus auram.
Jupiter omnipotens, si quicquam numina prosunt,
Si mundo imperitas, nec nostras fabula mentes
Illudis, trifido demens quid fulmine turres
Templaque perfringis? romana palatia cernis
Ignarus, nec jura hominum, nec jura Deorum
Curas? Ipsa fave saltem, Tritonia Pallas,
Quam colui semper, cui Relligione solutam
Externa natam per mille pericula fovi,
Progeniem defende tuam: tua cura recessit?
Talia vociferans, nec erat medicina furori,

Multa gemit, largoque humectat flumine vultum.
Quae quibus anteferam? imprudens per compita triste
Ludibrium experiar? ferro miserabile vinclum
Corporis exuero, damnum irreparabile lustrans?
Anne urbem invisam maculataque tecta relinquens
Deferar in patriam? tantum patientur Athenae
Dedecus? Infelix genitor! sine matre puellam
Eduxi his ulnis, reptavit sarcina dulcis
His humeris, virtute potens adoleverat omni
Virgo formosa, et misero clarissima patri
Gloria: te virtus ingens tua perdidit, Eune;
Per me virginea funesta opprobria fronte,
Nata, impressa geres. Effatur talia, luctusque
Impatiens hirto canentes vertice crines
Discidit, et longo replevit compita luctu:
Utque miser vidit vacuas cecidisse querelas,
Multa minans animo, notas contendit ad aedes
Qua primum hospitium peregrina repperit urbe.
  Dum cadit obscoenis foede laniata Philippis
Romula libertas, reliquus qui spiritus errans
Pingues Aemathiae civili sanguine campos
Deseruit, Latium infelix, caelumque perosus
Romanum foedis pollutum sordibus, uno
Pectore constiterat. Genus alto a sanguine Cassi [a]
Quîcum victa uno, tumulataque funere Roma,
Inter fumifera antiqua caligine signa,
Priscos heroas, monumentaque magna reservat.
Praecipue tacita stabat veneratus in aede
Caesaris extinctor; scriptum sub imagine carmen:
Ductori partis. Praeclarum exemplar avorum
Cassius, aspiciens per turpia cuncta Neronem

Prolapsum, senior liquit graviora senatus
Munia, delituitque domus penetralibus umbris,
In peiora ruens saeclum indignatus iniquum.
Concelebrat secreta virûm manus inclyta, tantum
Devenerata senem, praeclaraque facta parentum
Audit narrantem: menti prior ignea virtus
Incaluit: demum conjuravere Neroni
Foedam inferre necem, et Romae renovare vetustae
Effigiem, et priscos, liberrima jura, Quirites.
Crescit flamma minax: dextras in mutua jungunt
Foedera, conveniuntque patres equitesque ducesque
Armorum, matresque ipsae [3]. Praestantior una,
Una ferebatur magis aversata Neronis
Et vitia et mores et nomen, Epicharis. Audax
Foemina vel supra sexum, Lacedaemone nata,
Serva fuit quondam, sed cultu Palladis omni
Perculerat dominos. Libertae audacia crevit,
Ausaque nobilium lautas perrepere in aedes,
Atque placere seni, magna qui solus in urbe
Delectos proceres ad tempora prisca trahebat.
Non humiles ausus magnam tetigere Lacaenam.
Noverat insidias, conjurantumque morantum
Segnitiem incusans campanam legerat oram,
Si posset stantem miseno in littore classem [4]
Occultis tentare dolis, quo saepe solebat
Luxuriare Nero, et virides errare per hortos,
Nullis excubiis, nulla comitante caterva.

Iphitus actaea vix primum venerat ora,
Invisit Lacedaemoniam sociosque penates,
Ipsaque cecropii lumen mirata senatus
Obtulit hospitium: coepta ostentavit amico

Consilia, et socium occultas ascivit ad iras.
Quamvis sollicitis terroribus aestuat aula,
Intentatque minas, vesani principis acta
Omnia pervolitant late loca; fama [5] silendi
Nescia nec poenis, nullisque domabilis iris
Urget opus, subito spargens rumore viritim
Indignos ausus, veris conficta remiscens
Criminibus, volvensque odii implacabilis ignem.
Quanquam Roma jacet maculoso perdita coeno,
Conscia naturae humanae vox omnia rumpit
Vincula, et eloquitur, fremituque inclamat acerbo.
Illa videns Grajum demisso incedere vultu,
Palliolo obtectum, lucemque odisse diemque,
Sic prior aggreditur: Sic fas et jura veretur
Romulidûm princeps: parvo discrimine cuncti
Erramus mortemque inter vitamque timentes.
Iphitus indignans: At detestabile monstrum
Impune audebit matres temerare latinas,
Quae turpes ignominias dominumque inhonestum
Assuevere pati: sed non patientur inulti
Dedecus hoc Graji: laudabit Graecia factum:
Nec solum Harmodium, nec Aristogitona [6] relinquam,
Quos primum impura servare tyrannide Athenas
Aggressos nullae tenebrae, nulla occulet aetas.
Urbe triumphata, Xerxes spirantia signa
Secum transtulerat, sed tot volventibus annis
Zaleucus patriae donum reddebat opimum;
Dumque Rhodon praetergreditur festiva juventus
In patriam rediens, egressa urbs littore laeto
Jamjam cecropiae praesentia numina terrae
Excipit hospitio; tum pulvinaria sacra

Constituit, divisque calentes excitat aras.
Grajus romana laudabor Brutus in urbe:
Teque, ingens crimen, dextra hac sub tartara mittam,
Quo mihi te cumque obtuleris. Extrema minantem
Audivit mulier, furiisque accensa profatur:
I, fatum sequere audacter; nec maxima Pallas,
Nec Patareus oculis Deus haec spectabit iniquis.
Si defessa malis, longoque miserrima fletu
Roma silet, scelus hoc terris abolere nefandum
Praestiterit, nec fama levis te ubicumque sequetur.
Illa ait: ultrices concepit pectore flammas
Iphitus, et ferrum rapuit, victusque dolore
Sub vestem ascondit, gressumque obvertit ad aulam.
Quo fereris, Pater infelix? nec multa pericla,
Quae te circumstant, cernis? Nempe una cupido
Audaci latium praedonem sternere ferro
Exanimem. In rapidum ipse magis descenderit orcum,
Quam natam indecorem polluta linquere Roma.
Unguibus ora miser foedat, rabidoque furore
Pallia discerpit, nec consolabilis unam
Itque reditque viam, et curarum fluctuat aestu.
Qualis ubi dumis sylvestribus ursa lybistis
Abreptos repetit catulos, per opaca peragrat
Antra furens, lustratque propinquae abdita sylvae
Exululans, si forte viarum errore vagatos
Comperiat, notoque adsint clamore vocati;
Haud aliter cunctos aditus, atque ostia cuncta
Vestigat Grajus. Tandem funesta subivit
Tecta, et confidens animo de virgine graeca
Quaesivit. Senior funestae janitor aulae
Multa enarranti patri, multumque gementi:

Vestibulum nequicquam, inquit, superare laboras.
Non exorato postes adamante rigescunt;
Utque vides, centum romana palatia circum
Excubiae invigilant. Lacrymis tunc Iphitus ortis:
Dic, senior, tibi quandoquidem tua grandior aetas
Terrigenûm varias sortes experta vicesque,
Inspirat faciles animos mentemque benignam;
Dic, senior, siquid nôsti de virgine graeca,
Quam glomerata cohors mediis Juvenalibus actam
Eripuit patri, foedamque abduxit ad aulam?
An tibi, spero equidem, mentem clementia flectat,
Quam renuit dominus? Tetigerunt dicta verentem
Verba senem, tacitusque patris declinis ad aures:
Frustra cunctare hic, inquit. Pulcherrima virgo
Sedibus his paucas tantum vix restitit horas.
Vidi illam his oculis pallentem morte futura,
Et flevi: passos gestans per colla capillos,
Et superinducto lacera in velamine curru
Ipsa ferebatur: curru descendere vidi
Semianimem, manibusque trahi miserabile corpus,
Funestosque gradus alieno ascendere gressu.
Ut vidi, ut perii! Natarum occurrit imago,
Quae fors, si jubeat vesani dira libido
Caesaris (exili sic stant pendentia filo
Jura pudicitiae), ad probrum rapiantur iniquum.
At tibi sacramenta aulae quae nuncio, corde
Condita deliteant, nec cuiquam fidere tutum,
Et mihi morte forent vulgata arcana luenda.
Deficientem anima, externatam mente puellam
Intulerant aulae: ut tenuis deerrabat in ore
Spiritus, immotam fomentaque nulla juvabant,

Traditur insomnis famuli custodia curis,
Corpore dum priscum posset reparare vigorem.
Credo equidem Divos, si Divis ulla relicta est
Justorum pietas, mentem inspirasse benignam,
Quisquis erat famulus. Media jam nocte silebant
Omnia, sollicitae strepitus cessaverat aulae,
Ipse Nero curis laxabat fessa diurnis
Corpora; vix animi compos fuit inclyta virgo,
(Qua potuere via, incertum) fugere per umbras
Captiva et custos. Vix haec, nec plurima novi.
Orta dies caelo trepidas dimoverat umbras,
Insueto audivi strepitu turbata ferocis
Interiora aulae, trepidos pallore ministros
Insolito casu, circumque supraque sagaces
Inspexi famulos notis exquirere tectis
Argumenta fugae. Sed adhuc incognita cuncta.
Christicolam dicunt custodem virginis, atque
Persuasorem abitus: et quod mens augurat, opto.
Namque pudor sic salvus erit. Jam plurima gentis
Istius audivi, et tota cantantur in urbe
Moribus integri, et sancto pietatis honore,
Virgineum servare decus, lethoque timere
Pejus flagitium. Senio confectus et annis
Hic tacuit. Lacrymis oculos suffusus obortis
Iphitus, et vultu seniorem adspexit amico:
Dî tibi, si qua pios respectant numina, laetam
Canitiem faciant, qui nuncia laeta reportas,
Et moestum desiderium, dubiasque resolvis
Ambages animi. Trepida diffugit ab aula
Nata? mihi satis est: annis prudentia maior
Servabit caram per cuncta pericula natam.

Tuque mihi, qui ignotus adhuc quicumque deorum
Diceris, et Christi donas cognomina genti,
Si violata mihi forsan tua numina, parce:
Experior poenas, dextrae memorabile nomen
Ultricis, nec jure tuam contemnere gentem
Fas mihi, quam video cunctis adolescere in oris.
Parce; tibi natam, tibi non indebita dona
Devoveo, cunctos per te si evaserit hostes.
Ecce autem ingenti strepitu commota resultant
Compita: praecipue pulla plebecula veste
Linquit Aventini congesta mapalia, quaeque
Substitit ad veteres arcus, madidamque Capenam,
Abnormesque vias angustaque tecta Suburrae,
Per mediam volitat Romam, flagrante tumultu.
Quid plausus? Tiberim quid vult concursus ad amnem?
Si Romae excipias bis seu ter mille beatos
Patricios, equitesque (unos opulentia dives
Exhilarat, unis romani jugera campi
Urbanaeque domus, praecultaque villula laetam
Efficiunt vitam) tunicata veste popellus
Pauperior censu devicti innititur orbis,
Perque domos omnes versatur sordidus; omnes
Ambit sollicitus, noscens profesta dierum
Tempora, quaeque albo veniunt signata lapillo.
Natam hodie Tubero taedis despondet honestis:
Bulla [7] hodie Rufi laribus donata pependit,
Intereritque togae officium solemne virilis:
Pallanti est hodie prognatus filius; aula
Caesarea pollens ad mensam mille vocabit
Convivas, miserae donatur sportula plebi.
Crastina si fulget nullo solemnis honore

Festa dies, pauper fora nunc, nunc balnea quaerit,
Atque huic atque illi mellito admurmurat ore,
Pinguia lucratus rectae oblectamina coenae [8].
Eheu! quonam abiit plebs itala? mascula quondam
Progenies, Romae quae martia signa secuta
Subjecit totum romanis arcibus orbem,
Quaeque eadem duris edocta ligonibus, arva
Cogebat quamvis avido parere colono?
Divitis uber agri quondam Saturnia tellus
Cessit mancipiis. Fora per venalia Thracas,
Hispanosque, rudes animas, Afrosque perustos
Mangones foedi coëmunt, nexosque corona
Vendunt [9] patriciae culturos praedia sortis,
Atque emptor dominus vastis partitur in agris:
Damnataeque manus hominum vultusque nocentum
Inscripti, vinctique pedes colere arva jubentur.
At quonam viduata arvis, bellisque superstes
Plebs fugiat? Roma evicti patet orbis asylum,
Ipsaque tot populis fortunatissima nutrix
Adsciscit cives, suffragia libera donans,
Ludosque et scenam et cererem largitur inemptam,
Quam Trinacris dives, mittetque Aegyptia tellus,
Horrea plebejae non deficientia Romae [10].
Effera tempestas ponto retinebat in alto
Assuetam phario venturam ab littore classem,
Indiga jamque fames tota saevibat in urbe:
Ecce autem vox laeta volat praenuncia flavum
Ingressas Tiberim festivo remige multas
Deproperare rates: fervescunt littora coetu
Spectantum, auxiliumque malis finemque manentum!
Navigat Aegypto classis: quae copia rerum!

Plaudere nunc liceat: sueto quis, Caesare salvo,
Frumento indigeat? salve, Nero: maxime Caesar,
Vive diu: tali resonabant compita plausu,
Laetaque confertas complêrunt agmina ripas.
Nec minus ingenti circumtonat aula sonore:
Marmoreis ingens gradibus, valvisque superbis
Porta patet major, subitoque apparuit ingens,
Tela inter media, ipse Nero, rapidaque quadriga
Ocyor invectus tiberinas tendit ad undas.
Ex quo Romanae fidei diffidere Caesar
Incoepit, sese externis circumdedit armis.
Crediderat Nero nutantis firmamina regni,
Quos parat horrendos atrox Germania foetus.
Sive quod urbanos fugiens foedum aëra tractus
Aurea simplicitas virides, nemora ardua, silvas
Incolit; arcano potius seu numine ducta
Degeneri Romae provincia victa pudendos
Objectat mores, et jam praesaga ruentis
Imperii sibi damnatas irrumpit in urbes";
Suspectae praelata fides germanica Romae.
Seu peregre parat ire, urbis seu compita lustrat,
Romulidas contra ambiguos circumdata pubes
Invigilant, magnusque Dei comitatus aguntur,
Horrendisque jubent populum secedere pilis.
Dum globus ille virûm currum comitatur ovantem
Arduus, arma tenens, caeco prostrata pavore
Roma manet, pompamque ferocior odit inanem.
Venerat ipse Nero cursu festinus anhelo.
Quae mora jam? Festo nautae certamine laetas
Advertunt proras ripae, patuitque repente
Non cererem optatam lectas vectare triremes,

Pulverem at exiguum, cumulosque nitentis arenae,
Amphitheatralis qua fulgeret area Circi [12].
Tum populus frustra rebus illusus egenis
In furias abiit; lapidosae grandinis imbre
Persequitur dominum, mortique occumberet ipse,
Nî curru rapido celsam rediisset ad aulam.
Qua tandem, e magno se vix in tuta periclo
Rettulit, assuetam crudescere sentit Erinnym
Visceribus, caecaque iterum caligine mentem
Consitus, hac comites affatur voce sequentes:
At servum pecus, at vilis plebecula nescit
Quid liceat mihi. Quam vellem caput afforet unum [13],
Unius et caderet truncatum vulneris ictu
Exitiale caput! Tum qualis sole calenti
Tigris versicolor febrili incanduit aestu,
Strata solo, aspectu segnis decumbit inersque;
Vae venatori! si imprudens moverit illam,
Mendaci credens somno falsaeque quieti;
Conticuit Nero; sed praecordia ad intima ludit
Ultio, disruptis sperans erumpere fraenis.
At Tigellinus, qui dextro tempore mentem
Caesaream premere, et laxas dare nôrat habenas,
Seria praevertit ludo: Ter maxime Caesar,
Artibus anne latet, quibus ingens bellua cedat?
Panem et circenses [14] adamat mutabile vulgus,
Praeterea nihil. Hoc uno compescere fas est.
At tu consuetis medicatam frugibus offam
Objice: latratus subito cohibebit iniquos
Improba, demissaque quieta indormiet aure.
Quid non praeterea exuperat fortuna Neronis?
Quo tibi divinae deerit vigilantia mentis?

At nunc majus opus posco. Te villula nostra,
Villula quae memorat magni benefacta Neronis
In Tigellinum, et seros memorabit in annos,
Anxia jamdudum expectat. Tibi festa paravit
Gaudia: si praesens dignare invisere, Caesar,
Virginis argolicae jam hinc obliviscere: nec Dìs
Invideas caelum superis. Nero reddidit illi:
Adveniam, placida sperem requiescere pace.
At graviora mihi primum peragenda supersunt,
Ut querulae possim latratum extinguere plebis.
Desidiosa, levis, cunctisque abrepta figuris
Sensilibus, vario hac illac revolubilis aestu
It ratio, variantque vices timor, ira, cupido
Incredibilium, et foedae mala gaudia mentis.
Angusto ceu saepe freto sub lumine Lunae,
Undivagum mare littoreas nunc condere ripas
Fluctibus objectis, et nunc nudare reductis
Cernitur. Humani quae jam jam sanguinis ardens,
Immansueta sitis venis serpebat in imis,
Desedit, suetaeque trahunt ad turpia curae.
Ergo ventosae venans suffragia plebis
Limina Saturni, portasque recludit ahenas,
Usibus extremis servata aeraria fundens.
Omnia mutantur. Totam cursare per urbem
Immensum adspiceres populum: ruit aedibus omnis
Unda salutantum, et festo clamore furentum:
Quale ubi turmatim per saturnalia amicum
Mancipium domino, turpis miscetur honesto:
Fit strepitus triviis, dum copia suppetit ingens,
Assimulans veteris felicia saecula regis [15].
Luxuriosa ruit vacuae per compita Romae

Plebs circumfusa: ingenti convivia luxu
Apparat ipse Nero: caveis depromit ab imis
Pinguia fumoso spumantia dolia baccho:
Ferre jubet centum praestanti corpore tauros
Pinguibus e stabulis, totidem mactatque bidentes:
E nemore umbrifero damae capreaeque fugaces
Raptantur: praestat flammis adolere paratis
Viscera, sordentique urbem involvere fumo.
Festivis quacumque epulis discumbitur: istud
Romano donum populo: jus esto beatae
Laetitiae nescire modum, choreisque vacare
Perpetuis, semperque boni meminisse Neronis.
Iphitus ut septum vidit fulgentibus armis
Induperatorem, strepitu conterritus haesit;
Saepius et medios voluit moriturus in hostes
Irruere. Ignotae sed quaenam praemia morti?
Et nunc conventum ingentem turbamque sonantem
Per plateas spectans, atque in contraria versam,
Mutata obstupuit tanto convicia plausu.
Qua patulum ante fores aequata dat area campum,
Sese praecelsa sustollit mole colossus [16],
Quem pario e lapide extruxit Zenodorus, et aulae
Praeposuit geniumque loci, numenque Neronem.
Turbidus ut Grajus lustrans vacua atria vidit
Proceram effigiem, furibunda excanduit ira,
Et ceu vulnificos posset sentire dolores
Saxea forma, stetit demens, validosque furores
Evomit, inclamans graviore voce tyrannum,
Humanique facem generis, Romaeque ruinam.
Quî circumstantes latuisse opprobria quibant
Excubias? Miles, quoniam est oblata facultas,

Ingenti clamore ruit, manicisque furentem
Occupat. Immotus nisu stetit ille, rotansque
Ensem fulmineum multo loca sanguine vastat.
Confestim densata phalanx super irruit unum
Frendentem, et captum vinclis constringit ahenis.
Ceu saepe incurrens Lybica venantibus ora
Squamosus draco, quem solido venabula ferro
Turbavere solo; domito stat corpore captus
Ille, sed assurgens fulva cervice trisulco
Sibilat ore, vomitque ferox lethale venenum;
Talis correptus manicis, vinclisque furebat
Iphitus, et nudos laniabat dentibus artus.
Jamque catervatim vilis plebecula vinctum
Arma inter media et morbo illuvieque peresum
Conspiciens truculenta jocis ludibria miscet;
Ocyor armatus miles circumstetit; aulae
Majestate procul, qua stat custodia sontum
Arctior, ejectum castra ad praetoria [17] raptant.
Tiburtinam inter, dictamque e Vimine portam,
Hanc molem immanem, et surgentibus oppida tectis
Sejanus statuit quondam. Ambitiosius augens
Vim praefecturae, dispersas ante cohortes
Per varia hospitia, atque vagas collegit in unum,
Ut simul imperia acciperent, numerusque potensque
Robur militibus junctis fiducia, Romae
Formido foret ambiguae. Dejectus in umbris
Argivus jacuit, subitoque it rumor ad aulam.
At quod supplicium nexo, crimenque fatenti?
Carcere numne mori occultum inferiore tenebras
Paedoremque inter jubeant? num robore clausus
Funereo subterpositis procumbat in antris?

An populo exemplum misero, de rupe sinistra
Tarpeji in praeceps jaciant? Clementia vicit,
Et quae foedatum vulpes astuta regebat
Principis ingenium, tremefactas clade recenti
Permetuens alio pessumdare funere mentes,
Confestim Argivum ruptis extrudere vinclis
Captivum jubet, et tirreno credere ponto,
Sub custode fero, ut patriam remearet ad oram.
Quo vultu, miserande Parens, quo pectore cernis
Romanum hetrusco misceri marmore Tybrim?
Ah! quoties aciem in vastos protendere fluctus
Te video, et magnae excedentia culmina Romae
Aspicere extremum, et surdos implere querelis
Clarisonis fluctus, atque Eunen voce vocare!
Ingrato deerrare mari vi cogeris una,
Quo, nata comitante (heu! mensis volvitur alter)
Dulcia laetantis testatus gaudia mentis
Demirabaris famae monumenta latinae.
Nunc miserae funesta ferens incendia luctus,
Haec eadem relegis spatia incomitatus et amens!
Solus abis: ingrata vehit tua corpora pinus;
Cor remanet Romae: Romam, vix fallere saevos
Custodes liceat, Romam, qua nata moratur,
Visere tecum agitas: haec spes solatur euntem.
Pace foris parta, Augustus, rerumque potitus,
Bellorum ingentes satagens reparare ruinas,
Non modo magnifica extruxit monumenta per urbem
Ipse, sed exemplo fidos commovit amicos,
Vertere privatos in publica commoda census.
Romae ornamentum circos, fora, templa, theatra
Extruerent: Romam cunctis caput urbibus esse,

Et dignam imperio forma cultuque futuram.
Praecipue Agrippa [18], actiaci dux ille trophaei,
Pacatorque maris, Pompeia classe fugata,
Quem generum augustam tulit Induperator ad aulam,
Consilio asciscens comitem, rebusque novandis,
Magna opera aedificat nullum interitura per aevum.
Ut Romae latos, confracta repagula, fines
Exuperant populi, et portam ingrediuntur apertam,
Omnia tum pariter mutato numina caelo [19],
Ut quaeque extuderant gentes, diversa locorum
Ingenio, adveniunt ad flavas Tybridis undas.
Prospiciens porro victas consuescere gentes
Unius imperio, exemplo praeeunte Deorum,
Ipse sagax rerum, propriis ne finibus illuc
Atque huc errarent, media collegit in urbe
Numina, quo firma populos statione tenerent.
Ingens magnificum templum, totique sacratum
Concilio divûm consurgit mole rotunda:
Roma Diis, populisque eadem patet hospita sedes.
Quid raras memorem effigies, spirantia signa,
Aere renidentes, aut laevi e marmore, mira
Magnorum decora artificum, totumque per orbem
Exquisita? Tholo suspenderat arma Quirinus,
Claras exuvias, regi direpta latino,
Jupiter unde habuit titulos nomenque Feretri [20].
Orbis devictus victori munera cedit;
Nec modo bisseni, magna omnipotentis olympi
Regia, caelicolae victis rapiuntur Achivis;
Externis veniunt terris nova numina: cernis
Aegypti spolia, et Nili septemplicis Isin,
Linigeramque Deae turbam, turpemque Serapin

Marmoreis circum cellis considere, mixtos
Grajis numinibus, latia et tellure creatis [21].
Haud aliud templum romana potentia vidit
Pulchrius. Ingenuum et simplex, quod Graecia sola
Comperit, et mira expressit feliciter arte,
Luce nitet propria, cunctis mirabile saeclis
Artis opus, dignum quod miro accensus amore
Suspiceret Michaël mortali veste coruscans
Angelus [22]. Ipse Petri effingens memorabile templum,
Elicuit veras solerti imitamine formas,
Imposuitque operi magnae testudinis instar.
Hortus erat, templum pone, et laetissima tempe.
Victor secessu suêrat deponere amoeno
Taedia bellorum, et placidae indulgere quieti.
Fama est, vicinis dum arenti sidere campis
Cursaret miles dubius, lassusque viarum
Fonte sitim irriguo peteret restinguere frustra;
Ecce autem virgo, pulcherrima virgo, reducta
Emicuit valle, et montani tramite clivi
Largiflui fontis scatebram monstravit: ibi undam
Accurrit potare salubrem exercitus omnis.
Virgine monstratam (veteris stat gratia facti)
Nomine virgineo [23] lympham longaeva vetustas
Nuncupat. Inductis excepta canalibus unda
Deproperat Romam, magnoque extenta residunt
Stagna lacu, Agrippae decus et cognomen adepta.
Hic omnis, cultu assiduo, bona copia ruris
Ridebat, cultisque locis inculta virore
Herbida perpetuo solers industria alebat.
Hic nemus horrendum, hic virgulta sonantia silvis,
Secretaeque specus, hic rivis roscida prata

Mobilibus. Lucent vario de marmore thermae;
Ast aqua lene fluens nunc mollia balnea saltu
Efficit umbroso, interdum refluitque fluitque
Ambiguo cursu: laeto sata margine coelebs
Alticomos platanus sustollit ad aethera ramos,
Myrtusque, idaliaeque rosae, et violaria vernant.
Qui populum vivus magno dilexit amore,
Dilexit moriens, testamentoque Quiritem
Heredem scripsit, stagnumque et balnea, et hortos
Luxurians civis medio celebrabat in aestu:
Fallebatque diem. Sed non ea cura Neroni,
Publica commoditas. Ceu mentem insania mutat,
Diruit, urget, agit privata et publica passim.
Crimina virtuti ponens vibransque cruentam
Hastam divitiis urbem deturbat avitis [24].
Secretas nemorum valles et amoena vireta,
Conscia deliciis loca, Tigellinus habebat,
Atque novi addiderat magna oblectamina luxus.
Ergo fatigatum et curis mordacibus aegrum
Inspectans Dominum (miser heu! nunc turbidus amens
Commemorat medio exululantem funere matrem,
Nunc graeca impatiens quaerit de virgine, semper
Conjuratam aciem densis consurgere ab umbris
Contra se metuit) versam in contraria mentem
Distrahit, illecebrisque novis praevertere quaerit;
Nec renuit Caesar libertum invisere, turpe
Impositum pondus latiis cervicibus, atque
Patricio aequantem rerum fastigia censu.

Jamque aderat praedicta dies, cum linqueret aulam
Induperator ovans, laetosque veniret ad hortos.
Conveniunt, tanto quotquot dignatur honore

Egressum stipare deum per compita Romae,
Divinisque frui quas demirabitur aetas
Postera deliciis. Primusque *Senecio* suetus [25]
Quaerere noctivagas furtiva per orgia moechas
Milvium apud pontem: mutata veste, pudendus
Cursabat Nero, jamque ausi tentare per umbras
Matronale decus, secti rediere flagellis.
Tum mimus *Paris* ingenti cantare theatro
Aulica adulteria assuetus, *Vatinius* ausus
Sutor luce aulae ignotam mutare tabernam:
Se lateri agglomerant inhonesto corpore turpis
Quintanus, foedusque *Otho*, quem ludere lusus
Fortuna insolitos gaudens, ad culmina summa
Efferet imperii: foedam transduxit ad aulam
Nunc rerum liberta potens, quae grata Neroni
Obtulerat juvenem maculosa ad cuncta paratum.
Deinde *Sporus* sequitur, sociusque *Petronius*, atque
Pythagoras, grex immundus, cui romula quondam
Lingua nequit sceleri proprium procudere nomen.
Nec minus ingenti penetralia murmure fervent,
Perque immensam aulam famulos cursare videres
Intentos operi. Pars e praesepibus altis,
Quos patria Epiros, fortisque Laconia misit,
Sepositos educit equos, pectitque comantes
Sublimes per colla jubas. Fraena aurea mordent,
Aurea pectoribus demissa monilia pendent,
Barbaricae ludunt phalerae exultantibus armis,
Purpura ubi mixtim contexto incenditur auro.
Arrecta cervice micant: gravis ungula laevi
Argenti squama [26] soleaque inclusa nitescit.
Quadrijuges alii properant educere currus,

Certatimque auro poliunt, signisque rigentes,
Et speciem capsi [27] illustrem, extantemque rotundam
Turriculam, unde feros spirantes naribus ignem
Arduus auriga effusis moderatur habenis.
Ast aula interior majori concita motu
Festinat. Qua Zeta ornat seposta cubiclum [28],
Praetrepidant pueri: quis tanto assurgit honori
Sepositas vestes ostroque auroque superbas
Ornatumque parare Deo, qui fulgeat omni
Majestate throni, et florentis vere juventae
Phoebum castaliis dictantem carmina nymphis
Anteeat victor? Syrios hic fundit odores,
Auraque suaveolens maculoso e corpore pellit [29],
Quam fera luxuries exhalat opaca mephitim:
Caesariem hic legit effusam per candida colla
Formatamque gradu varios componit in orbes.
Indumenta togae, crassum, intolerabile pondus
Dedecorant laeves humeros; pro tempore mollem
Synthesin induitur laetus conviva, fugitque
Auratam lecta tunicam praecingere zona.
Hos inter motus, Syrio perfusus olivo
It Nero praecipiens alacri nova gaudia mente;
Atque triumphali redimitus tempore lauro,
Ceu quondam Admeti regali apparuit aula
Delius, emicuit: jam cuncta Deum ultro salutat
Turba cupidineos passim comitata triumphos.
At Poppaea gravi jamdudum saucia cura,
Ut primum variae contage libidinis actum
Praesentit deerrare virum, furibunda recenti
Excoquitur flamma, atque moras innectit eundi.
Laeta sibi extincta speraverat omnia matre;

Heu! heu! bajani postquam rubuere recessus
Sanguine, majores videt increbrescere nimbos.
More ferae Nero nunc tacitis confunditur umbris
Pervagus hortorum, nunc interiore cubiclo
Foemineos fugit affatus, ceu forte patrati
Poeniteat, causamque illam fontemque malorum
Noverit. Interea (quid fallere quibat amantem?)
Conspectat famulos insueto fervere motu,
Atque parari abitus. Maculosi vita mariti
Triste per augurium ducit; num corda quièrint
Primo fracta metu, atque iterum malesuada libido
Audeat immundos revocare in pristina mores?
Heu quid agat? Saevae horrificant muliebria curae
Pectora: nec flammis aderit violentia major
Undisonisque Euris, quam laesae pellicis irae.
Praesenti lymphata malo, fraudesque futuras
Poppaea horrescens quali spe perdita fertur?
Aut misera in lacrymas (ea stat medicina dolori)
Solvitur, aut furiis laxas immittit habenas,
Et justas laeso poenas deposcit amore
Ultrix, ingratumque vocat. Sic perfidus, eheu!
Desertam sola miseram me linquit in aula?
Tum vero impatiens, subito velut icta furore,
Irrumpit thalamo, formaque habituque cinaedum
Offendit gressum tectis efferre parantem.
Vidit, et extemplo totos expalluit artus,
Cessavitque furor, saxoquo simillima torpet,
Et via vix tandem voci laxata dolore est:
Me patiere domi dudum squalere? per urbem
Incomitatus abis sine me: solamque relictam,
Ne quid contingat, varia formidine terres?

At non haec miserae quondam promissa dedisti.
Tunc Princeps: Vigili semper custode puellus [31]
Indigeam? nuper materno obnoxius ore
Pendebam servus, nec libertate meoque
Gaudere arbitrio poteram. Quae tanta facultas
Est permissa tibi, mulier? mea desere jura:
Qua dominus Nero, non ullus dominabitur aula.
Respicit ancipites animos, vocesque malignas
Audiit infelix, justoque accensa furore:
At mihi nulla dies nullo non foeta dolore
Defluxit, donec conjux Octavia, donec
Agrippina ferox regales terruit aedes.
Ipse tuis oculis pharii tibicinis artem [32]
Praelatam tibi vidisti: totiesque furentem,
Insanam matrem, puero quae assueta Neroni
Imperitare, nequit domino parere Neroni,
Opplesse augustas armato milite villas.
At mecum luctus, et mecum gaudia nôras
Partiri. Heu! quantis me objecit sponte periclis
Iste mihi male natus amor! quibus obsita spinis
Ista fuit via, qua possem te sola tenere,
Sola frui! Pro te cunctos tolerare coacta
Contemtus hominum, et miserae ludibria plebis.
Anne iterum statuas, felicia pignora amoris
Eruat ipsa [33]? iterum occultas irrumpere in aedes
Conetur? scandetque tuum praelata cubile
Altera? Jam video taedae insultare jugali
Libertam: nequiit mater tolerare superbam
Acten [34]: ferre queo conjux? Muliercula nobis
Cuncta domi trepidare jubet: mihi numne ferenda
Plura foris commissa, mihi quae rumor iniquus

Attulerit, quaeque insomnis mea cura diuque
Et noctu comitans, vivo depicta colore
Exhibeat? Mihi supplicium est, mihi crimen amâsse
Natum Agrippina: id video. Nec plura profatur.
His haeret Nero, nec certas scit reddere voces.
Illa autem gemebunda imo suspiria corde
Educens: At quî immemori te pectore linquam,
O Nero? Curarum crescentibus aestuat undis
Mens tua: sed medio versantem turbine lethi
Poppaea eripiet. Nescis, temerarie, nescis,
Quo calefacta fremunt funesto haec corda tumultu.
Unum depereo te, unum. Te meque perosa
Saeva Parens, tumulo tandem composta quievit.
Contentos licet esse: tuo lateri ipsa sedebo
Conjux. Anne decus formae tibi displicet? anne
Nostrae gentis honos, et avis atavisque relucens
Fama triumphalis? Pueris an laeta creandis [35]
Altera quaeratur? Si quidquam forte latebit,
Quod te mutatum videam, me redde repulsi
Conjugio Othonis: maletactum limen et auras
Effugiam procul, ibo novi trans moenia mundi,
Fortunamque meam nec consolabile fatum
Conquerar. Haec inter, lacrymis implebat amaris
Insidiosa genas roseas, trepidique Neronis
Vultu mutato flagrantia lumina fixit,
Pendebatque anceps: sed jam jam mollior ille
Solatur flentem, mellitoque addidit ore:
Ecquid opus lacrymis? Alvo felicia gestas
Pignora, quae patria impatiens munimina nostri
Imperii expectat. Quae Romae insueta videbis
Gaudia, quique Antî fiet concursus ad oram!

Julia gens magna celebravit laude Bovillas [36];
Ast Antî natale solum majora manebunt.
Ecce uterum superis commendat Curia divis:
Votaque communes ierunt concepta per aras.
En Capitolini supera Jovis arce locata
Aurea Fortunae effigies, atque omnibus aris
Solemnes sonuere preces: Veneri Genitrici
Erectum templum, inque Dei nascentis honorem
Publica promissa aetiacae certamina palmae.
Ordo senatorum festam adventabit ad urbem,
Impatiens missum de caelo cernere pignus,
Prae seque effuso declarans gaudia luxu
Plebs festas ducet choreas, regalia quaerens
Tecta domus, studioque fremens plausuque secundo.
Depone has lacrymas. Dixit, comitesque morantes
Ante fores Dominum excepere, viamque capessunt.
Nobilium comitante choro, divina potitur
Gaudia, floriferos Caesar semotus in hortos.
Omnia mira adamat saeclum, monstrosaque cuncta [37].
Seu densata vides plausu proscenia longo
Obstrepere, et cunctas spectacula mota per horas,
Queis populus stupet ignarus praegrandibus orsis,
Publica sive opera audere, admirabile quidvis
Auditu visuque aderit: molimine vasto
Undique naturae juvat imperitare minori.
Quae Domino placuisse queant, cuncta arte parata
Regifica, et magnam superant miracula famam [38].
Namque lacu in medio, compactis navibus una,
Ingenti constructa vides triclinia luxu:
Motibus alternis naves motantur, et ecce
Ex aliis alia exiliunt convivia mensis.

Auricomo geminae scintillant lumine ripae.
Aurataeque trabes, aurataque transtra relucent,
Intertexto ebore; ipse micat puer oblitus auro
Plurimus, et variis circum famulatibus errat.
  Quandoquidem humano prognata scientia nisu
Id tandem reperit, quod maior et una voluptas [39]
Lautis consideat mensis, totamque per urbem
Luxuriosa scholae crescunt inventa beatae,
Qualia divini superent documenta Platonis;
Romuleo coena dona Jovi, quae festa parata
Munera? Crediderim vanae mendacia fama,
Nî romana Pater morbo illuvieque peresa
Viscera nudasset. Salve, venerabilis auctor [40],
Qui pius extremo moribundae tempore Romae
Testis ades, suaque excipiens suspiria, jamjam
Deficiente anima, per scripta volumina, sacras.
Praeclarum illud opus, cunctis mirabile saeclis,
Quod patriae benefidus amor, sociaeque salutis
Composuit, bene compositum prope Tybridis undas
Bellipotens auxit magnarum audacia rerum,
Ut nihil aetherea lustraret lampade Titan
Clarius imperiis aut majestatis honore,
Ipse vides sensim laxis procumbere vinclis;
Quatuor effractum Romae praedonibus ipse
Spectans parrhasia pingis felicius arte.
Interdum gemis, interdum perversa ruentis
Semina naturae damnas: tibi suppetit una
Relligio patriae; et caelo convicia demens
Evomis. Ah! quaenam me justior ira fatigat
Assuetum Christi sancta secernere luce
Virtutem et vitium? Languenti demoror ulva

Tartarei coeni invitus: teque auspice, pergam;
Ipse tuas iras patriae superante ruina,
Ipse dabis gemitus, casuri praescius augur
Imperii, desolatae o vox ultima Romae.
Quidquid ubique fuit toto pretiosius orbe
Quaesitum impenso romanas venit in aedes [4'],
Solertesque parant genialia fercula curae.
Ardua Pannoniae nemora e convallibus imis
Sylvestres misere feras; ast asia stagna
Cantantes cycnos per mollia prata Caystri,
Phasiacasque refert volucres viridissima Colchis.
O felix aetas, quae tot miracula dio
Extudit ingenio! Mutato more ferina
Induitur piscis speciem, viduataque rura
Lusciniis. Laetas rumpit Philomela loquelas,
Ut latium exhilaret lautissima lingua palatum.
Ecce caput coenae pueri subiere quaterni,
Artis opus rarae: dumosis horrida lustris
Gallia glandilegi nutrivit corpora porci,
Quem numero ingenti lepores, capreaeque fugaces
Exornant: praedam venator utramque nivosis
Saltibus aemoniae cursu deprêndit anhelo.
Plurimus hic fidicen suavi modulamine pulchram
Concelebrat pompae effigiem (cognomine dicunt
Aesopum) in medioque locant. Saltare videres
Chironomum interea, et summis dictata magistris
Omnia complentem: gestuque manuque patescit
Dexteritas. Primo lancem vix vulnere fartam
Innumeris avibus scindit, turdique volantes
Erumpunt, rapidisque movent purum aëra pennis.
Quid si perpetuis veniunt fastidia mensis?

Exacuet torpens pulmentum dulce palatum,
Et stomachum segnem excutiet. Quid nobile garum [42]
Commemorem? Centum excerpta intestina natantum
Sal macerat, funditque novum per membra vigorem.
Ecce autem properant lectissima vina rubenti
Permiscere rosa, Syrioque inspergere nardo.
At non hic quaeras Samios, victoque Sagunto
Extructos calices: nimium vulgaria vitrum
Crystallique color: lances, et pocula cernis
Omnia mirifice argento caelata, vel auri
Inductis crustis, variisque ornata smaragdis [43],
Murrina seu mavis semoto oriente petita.
Tum vero in medio magnum cratera locarunt.
Nil mirabilius quidquam longaeva vetustas
Vidit: praegrandem gemmam, qua martius heros
Corbulo devictam Armeniam spoliaverat, atque
Romano obtulerat domino mirabile donum.
Prodigus et stultus Caesar donârat iniquo
Tot scelerum comiti: gaza pretiosius omni
Munus convivae extollunt et vina coronant.
Atque ubi laetifico cernunt spumescere baccho,
Et trahere innumeros adverso sole colores,
Insueto veluti tactus Sophonius oestro
Surgit, et hoc superas effudit carmen ad auras:
Jupiter omnipotens, caelum contentus habeto.
Caesar habet terrae imperium Nero [44]. Jupiter ipse,
Si conjurati titania monstra gigantes
Montibus audebunt humeris superaddere montes,
Romanaeque aulae solium affectare supremum,
Ipse manu jaculans non exuperabile fulmen
In praeceps rapias, semustaque corpora passim

Phlegraeis jaceant signum memorabile campis.
Nos uni tibi libamus, Nero maxime: Romae
Praesidiumque Deumque salutiferumque vocamus.
Hanc Tigellini vocem excepere secundo
Convivae strepitu, sequiturque Senecio cantus:
Alphoei ludos sileas, ludosque Molorchi [45],
Graecia, nec Sophoclis magnos mirare cothurnos.
Quis valeat melius magnis circensibus actas
Quadrupedum cursu indociles fraenare quadrigas?
Quis regale trahit per pulpita syrma, vel auctor
Romula majori accendit proscenia plausu [46]?
At non Quintanus sine cantu segnis abivit:
Bellerophontaei prope dulcia murmura fontis
Fabula jactavit vatem, vatumque parentem
Latonae natum citharam pulsare decoram,
Et cantum et citharam aonias docuisse sorores.
An dicam Phoebum Perrhoebi culmina Pindi
Deseruisse? Nero, salve, vel Apolline major [47],
Seu fidibus mulces subsellia densa canoris,
Seu voce ambrosia, o nulli exaudita priorum
Aurea vox! Romae cedat parnassia rupes.
  O felix Nero, quidnam terris amplius optas?
Suaviloqua arrectas symphonia commovet aures,
Ardentes oculos argenti splendor et auri
Pascit luxurians, sapor ingens molle palatum
Excitat, ambrosias movet omnis copia nares,
Molliter in lecto recubas, quem stragula vestis
Chaldaeaque ornant vecti Babylone tapetes.
Quid tibi defuerit? Merito potes esse beatus.
  Ecce autem sese vicinis altera ripis
Spectacla objiciunt, rapiuntque inopina tuentes.

Mascula dum virtus duris exercita castris
Fulgentes acies externum eduxit in hostem,
Romani stabat Capitolì immobile saxum.
Roma triumphales stupuit per compita currus,
Et domitos reges justo certamine vidit
Per sacrum collem magnos celebrare triumphos
Victoris, populo circum, et plaudente senatu.
Post ubi convexo labefactum pondere nutat
Imperium, mutata ruit mavortia virtus,
Horrida diffuso gaudens in sanguine caedes
Virtutis tenuit nomen; fuit una voluptas
Ardentes oculos fuso saturare cruore.
Usque adeo humani generis communis origo [48]
Romulidas latuit! dum nodis vinctus ahenis
Mars frustra fremit, intercluso limine Jani,
Laetaque pax sanctae ramum praetendit olivae,
Urbibus in mediis deseviit improba caedes [49].
Amphitheatrales candenti e marmore moles
Surgunt, qua fulva secum luctentur arena,
Corpore praegrandes si quos Germania foetus
Mittit, Hyperborea aut glacies, Thanaisque nivalis.
Atque ubi perfectae vires atque arte magistra
Edocti (pingui hos etiam nutrire sagina
Edidicere) vocat ludo exitialis arena;
Thraces compositi Gallis, Samnitibus acres
Hispani exiliunt. Felix praelata juventus,
Quam Romae dominus tanta ad spectacula poscit!
Illa gregi socio invidiam plerumque creabit,
Si modo largifluus patefacto e vulnere sanguis
Coenas respergit dubias, et caecuba rore
Tingit purpureo, et labiis caelestibus haeret [50].

Sex paria incedunt variis sua quaeque sub armis:
Antevolans aciem ductor per cuncta paratam
Explicuit. Te turba, Nero, moritura salutat [51],
Submissoque genu, praesens ceu numen, adorat.
Tum vero adspiceres magnae praeludia pugnae.
Agmen partitum circense perambulat aequor,
Arma manu quassans lusoria: personat aether
Crebro tinnitu; simulant, atque arte magistra
Et pugnare pares et respondere, tuentes
Gaudent certatim vario suspendere gestu.
At tuba terribilem sonitum dedit: ilicet omnes
Deposuere hebetes gladios, bellatur acutis [52].
Quisque gradu manet, occurrentem examinat hostem,
Et quo quemque modo feriat. Volat ecce Secutor
Et gladio et parma et cristata casside fulgens.
Retia fert alter dextra, saevumque tridentem,
Consertis satagens squamis prensare fugacem.
Si voti fieret compos, stat fuscina praesto,
Ut capite implicito trasverberet ilia ferro.
Parte alia cum Thrace ruit Mirmillo: nitentem
Ille manu sicam gestat, parmamque tremendam.
Tradidit huic vestes et morem Gallia: scuto
Armatus gladioque ibat, galeaeque comantis
Summum apicem picti exornabat piscis imago.
Mox rete instructus media progressus arena
Mirmillona [53] petit, cantuque in praelia poscit.
Non te, Galle, peto: piscem peto: siste parumper:
Quid me, Galle, fugis? spatiosa per aequora campi
Hic praeit, ille subit: fugientem hic pone fatigat.
Interea ferro pugnantum, et marte cadentum
Omnia plena: fragor crepitantibus intonat armis,

Sparsaque per medias resplendent fragmina mensas.
Nox intempesta Romam occultaverat umbra.
At dum, stellarum tremulo sub lumine, stagni
Aequora tuta silent, interlucentque comanti
Vertice odoriferae lauri, platanique virentes,
Convivae exiliunt: multo licet uda lyaeo
Tempora contextae verno de flore coronae
Velarint, subitus capiti furor incidit icto,
Miscentesque jocos luco erravere silenti
Effraenes, quocumque trahit vitiosa libido.
Qua curvos dedit anfractus accommoda furtis
Villula, muscosi composta crepidine saxi
Lustra patent obscoena. Rubens dum luna nitorem
Virgineum obnubit refugitque indigna tueri,
Omne nefas movet abjecto lymphata pudore
Horrida turba: praeit cunctis, cunctosque proterva
Laetitia exultans superat Nero [54]: turpia nulla
Deserit. Abnuerim chartas temerare pudicas
Sordibus impuris, quando exorientia caelo
Lumina virgineum nostris suasere pudorem
Carminibus sanctaeque juvat reverentia famae.
Magnis nulla malis porro medicina fuisset,
(Tantum primigenae poterant contagia culpae!)
Nî Petrus allatum caelo mortalibus aegris
Monstrasset verum, et toto vulgasset in orbe.
Quis credat? Nero conjugii nova foedera quaerit:
Pythagoram [55] (tali impubes stat nomine quidam
E grege foedato corruptior) omine magno
Accipit uxorem. Assistunt solemnibus horis
Patres expleti dapibus, vinoque sepulti.
Ipse autem in medio dextra sustentat odoram

Lampada, flammeolumque gerit: prope faustus aruspex
Et dos, conjugiique thorus, et stragula vestis.
Excitat interea sponsos symphonia suavis,
Atque inconcessos homini tenus hac hymenaeos
Histrio lascivae Paris acceptissimus aulae
Concinit, et Romam insueta ad spectacula pellit.
Ille diu Veneris magnos cantavit amores
Martisque; ut lucem referens crinitus Apollo
Cuncta observârat secretae conscia fiammae
Consilia: ipse dolos cernit lascivaque furta
Tardipes ignipotens, et inobservabile rete
Intexit, quo terra, omnis quo risit olympus.
Ipse Nero et comites vati risere canenti.
Qui totam cernens cantu exultare coronam,
Impulit aonias graviori pollice chordas,
Raptavitque furens cunctos in crimina divos.
Huc ades, o Hymenaee, novis assiste triumphis.
Virginibus circum tyriis comitata solebat
Littore Sidonio versari ab Agenore nata.
Quid non cogit amor? Rector divûmque hominumque
Exarsit: quoniam via nulla patebat amori,
Induitur faciem tauri mugitque juvencos
Inter lascivos viridemque perambulat ulvam.
Formosum Phoenissa bovem stupefacta tuetur,
Accessitque jocans: dextra nunc pectora mulcet,
Cornua nunc sertis redimit; procumbit in herbam
Adsimulans vitulus, blanditurque ore puellae.
Insilit illa humero imprudens: mora nulla: juvencus
Leniter exurgens sicco de littore cessit,
Et subito medias saltu se jecit in undas,
Dictaea arva petens. Nequicquam exterrita flebat

Sidonis; ingenti resonant stridore marini
Nequicquam scopuli; gradientibus alta patescunt
Aequora; cum tandem excepit minoia tellus [56],
Sensim deposita fallacis imagine tauri,
Attonitae Nymphae patuit Deus, ipse deorum
Rector, et exiluit parto securus amore.
Huc ades, o Hymenaee, novis assiste triumphis.
Non ego Tyndaridam linquo, quae credula falsam
In gremio tutatur avem; se Jupiter ipse
Verterat in cycnum: stupefacta Laconia vidit
Divino geminos pueros erumpere ab ovo [57].
Nec te quam Acrisius prudens, formosa puella,
Horrida praemetuens fati portenta futuri
Aerata turre inclusit: stant ferrea portae
Limina nequicquam: ardenti Saturnius igne
Percitus aurifero descendit ab aethere nimbo;
Invito parit ipsa patre, et danaeïus heros
Gorgonis anguicomae victor Jove natus ab auro [58].
Huc ades, o Hymenaee: novis assiste triumphis.
Regalis puer iliaca florebat in aula
Insignis facie, et praeclarae flore juventae.
Ex quo de caelo junonia cesserat Hebe [59],
Quae prius ornabat mensam, dapibusque Deorum
Una ministrabat, caelo formosior una
Diva juventutis praeses, atque Herculis uxor,
Fulminis aetherei custos, et magna potentum
Alituum Regina ruit, puerumque recurvis
Unguibus arripiens superam transducit ad aulam.
Juno indignatur juvenis caelestis honores.
Huc ades, o Hymenaee, novis assiste triumphis.
Seque videns, taedasque Jovem infamare jugales,

Quid faceret Juno? ultrices Saturnia jure
Concepit furias: aderat tritonia Pallas
Dedecus indignata patris, Rex aequoris alti
Ardescens aderat; manibus per mutua nexis
Pene lacertifero superent certamine numen,
Nî centumgeminus Briarevs [60] avertat iniquum
Crimen, et extemplo solvat retinacula nexo.
Jupiter evicit: Rex Jupiter omnibus aeque.
Huc ades, o Hymenaee, novis assiste triumphis.
Juno Jovis soror et conjux. Cortynia tellus
Uno eodemque tulit partu, fraterque sororem
Connubio duxit, legesque exolvit iniquas.
Ecquidnam quereris toties, Saturnia Juno,
Foedera connubii ardentem violasse maritum?
Jupiter armatam genuit sine matre Minervam [61]:
Ipsa etiam Martem gignis sine Patre cruentum,
Flore super tacto: vobis aequalia jura,
Et terris caeloque trahit sua quemque voluptas.
Inclyte Rex superum, te nos imitabimur unum.
Das prior exemplum memorabile; sancte Deorûm
Te sequimur, vitae retegentem arcana beatae.
Cetera quid memorem cantu? velate, tenebrae,
Flagitium infandum, caecisque abscondite in umbris.
Qua patet in longum venerabilis aula superbis
Porticibus, latere amotus stetit angulus, horrens
Cancellis circum, et solidi munimine muri.
Aulae carcer erat: per subterranea lustra
Ingentes strepitus et murmura saeva minarum
Audis assidue; spissas caliginis umbras
Angusta hac illac perrumpit rara fenestra,
Quam pariter duplici ferro lorica tuetur.

Vitam infelicem ferrato in carcere plorant,
Siqui (seu fictum, seu verum crimen) iniqua
Ambitione acti imperium turbasse feruntur.
Vix primum fuerat turma deprênsus agresti,
Haec data Tarsensi sedes, qua fluminis unda
Limosi, et duri jam mucida fragmina panis
Sustentant miserum. Dura est praesentia rerum,
Et pejora timet cunctas gravioraque in horas.
At Deus omnipotens propiori numine sanctos
Custodit: crebro tentans per acuta potentem
Virtutem, ut manuum poscunt opera alta suarum,
Lustratas animas caelestibus adparat oris.
Praecipue tamen ingentis molimine saecli,
Quo primum emicuit caecis Ecclesia terris.
Ceu studiosa parens circum incunabula nati
Anxia versatur, dulcique inspectat amore
Purpurei vultus charites, roseumque labellum;
Haud secus Omnipotens sobolem crescentis ovilis
Omni virtutum cernit splendescere flore,
Et secum exultat. Persaepe immurmurat Eurus
Turbidus ante fores, sed celsis nixa columnis
Fulcra domus turbare nequit, furiaeque recumbunt,
Atque minae, tutaeque redit lux aurea pacis.
Et Paulo, unde minus sperat, via prima salutis
Panditur. Heroem nôrat Poppaea, priore
Judicio, plena cum causam oravit in aula.
Ingens eloquium et maiestas inclyta vultus
Matronam tetigere: neque illam causa latebat
Exitii; laetoque animo conspexerat aula
Effugisse Eunen, seque in loca tuta recepse.
Nocturna horrescens meditantem furta maritum,

Ut Tigellini primum crimenque dolosque
Audiit, et Paulum tenebris et carcere caeco
Captivum novit, fauces demisit in altas
Fidum servorum, superasque eduxit ad aedes,
Qua data liberior captis custodia. Amicos,
Siqui conveniunt, propius licet ore tueri,
Inque vicem notas audire et reddere voces.
Ille autem, ut limen trepidae irremeabile portae
Expes deseruit, campoque potitur aperto,
Non sua sed Christi quaerens diffundere regna [62],
Sanctis incubuit curis; dum vincula palmas
Impediunt, ferri stridor tractaeque catenae
Horribili excutiunt circum loca cuncta tumultu,
Urget opus suetum; ferrata per atria capti
Agglomerant sese lateri: stipata caterva
Edidicit Christum, pendetque loquentis ab ore.
Tum vero patuere Dei praecepta. *Beati* [63]
Qui lugent. Glacie ceu lylia tacta rigenti
Demisere caput, primo si luxit in ortu
Delius et radii tepefecit luce benigni,
Virgineam caelo frontem relevare videntur
Altius; haud aliter diae solamine vocis
Afflictos moerore gravi spes sublevat, ingens
Mansuescit dolor, et per dulcia balsama languet.
Carcer fit templum, quo noxia turba peractam
Despiciens vitam sanctis se devovet aris.
 Vivere liberius dum fas, absente Nerone,
Illos forte dies latebrosa silentia liquit
Annaeus, Burrumque volens visebat amicum,
Qui moerens quamvis, saeva degebat in aula.
Magnanimi proceres Dominam infelicibus horis

Conveniunt, casumque gemunt et tempora rerum,
Aulamque atque urbem. Verba inter singula lugens
Poppaea infausto se dixit sidere natam
Saepius: et vidui aerumnam squaloris acerbam
Atque ignominiam flevit: mox rorida tersit
Lumina, praesentesque pio sic ore rogavit:
Si quicquam, proceres, vestra pietate meremur,
Hoc pietatis opus nostris concedite votis.
Ecce iterum Paulus latebroso clauditur antro.
Ipsa virum vidi, et fateor, me maxima virtus
Perculit insontis. Misero succurrere suadet
Nescio quae pietas: utinam succurrere cunctis
Haud ignara mali possem! Roma omnia novit,
Respondit Seneca: atque utinam tibi tanta potestas,
Ut par aequaret cordis dictata benigni!
Infelix solium! tunc magno saucia luctu
Poppaea exclamat: vacuum vix unus et alter
Improbus accepere, bonos [64] per iniqua potenti
Dejecere gradu cunctos: se seque vicissim
Sustentant scelere immani, illaqueantque Neronem
Fraudibus innumeris. Urbana opprobria cerno
Omnia, sed taceo. Fanti mihi certa pericla,
Et nulla utilitas. Adeo fallacibus ambit
Insidiis Tigellinus, quaecumque timere
Ipsa ego debuerim. Nostra procul estis ab aula,
Vos, Burre, et Seneca: tuto vos vivere rure
Hinc doleo, incertis desunt tutamina rebus;
Hinc laudo: nam vestra diu suspecta Neroni
Est virtus. Sinite ah! vestra infortunia, nostri
Totius imperii dicam infortunia: vestrum
Defit consilium, maiorque potentia foedi

Artificis scelerum crevit, ruimusque ruina
Maiori semper. Bene parta silentia vobis
Invideo, proceres. Terrentur imagine dira
Attoniti comites, et quamvis horrida verba
Ardentes feriere animas, immota tenentes
Lumina, flammato obnixi sub pectore curam
Pressere: audacter servata silentia rumpit
Burrus, et affatur Dominam: Tua dicta sequemur
Ocyus, aeratas capto laxare catenas
Quando ita vis, jubeo, et dictis solemur amicis
Ipsi praesentes. Tantum, Poppaea, caveto,
Ne tibi, ne nobis noceat clementia: plura
Quam nobis, mulier, tibi nota et forte timenda.
   Talibus auditis, penetralia dira relinquunt.
Tarsensem Annaeus nôrat, stupuitque potentem
Persaepe eloquio, magnoque illectus amore est.
Ut vero captum agnovit vinclisque ligatum,
Compellare virum miro flagrabat amore.
Nec Burrus comitem officio abnegat. Ergo recedunt
Romani proceres, variumque in mutua jungunt
Sermonem. In primis Burrus laniatus amara
Tristitie, tales rupit de pectore questus:
Audistin'? sceleri scelus additur: ecce vocatur
Innocuus Nero: criminibus caput omnibus una
Turba jacet comitum. Comites quis deligit, omni
Nequitie infectos foeda ad praetoria ducens?
Ipse Nero: auctores factis subduntur iniquis
Hic atque ille. Comes Burro sic farier infit
Annaeus: Miseram caeco linquamus amore
Insanire: viro ipsa suo muliebriter haeret,
Praemetuitque suis ne quicquam abducat ab ulnis.

Mollia non animo Burrus fert dicta quieto:
An nobis, Annaee, ipsis dare verba putemus?
Nondum ter senos natus compleverat annos,
Et charta oblata suadebam immane fatentem
Crimen quamprimum merita compescere morte;
Isque stylum invitus rapiens, multumque moratus,
Quam vellem nescire manu subscribere, dixit [65].
O vocem egregiam, terras quam fama per omnes
Detulit imperii! Quid mirum, si excita Roma
Afflictis ausit melius confidere rebus?
Ast Domitî patris obstabant praesagia laeva,
Qui, nato puero, gratantes inter amicos
Ex ipso atque Agrippina potuisse negavit
Quicquam aliud Romae nisi detestabile nasci [66].
Heu! quae saltator, quae tonsor semina prava
Indiderant, fructus maturo tempore reddunt.
Caesareae stirpis feritas agit improba: Caji
Ille vetus daemon, Tiberìque insana lacessit
Saevities. Qualis gaetulis nata cavernis
Tigris, ubi humano sitientia proluit ora
Sanguine, tum demum generi vis insita sese
Explicat, exultatque sitim saturare ferinam.
En delatores (dirum modo cesserat agmen)
Exilio redeunt, plena versantur in urbe,
In conspectu hominum. Stat pro ratione voluntas [67]
Caesaris, inque malis gaudet vitiata libido.
Quis rabiem ferat? hic ferro se interficit: illum
Occupat infamis lictor, venamque relaxat
Lancea: lethifero huic languescit vita veneno.
En mitis Tiberî effigies: quo junior, atque
Cultior, antiquo monstrum crudelius illo,

Prodigus atque voluptatum sectator, et amens
Vates, cantator, citharoedus, et histrio. Talis
Obscoena Claudî juvenis concrevit in aula,
Maternas inter sordes, aulaeque tot inter
Turpis adulteria. Hic fata infelicia jactas
Poppaeae? an Romam felicem principe dicam?
At non antiquae species pulcherrima Romae
Excidit ex animo: Annaeus sic farier orsus:
Nec spes destituet: celebrata volumina vivunt,
Queis princeps orbis populus describitur, atque
Extimulat seros patria virtute nepotes.
Vanuit ex oculis Respublica prisca: manetque
Gloria non peritura diu, exoriturque cupido
Mirari Romam, celebrataque tempora rerum [68].
Talia miscentes ibant, seseque vicissim
Consolabantur surgentis imagine Romae.
Quae spes magna viris? quae rebus causa novandis?
Tempestate illa septenis montibus ingens
Constiterat nubes, glomerataque turbine nigro
Jamdudum, conturbatam deerrabat ad aulam.
Romula nec ratio speculandi accommoda nisu
Ipsamet ingenito [69] perquirere acumine novit
Naturam rerum: Grajorum obscura reperta
Serius occultoque fores irrumpere clausas
Tentavere, rudesque animas, et rebus agendis
Natas una pati, atque audere ingentia facta
Porticus [70] erudiit. Quaerens, ratione ministra,
Quae vitae humanae species, extremaque meta,
Ipsa fibris impressum imis divinitus omne
Extudit officium; vitae normam ipsa regundae,
Romani unde illa exiluit sapientia juris,

Scribens privatos in publica commoda traxit,
Et demum unius vitae mortalis amorem
Praelata monstrans patria, virtutis honestae
Semina certatim effigie collegit in una.
Parte alia quamvis musaeo sparsa lepore
Pocula, Lucretius 71 malefausta venena parabat.
Namque animae has monstrans leges concessaque fata,
Ut privata dolore omni, privata periclis
Hoc mortale aevum summa cum pace fruatur,
Romulidae, res turbari vix publica coepit,
Civiles omnes fluctus, scopulosque tumentes
Effugere optarunt, seque in pacata referre
Otia. Sic nocuit patriae, et superante ruina
Defuit auxilium: et quando refluentibus undis
Bellorum alternisque iris Respublica cessit,
Pessima praeclarum ingenium doctrina Quiritum
Extinxit penitus, seque in secreta remôrant,
Maluerantque frui segnes, tutique silebant.
Stoica tum demum ratio, subitoque calescens
Suppositis flammis romanus spiritus; aulae
Tum variae sordes, nulloque coërcita fraeno
Flagitia; inde vetus Zenoni innixa severo
Roma, Epicureis hinc luxuriata ministris,
Tentabat vulnus macie moritura supremum.

NOTÆ

[1] *Servire mereris.* — Quod de Roma verissime adfirmari potest: cum Neroniana tyrannis in omne nefas erupit, viri boni clarique exilio affecti, delatores praemio allecti, ipsi servi in dominorum capita subornati: quae omnia uno velut ictu Rempublicam exhausere. Quod de Domitiano ille ait, jam de Neroniana dominatione erat fatendum. Tac. Agri. 3. Dedimus profecto grande patientiae documentum, et sicut vetus aetas vidit, quid ultimum in libertate esset, ita nos quid in servitute, adempto per inquisitiones et loquendi audiendique commercio. Eo certe tempore, idem Tac. Hist. IV, 2: Civitas pavida et servitio parata. Eoque magis, quod eodem teste, Hist. I, 5. Ita quatuordecim annis a Nerone assuefactos, ut haud minus vitia principum amarent, quam olim virtutes verebantur.

[2] *Cassî.* — Hic est C. Cassius, Syriae quondam praeses, qui teste Tac. ceteros praemiuebat peritia legum, et in administratione provinciae revocabat priscum morem. De eo idem Tac. XII, 7. Objectavit Cassio, quod inter imagines majorum etiam C. Cassii effigiem coluisset ita inscriptam: *Duci partium.* Quippe semina belli civilis, et defectionem a domo Caesarum quaesitam. Ac ne memoria tantum infensi nominis ad discordias uteretur, adsumpsisse L. Silanum juvenem genere nobilem, animo praeruptum, quem novis rebus ostentaret.

[3] *Matresque ipsae.* — Tac. XI, 48. Ineunt consulatum Silius Nerva, et Atticus Vestinus, coepta simul et aucta conjuratione, in quam certatim nomina dederant, senatores, eques, miles, feminae etiam, cum odio Neronis, tum favore in C. Pisonem.

[4] *Classem.* — De Epicharide Tac. ib. 51. Cunctantibus, prolatantibusque spem ac metum, Epicharis quaedam, incertum quonam modo sciscitata accendere, et arguere conjuratos: ac postremo lentitudinis eorum pertaesa, et in Campania agens, primores classiariorum Misenensium labefacere, et conscientia illigare connixa est tali initio.

[5] *Fama.* — Tac. IV, 11. Atrocior semper fama erga dominantium exitus. Et Hist. III, 54. Prohibiti per civitatem sermones eoque plures: ac si liceret, vera narraturi, quia vetabantur, atrociora vulgaverant.

[6] *Aristogitona.* — Prae oculis ab Valerio Max. narrata habuimus, lib. II, in fine: Harmodii, et Aristogitonis qui Athenas tyrannide liberare conati sunt, effigies aeneas Xerxes ea urbe devicta in regnum suum transtulit: longo deinde interjecto tempore, Zaleucus in pristinam sedem deportandas curavit. Rhodii quoque eas urbi suae appulsas, cum in hospitium publice invitassent, sacris etiam pulvinaribus collocaverunt. Nihil hac memoria felicius, quae tantum venerationis in tam parvulo aere possedit.

[7] *Bulla.* — Pueri *praetextam* gerebant, usque ad annum XV, et *bullam auream* (lentis aut disci instar in cordis figuram). Ubi ejusmodi pue-

rilia ornamenta deposuerat juvenis, tum primum in forum, mox in Capitolium ab amicis deducebatur, sumpta virili toga, quae etiam dicta *libera*. Tunc Bulla laribus donabatur. Pers. V.

Cum primum pavido custos mihi purpura cessit,
Bullaque succinctis Laribus donata pependit.

Et magna illa celebritas *officium togae virilis* dicebatur. Plin. I, Epist. 9. Si quem interrogas: hodie quid egisti? respondeat: *Officio togae virilis interfui.*

[8] *Recta coena.* — His qui salutatum assectatumque optimates ibant, cibi identidem in ipso domus limine impertiebantur: quos *sportulae* nomine appellari placuit in sportulis exhiberi solitos. Sed saepenumero et elegantioribus *coena recta*, idest justa et legitima dabatur: quod Mart. VIII, 49.

Promissa est nobis sportula, recta data est.

[9] *Vendunt.* — *Emptio sub corona* captivos spectavit, qui coronati vendi solebant. Sed et *mangones* erant, scilicet hominum venditores, qui fuco falsum colorem inducebant mancipiis, ut ea carius venderent. Quod vero noxiorum servorum vultui notas inurere candenti ferro solemne fuerit, satis indicat, quod ignominiae causa *inscripti* appellari consueverint; et Plin. XVIII, 2. de arvis loquens, quae contra veterum consuetudinem in servorum curam tradita fuerunt: Nunc eadem illa vincti pedes, damnatae manus, inscripti vultus exercent. — *Asciscit cives.* Prae ceteris Claudianus.

Haec est in gremium victos quae sola recepit
Humanumque genus communi nomine fovit,
Matris non dominae ritu, civesque vocavit
Quos domuit, nexuque pio longinqua revinxit.

[10] *Romae.* — Praefectus annonae, qui a Reip. tempore ortum duxit, Imperatorum aevo magistratus ordinarius fuit, ejusque praecipua cura fuit *Frumentatio*, in eo posita, ut frumentum populo gratuito praeberetur. Ex illius auctoritate, singulis mensibus tesserae frumentariae viritim distribuebantur, quique eas habuerant, aliquo e publicis horreis adito, illas exhibebant, inscriptumque frumenti numerum a mensoribus accipiebant. Ad trecenta et novem horrea P. Victor recenset. Ad hanc populi Romani frumentationem Augustus, Tac. II, 59: Vetitis, nisi permissu, ingredi Senatoribus, aut equitibus romanis illustribus, seposuit Aegyptum, ne fame urgeret Italiam quisquis eam provinciam, claustraque terrae et maris, quamvis levi praesidio adversum ingentes exercitus insedisset. Hinc Vespasianus Hist. III, 8. Adjiciebat imperio consilium, quando Aegyptus, claustra annonae, vectigalia opulentissimarum provinciarum obtinerentur, posse Vitellii exercitum egestate stipendii frumentique ad deditionem subjici.

[11] *Irrumpit in urbes.* — Hinc illa Germanicae vitae laus apud Tac. de mor. Germ. 19: Nemo illic vitia ridet: nec corrumpere et corrumpi saeculum vocatur. Hinc XI, 53. Volitabantque per domos, per fora, rura quoque et

proxima municipiorum, peditesque permixti Germanis, quibus fidebat princeps, quasi externis.

[12] *Circi.* — Plin. XXXIII, 27. Visumque jam est Neronis principis spectaculis arenam Circi chrysocolla sterni, quum ipse concolori panno aurigaturus esset. Svet. Nero 45. Forte accidit, ut in publica fame Alexandrina navis nunciaretur, pulverem luctatoribus aulicis advexisse. Quare omnium in se odio incitato nihil contumeliarum defuit, quin subiret.

[13] *Afforet unum.* — Svet. Calig. 30. Utinam populus Romanus unam cervicem haberet. Et Ner. 37: Elatus inflatusque tantis velut successibus negavit quemquam principum scisse, quid sibi liceret. Multasque nec dubias significationes saepe jecit, ne reliquis quidem se passurum senatoribus, cumque ordinem sublaturum quandoque e republica, ac provincias et exercitus equiti romano et libertis permissurum.

[14] *Panem, et circenses.* — Juv. sat. 10, v. 80.

Duas res anxius optat (Pop. R.)
Panem et Circenses.

Tac. Hist. III, 54. Annonae curam sustinet princeps; haec missa funditus rempublicam trahet.

[15] *Regis.* — Romani ad aurei saeculi memoriam, quo Saturnus regnavit, quotannis XIV Kal. Jan. Saturnalia celebrabant, quibus erat servis rerum omnium data licentia et par cum Domino potestas.

[16] *Colossus.*—Plin. XXXIV, 18. Is (Zenodorus) postquam satis ibi artem approbaverat, Romam adscitus est a Nerone, ubi destinatum illius principis simulacrum colossum fecit, CX pedum longitudine, qui dicatus Soli venerationi est, damnatis sceleribus illius principis. Mirabamur in officina non modo ex argilla similitudinem insignem, verum et ex parvis admodum surculis quod primum operis instar fuit.—*Humanique facem generis.* Plin. VII, 6. de Agrippa locutus, infelicem vocat terris stirpe omni, sed per utrasque Agrippinas maxime, quae Cajum et Domitium Neronem principes genuere, *totidem faces generis humani.* Et hostem humani generis vocat VII, 6: Neronem quoque paulo ante principem, et toto principatu suo hostem generis humani.

[17] *Praetoria.*—De Sejano lib. IV, Tac. 11: Vim praefecturae modicam antea intendit, dispersas per urbem cohortes una in castra conducendo, ut simul imperia acciperent, numeroque et robore et visu inter se fiducia ipsis, in ceteros metus crederetur. Id testatur et Svet. Tib. 37. Romae castra constituit, quibus praetorianas cohortes vagae ante id tempus, et per hospitia dispersae continerentur. Quae castra inter portas Viminalem et Tiburtinam fuerunt. Vide Onophrium de urbe Romae.

[18] *Agrippa.* — Svet. de Augusto, Oct. 29. Publica opera plurima extruxit: ... Sed et ceteros principes viros saepe hortatus est, ut pro facultate quisque monumentis vel novis vel refectis et excultis urbem adornarent . . . M.

vero Agrippa complura et egregia. De Augusto Svet. Oct. 29. Urbem neque pro majestate imperii ornatam, et inundationibus, incendiisque obnoxiam, excoluit adeo, ut jure sit gloriatus, marmoream se relinquere, quam lateritiam accepisset.

[19] *Caelo.* — Prud. contra Symm. II, 358.

Spoliis sibimet nova numina fecit.

Et Minuc. Feli. in Oct. Sic dum universarum gentium sacra suscipiunt, regna etiam meruerunt.

[20] *Feretrì.* — Prop. IV, 8.

Nunc spolia in templo tria condita: causa Feretrì,
Omine quod certo dux ferit ensem ducem;
Seu quia victa suis humeris haec arma ferebant:
Hinc Feretrì dicta est ara superba Jovis.

[21] *Latia tellure creatis.* — Indigetes vocabantur sive quia ex hominibus relati in Deos forent, sive quod inter Deos dicati consecratique essent, sive ab *indigetando*, quod ejusmodi ex humano genere ortos Deos aeque ac alios *indigetare* (idest invocare) fas esset: Virg. Georg. I, 498.

Dii patrii, Indigetes, et Romule Vestaque mater.

[22] *Angelus.* — Ariosto.

Michel più che mortale Angiol divino.

[23] *Virgineo.* — De aqua Virgine deque hujus nominis origine Front. de aquaeductibus, X, haec habet de Agrippa tertium consule: Virginem quoque in agro Lucullano collectam Romam perduxit. Virgo appellata est, quod quaerentibus aquam militibus, puella virguncula venas quasdam monstravit, quas secuti qui foderant, ingentem aquae modum invenerunt. Ædicula fonti apposita hanc originem pictam ostendit. Et Plin. XXXI, 25; Agrippae attribuit aquam Marciam restitutam. Et de eodem: Et virginem adduxit ab octavi lapidis diverticulo duobus millibus pass. Praenestina via.

[24] *Avitis.*—Svet. Nero, 30. Menecratem citharoedum, et Spiculum Mirmillonem triumphalium virorum patrimoniis aedibusque donavit.

[25] *Senecio.* — Quinam hi fuerint, Tac. IX, 12. paucis describit, de delapso Nerone in amorem libertae cui vocabulum Acte fuit, simul adsumptis in conscientiam Othone, et Claudio Senecione adolescentulis decoris, quorum Otho familia consulari, Senecio, liberto Caesaris patre genitus, ignara matre, dein frustra obnitente, penitus irrepserat per luxum et ambigua secreta. De eodem IX, 46. Dejicitur familiaritate sueta, post congressu et comitatu Otho: et ad extremum, ne in urbe aemulatus ageret, provinciae Lusitanae praeficitur, ubi usque ad civilia arma, non ex priore infamia, sed integre sancteque egit, procax otii et potestatis temperatior. — *Milvius.* Tac. IX, 47. Pons Milvius eo tempore celebris nocturnis illecebris erat, ventitabatque illuc Nero, quo solutius extra urbem lasciviret. — Et Svet. Nero 26. —Post crepusculum statim arrepto pileo, vel galero popinas inibat, cir-

cumque vicos vagabatur ludibundus, nec sine pernicie tamen. Siquidem redeuntes a coena verberare, ac repugnantes vulnerare, cloacisque demergere assuêrat, tabernas etiam effringere, et expilare. — *Paris.* Histrio libertus, ut a Tac. vocatur IX, 20. et 22. Validiore apud libidines principis Paride. — *Vatinius.* XI, 34. *Vatinius* inter foedissima ejus aulae ostenta fuit, sutrinae tabernae alumnus, corpore detorto facetiisque scurrilibus primo in contumelias assumptus, deinde optimi cujusque criminatione eo usque valuit, ut gratia, pecunia, vi nocendi, etiam malos praemineret. — *Quintanus.* Apud Tac. est Quintianus, qui detecta conjuratione et promissa impunitate corruptus : de eo et Senecione Tac. XI, 57. Quintianus Glicium Gallum, Senecio Annium Pollionem amicorum praecipuos nominavere. — *Sporus.* Svet. Ner. 28. Nunc Sporum Augustarum ornamentis excultum, lecticaque vectum et circa conventus, mercatusque Graeciae, ac mox Romae circa Sigillaria comitatus est. De *Petronio* et *Pythagora* alibi.

[26] *Argento.* —Svet. Ner. 30. Soleis mularum argenteis, canusinatis mulionibus, armillata et phalerata cum Mazacum turba et cursorum.—Et Plin. XXXIX, 49. At nos carrucas ex argento caelare invenimus, nostraque aetate Poppaea conjux Neronis principis delicatioribus jumentis suis soleas ex auro quoque induere.

[27] *Et speciem capsi.* — Currus triumphales non unquam Romanis alii fuerunt quam quadrigae. At in his quadrigis fuit singulari forma capsus, tanquam turricula rotunda et circumclusa. In eo imperator stans regebat equos.

[28] *Zeta.* — Idem est ac *diaeta,* quae ea fuit domorum pars, majoribus cubiculis annexa, ut veluti seorsim posita atque itu redituque libera remotum aliquem daret receptum, qualia nos Itali *gabinetto, alcovo, ritiro.* Plin. II, ep. 17. diaeta perquam eleganter recedit; quae specularibus et velis obductis reductisque modo adjicitur cubiculo, modo aufertur.

[29] *Maculoso e corpore pellit.* — Svet. Ner. 71. Corpore fuit maculoso et foetido, sufflavo capillo; vultu pulchro magis, quam venusto, oculis caesiis et hebetioribus, cervice obesa, ventre projecto, gracillimis cruribus. — *Synthesin.* Svet. Ner. 51. — Ac plerumque synthesinam indutus, ligato circum collum sudario, prodierit in publicum sine cinctu et discalceatus.

[30] *Cinaedum.* — Svet. Ner. 51. Circa cultum habitumque adeo pudendus, ut comam semper in gradus formatam, peregrinatione Achaica, etiam pone verticem summiserit.

[31] *Puellus.* — Ipsamet Poppaeae verba. Tac. XI, 50. Aliquando per facetias incusare principem, et pupillum vocare, qui jussis alienis obnoxius, non modo imperii sed libertatis etiam indigeret. Caeterum haec neroniana vivendi ratio corruptissimis quibusque imperatoribus celebrata fuit. Pro omnibus illud Tac. Hist. II, 71. de Vitellio: Quantoque magis propin-

quabat, tanto corruptius iter, immixtis histrionibus et spadonum gregibus, et cetera neronianae aulae ingenio. Namque et Neronem ipsum Vitellius admiratione celebrabat, sectari cantantem solitus, non necessitate, qua honestissimus quisque, sed luxu, et saginae mancipatus emptusque.

[32] *Tibicinis artem* —Eucerus, Octaviae libertus Tac. X, 60. Destinaturque reus cognomento Eucerus, natione Alexandrinus, canere tibiis doctus, de quo Poppaea, 61. An, quia veram progeniem penatibus Caesarum datura sit, malle populum Romanum tibicinis aegyptii sobolem imperatorio fastigio induci?

[33] *Eruet.* — Revocata paullisper conjuge Octavia, ingens Romae laetitia popularis. Tac. X, 61. Exin laeti Capitolium scandunt, deosque tandem venerantur. Effigies Poppaeae proruunt: Octaviae imagines gestant humeris, spargunt floribus, foroque ac templis statuunt.

[34] *Acten.* — Tac. X, 12. Delapso Nerone in amorem libertae, cui vocabulum *Acte* fuit . . . Sed Agrippinam libertam aemulam, nurum ancillam aliaque eumdem in modum muliebriter fremere.

[35] *Laeta creandis.* —Tac. XII, 1. Cur enim differri nuptias suas? formam scilicet displicere et triumphales avos? an foecunditatem et verum animum? . . . Quod si nurum Agrippina nonnisi filio infestam ferre posset, reddatur ipsa Othonis conjugio: ituram quoquo terrarum, ubi audiret potius contumelias imperatoris, quam viseret, periculis ejus immixta.

[36] *Bovillas.* — Tac. XI, 23. Locus puerperio colonia Antium fuit, ubi ipse generatus erat. Jam senatus uterum Poppaeae commendaverat diis, votaque publice susceperat. Quae multiplicata exolutaque. Et additae supplicationes, templumque Fecunditati, et certamen ad exemplar atticae religionis decretum; utque Fortunarum effigies aureae solio Capitolini Jovis locarentur: ludicrum circense, ut Juliae genti apud Bovillas, ita Claudiae Domitiaeque ederetur.

[37] *Monstrosaque cuncta.* — Satis est illud Taciti XI, 42. Magistris et machinatoribus Severo et Celere, quibus ingenium et audacia erat, etiam quae natura denegavisset, per artem tentare, et viribus principis illudere. Verum paulo post de Nerone ipso subjicit: Nero tamen ut erat incredibilium cupitor, effodere proxima Averno juga connixus est, manentque vestigia irritae spei. Hor. II, ep. 1. suo ab usque tempore dramaticam poësin a suo ingenio excidisse notat, nec in scena aliud nisi spectacula desiderari.

Media inter carmina poscunt
Aut ursum aut pugiles. His nam plebecula gaudet.
Verum equiti quoque jam migravit ab aure voluptas
Omnis ad incertas aures et gaudia vana.
Quatuor aut plures aulaea premuntur in horas.

[38] *Famam.* — Haec omnia uti Tacitus descripsit, referimus. Tac. XI, 37. Igitur in stagno Agrippae fabricatus est ratem cui superpositum convi-

vium aliarum tractu navium moveretur: naves auro et ebore distinctae, remigesque exoleti. Volucres et feras diversis e terris et animalia maris Oceano abusque petiverat. Et postquam tenebrae incedebant, quantum juxta nemoris, et circumjecta tecta, consonare cantu, et luminibus clarescere.

[39] *Una voluptas.* — Lege sis Hor. II, Sat. 4. Ubi a Catio quodam Epicureo Philosopho accipit lepida quaedam praecepta de ferculis, et re culinaria

qualia vincant
Pythagoram, Anytique reum doctumque Platona.

[40] *Venerabilis auctor.* — Tacitus politicae historiae facile pater. Qui opus illud mirabile Romanae Reipublicae ad interitum ruere contemplatur, et identidem consistit, ut virtuti, si quae praeteritorum temporum recordationem refert, singulare solvat elogium. Utque a Neronianis temporibus non discedamus praecipue XII, 16. At nunc patientia servilis, tantumque sanguinem domi perditum fatigant animum, et moestitia restringunt. Neque aliam defensionem ab iis quibus ista noscentur, exegerim, quam ne oderim tam segniter pereuntes. Ira illa numinum in res Romanas fuit, quam non ut in cladibus exercituum, aut captivitate urbium, semel editam transire liceat. Detur hoc illustrium virorum posteritati, ut quando exequiis a promiscua sepultura separantur, ita in traditione supremorum accipiant, habeantque propriam memoriam. Quanta vero indignatione ad Thraseae mortem accedit? Ib. 20. Trucidatis tot insignibus viris ad postremum Nero virtutem ipsam excindere concupivit, interfecto Thrasea Poeto, et Barea Sorano. Quae verba, quantaque caritate patriae referta inducit Thraseam loquentem in ipso mortis limine? 35. Specta, juvenis, et omen quidem dii prohibeant; ceterum in eo tempore natus es, quibus firmare animum expediat constantibus exemplis. Verum, si hujus publicae virtutis documenta missa faciamus, Tacitique opiniones de diis, deque mundi gubernatione inspicimus, eum, ut ceteros ejusdem aetatis doctissimos viros assidua dubitatione fluctuantem videmus. Sufficiant VI, 22. Sed mihi haec et talia audienti in incerto judicium est, fatone res mortalium et necessitate immutabili, an sorte volvantur, quippe multis insitam opinionem reperies non initia nostri, non finem, non denique homines diis curae: ideo creberrima et tristia in bonos, laeta apud deteriores esse. Nonne eadem cogitabat Tiberius? qui Svet. teste in Tib. 69: Circa religiones negligentior, quippe addictus mathematicae, persuasionisque plenus cuncta fato agi. De animae immortalitate etiam Tacitus dubitabat: in quam opinionem nos inducit illa Judaeorum admiratio: Hist. V, 5. Animas aeternas putant; hinc generandi amor, et moriendi contemptus. Quamvis naturali quodam impetu anima ipsa sua jura vindicare videtur in fine Agri. ubi quamvis dubitanter idem Hist. 46. Si quis piorum manibus locus; si, ut sapientibus placet, non cum corpore extinguuntur magnae animae; placide quiescas.

[41] *Venit in aedes.* — Juv. XI, 14.

Gustus elementa per omnia quaerunt.

Sallust. Cat. 13. Vescendi causa terra marique exquirere. Juv. VI, 291.

Saevior armis
Luxuria incubuit, victumque ulciscitur orbem.

[42] *Nobile garum.* — Garum liquamen ex intestinis piscium sale maceratum. Mart. 13.

Nobile nunc sitio luxuriosa garum.

[43] *Smaragdis.* — Materia ex qua confici consueverant pocula, multiplex fuit: non raro conflata e ligno, saepe e creta; e quorum fictilium genere fuere *Samia* et *Saguntina*, altera e Samo, e Sagunto altera – Frequentia fuere *vitrea* et *crystallina,* et etiam *aurea* vel caelata, vel emblematis, crustisque ornata, et gemmis distincta. Unde illa Plinii acclamatio, Praef. 33. Turba gemmarum potamus, et smaragdis teximus calices. Interdum tota pocula ex una gemma. Quale illud Verris, de quo Tull. IV, in Verr. 27. Ex his vero gemmeis erant perillustria *murrina* e murra magni pretii lapide confecta. Eaque ab Oriente mitti solita testatur Plin. XXXVII, 2.

[44] *Terrae imperium Nero.* — De Augusto Horatius, I, 11.

Gentis humanae pater atque custos,
Orte Saturno, tibi cura magni
Caesaris fatis data: tu secundo
Caesare regnes.

At idem Lucanus, Phars. I, canebat de Nerone:

Te, quum statione relicta
Astra petes serus, praelati regia caeli
Excipiet, gaudente polo, seu sceptra tenere,
Seu te flammigeros Phoebi conscendere currus,
Telluremque nihil mutato sole timentem
Igne vago lustrare juvat.

Deum. —Tac. XII, cap. ult. Tamquam humanum fastigium egresso. Et XII, 31. Nulla mihi Caesaris mentio, nisi inter numina.

[45] *Molorchi.* — E Virg. haustum Georg. III, 19.

Cuncta mihi Alpheum linquens ludosque Molorchi
Cursibus et crudo decernet Graecia cestu.

Ubi per Alpheum, Elidis in Peloponneso fluvium prope Olympiam urbem certamina intelligit *Olympia*: per lucos *Molorchi* certamina *Nemaea.* Molorchus fuit in agro Cleonaeo hospes Herculis, in cujus gratiam Hercules leonem Nemaeum sive Cleonaeum interfecit. — *Quadrigas.* Tac. X, 14. Vetus illi cura erat, curriculo quadrigarum insistere, nec minus foedum studium, cithara ludicrum in modum canere, cum coenaret.

[46] *Proscenia plausu.* — Svet. Ner. 21. Tragoedias quoque cantavit personatus: heroum deorumque, item heroidum ac dearum personis effectis ad

similitudinem oris sui, et foeminae prout quamque diligeret. Inter cetera cantavit Canacem parturientem, Oresten matricidam, Oedipedem excaecatum, Herculum insanum.

[47] *Vel Apolline major.* — Svet. Ner. 53. Destinaverat etiam, quia Apollinem cantu, solem aurigando aequiparare existimaretur, imitari et Herculis facta: praeparatumque leonem ajunt, quem vel clava, vel brachiorum nexibus, in amphitheatri arena, spectante populo, nudus elideret.

[48] *Communis origo.* — Horrorem injiciunt verba Juvenalis VI, 219.

Pone crucem servo: meruit quo crimine servus
Supplicium? quis testis adest? quis detulit? Audi:
Nulla unquam de morte hominis cunctatio longa est.
O demens? ita servus homo! nil fecerit; esto!
Sic volo, sic jubeo: stat pro ratione voluntas.

[49] *Improba caedes.* — Manilius IV, 225.

Nunc caput in mortem vendunt, et funus arenae
Atque hostem sibi quisque parat, dum bella quiescunt.

[50] *Labiis caelestibus haeret.* — Sil. XI.

Quin etiam exhilarare viris convivia caede
Mos olim, et miscere epulis spectacula dira
Certantum ferro, saepe et super ipsa cadentum
Pocula, respersis non parco sanguine mensis.

[51] *Salutat.* — Svet. Tib. Claud. 21. Proclamantibus naumachariis: ave Imperator, morituri te salutant, respondit: avete et vos.

[52] *Bellatur acutis.* — Commissi gladiatores brachia et arma ad quamdam speciem jactando proludebant: quod solemni vocabulo *ventilare arma* et *praeludere* dicebatur. Haec *lusoria*: *decretoria* quibus ad tubae signum adsumptis manus inter se conserebant. Arma *lusoria* erant *rudes* et *hebetes gladii*: arma vero *pugnatoria* vel *decretoria gladii* erant *acuti*.

[53] *Mirmillona.* — Mirmillones ante *Galli*, dicti a μορμυρος, mormyris, piscis genus in Ponto, de quo Plin. XXXII, 11. Quia in eorum galeis hujus piscis effigies inerat. Genus mirmillonicum armaturae Gallicum est.

[54] *Exultans Nero.* — Tac. XI, 37. Ipse per licita atque illicita foedatus, nihil flagitii reliquerat, quo corruptior ageret.

[55] *Pythagoras.* — XI, 37. Uni ex illo contaminatorum grege, cui nomen Pythagorae fuit, in modum solemnium conjugiorum denupsisset.

[56] *Minoia tellus.* — Hic de Europa agitur, filia Agenoris, Phoenicum regis, quam Jupiter in vitulum transformatus abduxit in Creten, qua genuit Minoem et Rhadamantum.

[57] *Erumpere ab ovo.* — Hor. II, 1, Sat.

Castor gaudet equis, ovo prognatus eodem
Pugnis.

Commenti sunt Poëtae Ledam ab Jove sub oloris specie concepisse ovum ex quo Castor et Pollux nati sunt.

[58] *Jove natus ab auro.* — Hor. III, 11.

Inclusam Danäen turris ahenea
Robustaeque fores, et vigilum canum
Tristes excubiae munierant satis
Nocturnis ab adulteris;
Si non Acrisium virginis abditae
Custodem pavidum Jupiter et Venus
Risissent: fore nam tutum iter et patens
Converso in pretium Deo.

Ex his nuptiis natus Perseus, Gorgonum interfector.

[59] *Hebe.* — Latine *Juventas*, apud Graecos est Juventutis Dea, filia Jovis et Junonis quae pocula diis ministrabat, ne Dii senescerent. Ea ab officio amota, ejus loco subrogatus est Ganymedes, trojani regis filius.

[60] *Briarevs.* — Homerus narrat, I, Iliad. cum Juno, Pallas, Neptunus aliique dii contra Jovem conjurassent, Briareum gigantem in caelum ascendisse, ut Jovi suppetias ferret: ejus autem adventu territos Deos ab incoepto destitisse.

[61] *Minervam.*— Eadem ac Pallas, dea ingeniorum et disciplinarum praeses. Poëtae fabulantur natam esse ex cerebro Jovis armatam: Jovi autem febricitanti Vulcanum securi cerebrum percussisse, unde exiit Minerva. Si Cic. de nat. Deor. I, vis audire: Hoc commento significare volunt, litterarum disciplinas humani ingenii non esse inventum, sed e Jovis cerebro. *Marte* — Mars Deus belli praeses, qui, ut Ovidius fabulatur, solius Junonis fuit filius. Quae videns Jovem procreasse Minervam, Florae monitu in Campis Oleniis florem tetigit: quo tactu ipsa concepit et peperit Martem. *Exemplum memorabile.* En ipsum Ethnicorum de suis diis judicium. Propert. III, 9.

Namquid ego Heroas, quid raptem in crimina Divos?
Jupiter infamat seque suamque Domum.

[62] *Diffundere regna.* — Apost. Phil. II, 21. Omnes enim quae sua sunt, quaerunt, non quae Jesu Christi. Et I, 18 clarius. Quid enim? dum omni modo sive per occasionem, sive per veritatem Christus annuncietur, et in hoc ego gaudeo, sed et gaudebo.

[63] *Beati.* — Matth. V, 6. Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.

[64] *Bonos.* — Id Tac. Hist. I, 87. Criminando, quod facillimum factu est, pravus et callidus bonos et modestos anteibat.

[65] *Nescire.* — Svet. Ner. 10. Cum de supplicio cujusdam capite damnati, ut ex more subscriberet, admoneretur: Quam vellem, inquit, nescire litteras!

[66] *Detestabile nasci.* — Svet. 6. De genitura ejus statim multa et for-

midolosa multis conjectantibus, presagio fuit etiam Domitii patris vox, inter gratulationes amicorum negantis quidquam ex se, et Agrippina, nisi detestabile et malo publico nasci potuisse. — *Saltator*. Trimulus patrem amisit . . . et matre relegata, pene inops, atque egens, apud amitam Lepidam nutritus est, sub duobus paedagogis, saltatore, atque tonsore.

[67] *Voluntas*. — Sic Juv. Sat. 6.

Sic volo, sic jubeo: stat pro ratione voluntas.

[68] *Tempora rerum*. — Tac. Agr. 11. Neque in ipsos modo auctores, sed in libros eorum saevitum, delegato triumviris ministerio, ut monimenta clarissimorum ingeniorum in comitio et foro urerentur.

[69] *Ipsamet ingenito*. — Id a Lucretio haurire licet, qui in latiali lingua ne nomina quidem reperiebat, quibus graecanicas speculationes significaret. I, 137.

Nec me animi fallit, Grajorum obscura reperta
Difficile illustrare latinis versibus esse;
Multa novis verbis praesertim cum sit agendum
Propter egestatem linguae et rerum novitatem.

Ceterum si alia deficerent testimonia, satis illud esset Taciti, Vit. Agr. 3. Memoria teneo solitum ipsum narrare, se in prima juventa studium philosophiae acrius, ultra quam concessum Romano ac Senatori hausisse, nî prudentia matris incensum et flagrantem animum coërcuisset.

[70] *Porticus*. — Stoici, genus philosophorum, a Zenone Ittico originem habuere, ita dicti a *Soα*, *porticus*, quod Zeno Athenis Philosophiam docuit in illa porticu, quae poecile vocabatur, a Polignoto gratuito depicta. Quamvis innumeris erroribus implicaretur, haec philosophia nihil bonum existimabat, nisi honestum; felicitatem in sola virtute constituebat: in quo sit virtus, nihil ad beate vivendum deesse: solum sapientem esse divitem, formosum, regem. Uti Hor. Sat I, 3.

Si dives qui sapiens est,
Et sutor bonus, et solus formosus, et est Rex.

Hanc philosophiam professi sunt praeclarissimi quique Romani, et fatendum est, quod e porticu prosiluit illa Heroum gloriosissima phalanx, quae a Scipionibus coepit, in Cassio desiit. Id ipsum lamentatur ille Thraseae inimicus Capito Cossutianus praeter animum ad flagitia praeceps. Tac. XII, 22. Aut transeamus ad illa instituta, si potiora sunt, aut nova cupientibus auferatur dux et auctor. Ista sectaTuberones, et Favonios, veteri quoque reipublicae ingrata nomina genuit. Ut imperium evertant, libertatem praeferunt; si praeverterint, libertatem ipsam aggrediuntur. Frustra Cassium amovisti, si gliscere, et vigere Brutorum aemulos passurus es.

[71] *Lucretius*. — Ciceronis aetatem non multo antecessit, primusque inter poetas latinos res philosophicas tractavit, sex libris de rerum natura, ubi philosophiam Epicuri Romae perfamiliarem reddidit. Qui quidem, ut ait Cic.

de nat. deor., posuit summum bonum non in voluptate mobili, quae sensibus percipitur, ut Aristippus, sed in voluptate stabili, quae in animo potissimum sita est, nullo dolore, nec praesente, nec impendente. Sed ad voluptates corporis discipuli eam sectam traxerunt: unde *Epicureus* est voluptatibus deditus. Neque aliam certe philosophiam, musaeo lepore venenum conspersum, suis civibus propinavit Lucretius. Potissimum inter civilia bella Romani in hac philosophia conquieverunt, eaque facilius sese propagavit sub Imperio, in illa omnium bonarum artium corruptela.

PRESIDENZA DEL CONSIGLIO GENERALE DI PUBBLICA ISTRUZIONE

Rip.° Car.° N.° 14 Oggetto

Napoli 25 luglio 1858.

Vista la domanda del tipografo Gennaro Agrelli con che ha chiesto porre a stampa l'opera intitolata *Petreidos libri XXIV* dell' Abate Mirabelli;

Visto il parere del R. R. sig. D. Raffaele di Gennaro;

Si permette che la suddetta opera si stampi; però non si pubblichi senza un secondo permesso che non si darà se prima lo stesso Regio Revisore non avrà attestato di aver riconosciuto nel confronto esser l'impressione uniforme all'originale approvato.

Il Consultore di Stato Presidente provv.
CAPOMAZZA
Il Segretario Generale
Giuseppe Pietrocola

COMMISSIONE ARCIVESCOVILE
per la
REVISIONE DE' LIBRI

Nihil obstat
Antonius Cercià
Censor Theologus

Imprimatur
Pro Dep.°
Leopoldus Ruggiero

ERRATA	CORRIGE
Pag. IV. v. 21 e diutura	e diuturna
ivi v. 29 Calaccis	Galloecis
147 v. 31 copulabimur	sociabimur
154 v. 10 Lucius	Leucius
169 v. 7 paeniteat	poeniteat
ivi v. 13 Dionysium	Virum illustrem
ivi v. 26 Et animus	Est animus
233 v. 5 Copulata,	Sociata
253 v. 14 Incredibilium	Spesque incredibiles et foedae gaudia mentis
366 v. 10 Romuleo coena	Romuleo quae dona





